

16321

16321

NO A
3 - 384



0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16



Becaria

1. 2. 3. 4.

5.



Del Colegio de la Compañía de Jesús de Granada
COMPENDIUM R. 2633

PHILOSOPHICUM,

PRÆCIPUAS PHILOSOPHIÆ
PARTES COMPLECTENS.

Nempe

RATIONALEM, NATURALEM,
ET TRANSNATURALEM,

Sive

LOGICAM, PHYSICAM,
ET METAPHYSICAM.

AUCTORE

THOMA VINCENTIO TOSCA, VALENTINO,
Sacre Theologie Doctore, ejusdem Archiepiscopatus
Synodali Examinatore, & Congregationis Oratorii
S. Philippi Neri Presbytero.

AD SERENISSIMUM, AC POTENTISSIMUM
DOMINUM

DON LUDOVICUM BORBONIUM,
HISPAÑARUM PRINCIPEM.

TOMUS SECUNDUS.

VALENTIA:

Ex Typographia ANTONII BALLE; Anno M.DCC.XX.
Habentur venales apud Joannem Batza.

PHILOSOPHICUM

PRÆLUDIUM. PHILOSOPHICUM
PARTESSIMILARES.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

LIBER V.

LIBER VI.

LIBER VII.

LIBER VIII.

LIBER IX.

LIBER X.

LIBER XI.

LIBER XII.

LIBER XIII.

LIBER XIV.

LIBER XV.

LIBER XVI.

LIBER XVII.

LIBER XVIII.

LIBER XIX.

LIBER XX.

LIBER XXI.

LIBER XXII.

DON LUDOVICUM HORIONIUM

HISPANICUM TRACTICUM

TOMUS SECUNDUS

VARIANTIA

EX LIBRIS ALEXANDRIUS PITTALYANO MDCCX

HABENTUR ETATUM DILECTISSIMA BIBLIOTECAM

INDEX
TRACTATUUM, LIBRORUM,
ET CAPITUM

In hoc secundo Tomo contentorum.

D E Physica, Praefatio. fol. 1.
Prolegomena. 10.

TRACTATUS III.

De Physica generali, & communioribus
Corporis naturalis affectionibus.

LIBER I. De Corpore naturali, ejusque principiis
intrinsecis, ac de ejusdem ortu, & interitu. fol. 17.

Caput I. Celebriores opiniones Philosophorum circa
principia corporum naturalium explicantur. 19.

Cap. II. Rerum corporearum primordia, seu Entis na-
turalis principia physice determinantur. 34.

Cap. III. De Formarum origine; ac de Ortu, & Inter-
itu rerum corporearum. 130.

LIBER II. De Corpore naturali quatenus est Contin-
uum. 152.

Cap. I. De iis ex quibus componitur Continuum. 155.

Cap. II. De Nexus partium Continui. 191.

LIBER III. De Corpore naturali quatenus est in lo-
co: ubi de Pleno, & Vacuo. 199.

Cap. I. De Quidditate, & notione Loci. 200.

Cap. II. De Possibilitate penetrationis, ac bilocatio-
nis corporum. 225.

Cap. III. De Possibilitate, & actualitate Vacui, seu
inanis. 252.

LIBER IV. De Corpore naturali quatenus durat:
ubi de rerum duratione. 284.

LIBER V. De Corpore naturali quatenus mobile: si-
ve de Motu locali corporum. 319.

Cap. I. De Motu, & mutatione rerum in genere. 322.

Cap. II. De Præcipuis Motus localis proprietatibus. 351

Cap. III. De Præcipuis Motus localis phenomenonis. 371.

Cap. IV. De Motu mixto ex duobus, vel pluribus
rectis. 399.

Cap. V. De Motu circulari simplici, & mixto, ejusque
affectionibus. 403.

FEE DE ERRATAS.

P Ag. 19.lin.9. *Indigatio*, lege *Indagatio*. Ibid.lin.15. *sen-
serit*, lege *senserint*. Pag. 21.lin.3. *tatitate*, lege *latitare*.
Pag. 26.lin.7. *adsem*, lege *esdem*. Pag. 34.lin.14. *extrinseca*,
lege *intrinseca*. Pag. 39.lin.23. *ab imperfectionibus*, lege *ab im-
perfectionibus*. Pag. 44.lin.13. *augente*, lege *augens*. Ibid.lin.
31. *fibribus*, lege *fibris*. Pag. 47.lin.13. *divisus*, leg. *divisa*. Pag.
48.lin.2. *incapacia*, lege *incapaces*. Pag. 50.lin.10. *Tolosates*,
lege *Tolosas*. Pag. 51.lin.11. *eser*, lege *esse*. Pag. 66.lin. *penult.*
utrumque, lege *utrumque*. Pag. 69.lin.6. *diversi*, lege *divers*.
Pag. 75.lin.14. *magnitudinem*, lege *magnitudinum*. Pag. 79.
lin. 31. *posito*, lege *positio*. Pag. 80.lin.8. *nobiliarum*, lege *nobi-
liorum*. Pag. 89.lin.31. *utar*, lege *utar*. Pag. 111.lin.29. *con-
cort*, lege *confors*. Pag. 131.lin.4. *compaginari*, lege *compa-
gnatum*. Pag. 197.lin.14. *quem*, lege *quam*. Pag. 376.lin.9. *mi-
nus*, lege *minus*.

H E visto el Tomo segundo del *Compendium Philosophia-*
cum, &c. su Autor el Dr. D. Thomás Vicente Tosca,
Presbítero de la Congregacion del Oratorio de San Feli-
pe Neri de Valencia, y corregidas estas erratas concuerda
con su original. Madrid, y Mayo à 15. de 1721.

Licenciado Don Benito del Río

y Cardido,

Corrector General por su Magestad.

* (1) *

DE PHYSICA, SIVE PHILOSOPHIA NATURALI PRÆFATIO.



N post exhortatas metaphysica-
rum abstractionum salebras, qui-
bus fortasse non modicum mens
desfatigata fuit, in apertum, id-
que jucundissimum rerum natu-
ralium campum emergit; ubi
ejusdem acies, tot jam subtilita-
tibus fascia, amaniori obtutu frua-
tur, simul & recreetur. Adspectabilis mundi theatrum
jam cernet, in quo nullibi se se vertet, quin plurima stu-
pore plena demiretur: hinc Tellurem medio aëre pen-
dulam, celissimis montium crepidinibus hirsutam, val-
libus depresam, vegetantium quasi immensa sobole ve-
stitam: illinc Sali pellucidas undas, crispatosque vorti-
ces intuebitur, quibus in intimos Geocosmi recessus per
abditos canales se insinuans, iterumque per apertos
meatus erumpens, fontium scaturigines procreat, qui-
bus flumina ad mare perenni pericyclosi revocentur.
Aëream insuper suspiciet regionem, in qua ventorum
prælia, nubium concursus, imbrium, grandinum, fulmi-
numque officina. Hinc furentibus procellis iratum na-
ture vultum formidabit: dein pacatum, placidumque
videbit, cum omni perturbatione semota, æterno quasi

2 verè serenat. Altius demùm evecta expansum èthera mens consédet, ibique numquam mortueros Astrorum ignes demirabitur. Omnem tandem adspectabilem rerum insitam energiam, compositionem, discordemque amicitiam, non absque ingenti admiratione intuebitur. Cuncta hæc, aliaque innumera, Physica, seu naturalis Philosophia, quam pertractandam suscipimus, aperit, dum singula, quæ in rerum corporearum natura obseruantur phenomena, ad proprias causas revocare conatur. Quo, ni fallor, nihil jucundius, nihil amènus inveniri potest.

Sed quani negligenter in Scholis hæc nobilissima Philosophia pars pertractetur, nemo est qui non videat. Nescio certè, quo fato, eoque satis infelici, jam ab aliquibus retro sculis, Peripateticorum Schola metaphysicis commentaryibus ita est addicta, ut physicas res omnino negligere videatur: ad nauseam usque prodent in dies libri; qui entis rationis ultimos apices prosequuntur, tot qui rerum possibilium calculum inire student; mirabilium verò naturæ effectuum, quotidie in oculos occurrentium naturam, & causas omnino prætereunt. Nihil olim amènus habebatur (ait Ludov. Vives *lib. 5. de causis corrup. artium*) contemplatione horti hujus naturæ, nihil certè venustius, atque jucundius spectabatur. Nunc verò naturalium rerum inquisitio, ita metaphysicis abstractionibus implicatur, ut super eisdem, ceu debili fundamento, non nisi vastum ædificium assertionum, ac dissidentium sententiarum consurgat, seu potius crux erigatur, qua potius ingenia torqueantur, quam tanta rerum naturalium amènitate delectentur. Dolendum certè maximè est, quibus ambagibus de tota Philosophia labyrinthum fecerint ii, qui physicas res, non physicas ut par est, sed metaphysicis

3 præcisionibus ab omni sensu, & experimento remotis, retractant: dolendum iterum altas alioquin mentes, dum sciendi famem satiare cupiunt, toto saltim triennio, inani tantum entium rationis esca cibari, non sine maximo juventutis dispendio, detentis nimisrum eorumdem ingeniis, ad meliora ne pergant.

Ad meliora dixi. Quis enim dubitet, rerum naturalium speculationem multo præstantiorem esse metaphysicis illis quæstionibus, ne dicam tricis, quibus perpetuamente, & plerumque de vocibus, solet in Scholis acriter decertari. Certe cum Deus Jobo incomparabilem suę sapientię eminentiam patefacere vellet, eidem quamplurima, eaque mirabilia quæsita proposuit, ex naturalis Philosophia promptuariis desumpta, ut toto capite 38. & 39. est manifestum: sed de iis, quæ in Scholis tantum fiunt, nec verbum. Poterat autem eidem quamplura de ente rationis interrogare; an nempè, & quomodo existat, qualis sit ejusdem fabrica: quæ potentię, quive actus ad ejusdem structuram concurrant: an insuper à Deo, an ab Angelis, an à sensibus corporeis effici posse. De præcisionibus autem inquirere poterat an tantum formales sint; an etiam obiectivæ. De parentiis præterea, an dentur; imò an etiam parentiarum parentiæ: an item rerum essentiæ ab earumdem existentia realiter distinguantur: verum de his, aliisque similibus, altum silentium.

Præterea Sapient. cap. 7. Salomon scientiam sibi diuinitus collatam non inde commendat, quod ingentem illam formalitatum, distinctionum, ac reflexionum turbam illum Deus docuerit; sed potius inde, quod eidem patefecerit dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicisitudinum permutationes, &

commutationes temporum, anni cursus, & Stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, &c. quæ omnia ex Philosophia naturalis, & etiam Mathefeos sinu deponni, compertum est.

Neque hinc autumes vellim, me omnino metaphysicas speculationes abjecere, cum alibi eas non modicum commendaverim; suis enim utilitatibus non carent, si tamen ita sobrie accipientur, ut non quæ realia, & physica sunt, nec à mentis conceptionibus pendent, per abstractissimos illos conceptus explicari putemus. Quemadmodum enim ille, qui in rebus Geometricis sensibili tantum experimento, quantitatis proprietates indagare vellet, omnium Geometrarum sibilis dignissimus censeretur, quod hujusmodi attributa, quatenus à Geometra spectantur, abstracta sint, & uni dumtaxat intellectivæ ficiunt subiecta: ita similiter qui physicas res à sensu abstraheret, easque amotis sensibilibus experimentis, explicare vellet, is, inquam, proculdubio sua Theorematem omnium recte judicantium ludibrio exponeret: non enim id, quod in natura corporea à Deo factum; sed quod ab ipso factum est, thesibus suis venditaret. Hunc itaque scopulum pro viribus vitare conabor, & physicas res, semotis qua potero præcissionibus metaphysicas, pertractabo: imo advocatis experimentis, vel à me factis, vel à solertiissimis Auctoriibus desumptis, naturales effectus ad proprias causas revocare curabo; sunt enim proculdubio experimenta, veluti bases, quibus scientia rerum naturalium innititur; & quibus deficientibus, totam doctrinæ super extructam molem, corrue, aut saltim nutare necesse sit: ideoque Philosophiam naturalem pertractantibus omnino cavendum est, ne experimenta physica negligant, iis enim

con-

contemptis, talia sèpissimè Theorematà adstruent, quibus experimenta ipsa adverterentur, & falsitatis convincent.

Hujusmodi autem experimentorum neglectus, saltim ex parte, causa fuit, cur naturalium rerum scientia, vix ab Aristoteli aëo per viginti sæcula fuerit aucta; cum tamen cæteræ Artes ex tenuibus admodum initis, paulatim ita adoleverint, ut celcisimum perfectionis culmen sint assequantæ. Dixa saltim ex parte; maximum enim prejudicium nobilissima hæc Philosophia pars ex alio etiam capite passa est; ex nimia videlicet, eaque tenaci alicui peculiari Auctori adhesione, cum nullus in hac re omnino respuendus sit, si illos tamen excipias, quos Ecclesia prorsus proscribendo sjudicavit. Et hoc quidem prejudicium in Scholas, non sine ingenti Philosophiæ naturalis damno, irrepsisse compertum est: ut enim ait Ludovicus Vives loco suprà cit. *Excluserunt Scholis prijsos illos Timæum, Platonem, Plotinum, Plinius, Theophrastum, Ciceronem, Senecam, & reliquos hujus generis, qui maximum ferre adjumentum poterant ad natura contemplationem de cælis, de elementis, de animalibus, de stirpibus; Aristotelem retinuerunt solum, quod is unus ex illa antiquitate rizantum circulis esset aptus.*

Ita præterea Aristotelem retinuerunt, ceteris Philosophis proscriptis, ut quasi summum nefas committisse judicent illum, qui aperte ab illo recedere sit ausus, nisi in his, in quibus ipse Christianæ fidei adversatur: ita enim eum, ejusque doctrinam commendant, ut asserere non vereantur, fuisse quidem naturæ genium, quem nihil latuerit, quive nihil posteris inquirendum reliquerit. Sed quo jure tantum honos Aristotelii deferatur, non video: an natura unj tantum Stagirita Philosopho ocu-

los

los dedit, ceteris ad cætitatem damnatis? Homo certè fuit; errare procudubio potuit: imò planè enormiter erravit; ita ut ab his, qui potius, ut par est, de rerum divinarum scientia fuere solliciti, quam de metaphysicis præcisionibus, maximè impietatis est habitus reus: & dum cælos, ac sydera diis adnumerat, existimatus est polytheismi defensor: imò & Atheistarum parens, dum animam humanam corpoream facit, & consequenter juxta ejusdem principia, mortalem: ita ut recte possumus cum Ludovico Vives intelligere, Philosophum istum nullum virtutis præmium in futura vita expectasse.

Hinc prisci illi Ecclesiæ Patres potius Platonis doctrinam, quam Peripateticam sectati sunt, quod nempe comperissent, plus à vero aberrasse in plerisque Aristotelem, quam Plato. Platonicus enim dubio procul fuit S. Justinus, Philosophus celeberrimus, & Martyr, qui, ut refert Phocius in sua Biblioteca, scripsit in gratiam Platonis contra primum, & secundum librum Physicæ auscultationis, sive contra materiam, formam, & privationem: itidem contra illud corpus, motumque sempiternum, quem Aristoteles mirifico ratiocinorum acumenne genuit. Platonici etiam aperte fuere Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Basilius, & Augustinus, ut ipse testatur, & communiter Ecclesiæ Patres, ut fatetur S. Thomas in 2. sent. diffl. 14. art. 2. dicens: *Basilius, & Augustinus, & plures Sanctorum sequuntur in Philosphicis, qua ad fidem non spectant, opiniones Platonis.* Et hac quidem platonica doctrina, in multis tamen castigata, & ab omni infidelitate suspicione se juncta, sciliciter Sancti Patres adversus ethnicam impietatem pugnare, horrendaque hæresum monstrare prostravere, quin ad hujusmodi prælia Peripatus auxilio indiquerint.

Quem

Quem igitur ego in rebus naturalibus pertractandis Auctorem sequar? Neminem proorsus; imò verius omnes; in iis tamen, quibus nec catholica fides, nec ratio, neque experimentum contradicere videatur: multum enim mihi placet illa Philosophia definitio, quæ habetur apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom. *Philosophiam non dico Stoicam, nec Platonicam, Epicuream, & Aristotelicam; sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia; hoc totum séléctum dico Philosopham.* Verum enim verò quoniam Aristotelem omnes penè Academia veluti Philosophia Principe sequuntur, id mihi pro viribus curandum suscepi, ut ea saltim, quæ de primis rerum corporearum principiis, materia videlicet, & forma, assenseruo, recte cum his, quæ ab Aristotele tradita sunt, cohædere ostendam, quem in eo sensu proorsus accipiam, quo ab Angelico Doctore in doctissimis ejusdem Philosophi commentatiis explicatur. Nec id mihi admodum difficile fore duxi: cum enim prædictus Philosophus res etiam physicas sub abstractionibus metaphysicis determinet, suasque sententias sub eisdem præcisionibus proponat, facillimum certè erit eas sive Anaxagoræ placitis, sive atomis democriticis, sive Cartesi Theorematiis, sive aliorum cum veterum, cum recentiorum Philosophorum opinionibus adaptare. Prius tamen aliqua bréviter adnotanda decrevi.

i. In opinionibus feligendis, aut in physicis hypothesibus conformandis, id mihi observandum propono, ut ea omnino præferam, quæ ad atheismum profligandum, animæque humanæ immortalitatem stabilendam, ceteraque fidei Christianæ mysteria, rationum etiam naturalium famulatu ipsis ethnicis persuadenda, melius conducere judicavero. Idcirco in hoc Philosophie na-

tu-

turalis vestibulo, mihi, ceterisque Philosophis decre-
tum praefigo Ecumenici Concilii Lateranensis V. sub
Julio II. & Leone X. habitum *sej. 8.* Ubi post damnationem eorum, qui stando saltim philosophicis principiis, animam rationalem mortalem esse dixerunt, licet aliundē juxta Christianā fidei principia sit immortalis, quid in hac re, qui res philosophicas docent, agere tenentur, sequentibus verbis indicit, atque decernit. *Nonnulli temere philosophantes, secundum saltem Philosophiam verum id afferuerunt (animam nemp̄ rationalem esse mortalem) contra hujusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes afferentes animam intellectivam mortalem esse.* Et post pauca ad-
dit: *Insuper omnibus, & singulis Philosophiae in Universitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus, districte præcipiendo mandamus, ut cum Philosophorum principia, ac conclusiones, in quibus à recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explanaverint, quale hoc est de anime immortalitate, aut unitate, aut mundi eternitate, & alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis Christiane omni conatu manifestam facere, & persuadendo posse docere, ac omni studio Philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus exclude-re, atque resolvere.* Unde aliquos probare non possum, qui cum nullam ex suis philosophicis principiis demonstrationem de anime humanę immortalitate conficere possint, in alios acriter insurgunt, qui eam ex diversis principiis tentare student, idque eo fortè fine, ne ex hoc capite sua illa principia, quibus nimium adhærent, labefactari videantur.

2. Lectoremi exopto mediocriter saltim in rebus geo-

me-

metricis versatum, ut dignos in scientia naturali pro-
gressus efficiat: cum enim Deus *omnia in mensura, &*
numero, & pondere disposuerit, ut ait Sapiens *Sap. 1. i.*
v. 21. certè ut perfecta rerum naturalium adipiscatur
cognitio, Geometriam sàpius advocate necesse erit,
pleraque Philosophiæ Theorematâ ad Euclidis tribunal
oportebit adducere: rectè enim Illustr. Caramuel de
Geometria cum loqueretur, dixit: *Eminent inter ceteros in philosophicis Scholis, qui hanc scientiam calent; serpunt, qui ignorant: loquor expertus.* Qui-
bus id adjungo: nullum hucusque incrementum Philoso-
phiam naturalem suscepisse, nisi ab his qui in mathe-
maticis rebus, præcipue geometricis, fuere non modi-
cum versati: neque enim frustra soribus Academiarum in-
gressu arcebat eos, qui Geometriæ essent prorsus
ignari.

His adnotatis, scientiæ naturali pertractandæ me ac-
cingo, quam pro materiæ vastitate, in diversos tractatus
sese recto ordine succedentes, distribuam, quibus præ-
cipua rerum naturalium phænomena ita exponere cura-
bo, ut qua potero eorum proprias, & immediatas cau-
fas assignem: neque enim nodum, ut ajunt, per ma-
chinam dissolvam, neque unquam ad virtutes, & qualiti-
tates occultas, quæ nihil sunt præter ignorantia asylum,
recurram: neque ad Antiperistastim, quam nullam
agnosco: neque ad eas attractiones, similesve motio-
nes, à certa quadam, & ignota virtute, corporibus in-
animis innata, provenientes, quæ ut sic nihil explicant:
neque tandem ad antipathiam, & sympathiam confugiam,
quæ ni amplius exponantur, sunt mirificæ voices,
prætereaque nihil, quod si rerum causas aliquando asse-
qui non potuero, potius imbecillitatem meam fatebor.
Id in votis mihi est: Faxit Deus.

IN

IN PHYSICAM,
SIVE SCIENTIAM NATURALEM

PROLEGOMENA.

EA, quæ in Prolegomenis ad Physicam vulgo præmiti solent, breviter perstringemus; idque eo solum, ne insalutato, ut ajunt, hospite, ejus limina aggrediamur: ex his enim, quæ generatim in Logica diximus, facile colligi possunt. Physica sic dicitur à verbo græco *Physis*, quod naturam sonat; ideoque Physica idem est, ac *Scientia Natura*, sive *rerum naturalium*. Quoniam verò *Natura* multipliciter à Philosophis usurpari solet, extensiùs nempè, aut contrariis; idcirò aliquod poterat suboriri dubium, de qua nempè natura, & de quibus rebus naturalibus Physica pertractet. Natura enim in communi, prout nempè ab Aristotele definitur: *Principium, & causa motus, & quietis, &c.* ut in Metaphysica diximus, omnem substantiam comprehendit, quatenus nempè principium, & radix est suarum proprietatum, aut operationum: sub tanta autem extensione à Physica non attingi, certum est; sic enim substantias spirituales etiam comprehendit, quæ ad Physicam non spectant: pressius igitur sumitur nomen *Natura*, cum dicimus Physicam esse scientiam, seu Philosophiam naturæ, rerumque naturalium: prout nempè contrahitur ad naturam corpoream significandam; totum nempè visibile, & adspettabile mundum, cunctaque naturalia corpora in ipso contenta, ex quibus miro ordine dispositis, mirabilis ejus machina confurgit. Hinc difficile non erit Physicam obiectum assignare.

PRO-

PROPOSITIO I.

Obiectum materiale Physicæ est corpus naturale, quatenus mobile est. Formale vero, ejus affectiones.

Dico 1. Obiectum materiale Physicæ esse corpus naturale prout mobile est: hoc est, quatenus capax est alicuius motus, sive generationis, sive corruptionis, sive alterationis, sive lationis, sive alterius: est communis Philosophorum, Probatur, nam obiectum materiale Physicæ est id, de quo Physica tractat, seu de quo aliquid dicit, demonstrat, &c. seu id quod est subiectum suarum conclusionum: sed id de quo Physica agit, de quo pleraque disputat, dicit, demonstrat, est corpus naturale prout mobile, ut in toto ejusdem decursu patebit: ergo praedictum corpus est ejus obiectum materiale. Duxi prout mobile, nam corpus quatenus præcisè corpus est, seu quantitas trine-dimensa, ad Mathesin spectare compertum est, quæ ab omni sensibilitate præscindit: corpus itaque naturale eatenus physicæ considerationis est, quatenus sensibile est, quatenus mobile, seu sensibilium mutationum capax: hæcque est ratio formalis sub qua ad Physicam pertinet.

Dico 2. Obiectum formale Physicæ esse corporis naturalis, qua mobile est, affectiones, & attributa, quæ nempè de ipso dici, demonstrari, seu probari possunt. Cum enim hujusmodi affectiones, & attributa sint, quæ de corpore naturali, qua mobile est, prædicantur, & docentur à Physica, certè sunt prædicata in suis conclusionibus: nec ob alias rationem agit de corpore naturali, nisi ut has proprietates, & affectiones de illo demonstret, probet, aut doceat: ergo juxta ea, quæ in

Lo-

Logica diximus, sunt obiectum formale Physica. Hinc subiectum totale, seu obiectum materiale totale Physica est omnium corporum naturalium collectio, quæ in mundo visibili continentur. Obiectum formale totale est collectio omnium affectionum, quæ de eisdem corporibus sub ratione praedicta possunt demonstrari. Obiectum tandem adæquatum est aggregatum ex obiecto materiali, & formalis. Cuncta autem hec ex Logica patent.

PROPOSITIO II.

Physica est verè scientia; eaque speculativa.

Phylicam esse scientiam communiter etiam tenent Philosophi: illi etenim facultati scientiæ nomen jure tribuitur, quæ docet cognoscere, cum effectus per causas; tum causas per effectus: atqui hoc Physica prestat: ergo scientiæ nomen meretur. Dices, ulterius requiri prædictas cognitiones fore evidentes: quamplurima autem ex his, quæ Physica docet, opinativa tantum sunt, & inextricabilibus difficultatum nodis obnoxia: non ergo erit scientia. 'Resp. Verum quidem esse quamplurima in Physica opinativa esse, multaque penè inscrutabilia: hoc tamen non tollere, quin etiam multa sint, quæ evidentiibns rationibus demonstrantur, ut in ejus decursu patebit: id autem sufficere dico, ut absolutè dicatur scientia: denominatio enim ex nobiliore parte desumenda est; aliter præter Mathematicas, nulla facultas scientiæ titulo digna esset: cunctas enim ex plurimis conclusionibus opinabilibus constare, manifestum est.

Præterea Physicam esse scientiam speculativam inde patet, quod in nuda rerum naturalium contemplatione consistit: sic cælum, tellurem, elementa, cunctaque in eis contenta speculatur, causas mirabilium effectuum

in-

inquirit, absconsa rimatur, & quæ in sinu naturæ latent, conatur eruere, ut ea intellectus noster conspiciens, non modicum delectetur: est ergo Physica scientia absolutè speculativa. Hoc autem non tollit quin Physica mentem optimè disponat, ut ex cognitis corporum viribus, & affectionibus, advocate præfertim Matheœeos auxilio, præstantissima disponat artefacta, quæ ad varia tum vita commoda, tum reipublicæ emolumenta consequenda, multum juvent.

PHYSICÆ,

SIVE SCIENTIÆ NATURALIS

PRINCIPIA.

CUM Physica verè scientia sit, ut nuperim diximus, necesse est sua habere principia, eaque certa, & evidenter, ex quibus certas, & evidentes conclusiones deducat. Certa, inquam, & evidenter, certitudine saltim, & evidenter physica: sufficit enim ad physicas res stabiliendas talis intellectus adhesio, qua securus sit, rem aliter esse, quam à se percipitur, non nisi per miraculum contingere posse. Advertendum tamen est, non omnia, quæ à plerisque quasi principia supponuntur, talia verè esse; cumque hoc maximum sit rerum physicarum prejudicium, illa tantum hic adducam, quæ proculdubio principia sunt, queque à Physica probari non egeant; sed potius vel per se nota sint, aut saltim ab alia scientia demonstrata supponantur.


1. *Totum est majus sua parte.*

2. *Causa necessaria subiecto apto applicata, & non impedita, necessariò agit: & quantum potest. Ex Metaph.*

3. *Cau-*

3. *Causa ut agat, debet existere.* Ex Metaph.
4. *Causa ut agat, debet esse applicata.* Ex Metaph.
5. *Quidquid aliquando destruitur, non est à se.*
6. *Quidquid non est à se, est, & conservatur ab alio.*
7. *Quidquid conservatur separatum à causa sui primo productiva, ab alia causa conservatur ; & è converso.*

8. In natura nihil est frustra admittendum. Si enim libere admittitur : cur libere non poterit negari ? Hoc licet immediatum non sit, ob ejus tamen certitudinem prædictis adjungi potest. Præterea experimenta in Physica Scientia vim habent principiorum: cum enim hęc de rebus sensibilibus agat : neque enim abstrahit à materia sensibili; res autem sensibles, sint sensibus subiecta: certè rerum sensibilium cognitionem assequi non poterimus, nisi per sensibilia experimenta. Hac autem diversa esse oportet, eaque sedulo inter se combinata, ut ex illis quidquam tamquam certum valeat deduci : imò eisdem ratio est adjungenda , quæ ex ipsis solerti cura perspectis, ac inter se collatis, physicas veritates eliciat, rerumque naturalium reconditas causas educat.



COMPENDII PHILOSOPHICI.

TRACTATUS III.

DE PHYSICA GENERALI ; ET COMMUNIORIBUS CORPORIS NATURALIS AFFECTIONIBUS.



UNCTÆ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone. Sic juvat tractatum istum de Physica generali exordiri cum Ecclesiaste cap. i. v. 8. Quod quidem de omnibus scientiis generatim verum esse, nemo potest ambigere : in singulis enim aliqua ita sunt absconsa, ut humanae mentis imbecillitatibus, & eternum quasi negotium faceant. Sic Geometria post tot secula, adhuc pro circuli tetragonismo, binisque reperiundis in proportione mediis, laborat. Musica pro sua pericyclosi defudat. Nautica pro certo longitudinis puncto inter undas decertat. Multo tamen plura naturalis Philosophia perscrutari conatur mysteria, quæ tamen ita sunt tenebris involuta : ita demum in abditis na-

natura recessibus latentia, ut in eis nihil ferè certi, aut explorati habeatur, in quo humana mens omnino quietat. Deus enim, ait idem Ecclesiastes cap. 3. v. 11. *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inventiat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Imò multa ita sunt abscondita, ut quo avidius ea persequimur, eo plus à nobis recedere videantur. Quo certè ipse Ecclesiastes nostram imbecillitatem monet dum cap. 8. v. 17. ait: *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam poscit homo invenire rationem, eorum quæ sunt sub Sole: & quanto plus laboraverit ad querendum, tanto minus inveniut.*

Hæc ex sacro eloquio desumpta, lectori nunc ob
oculos pono; non quidem ut scopum assequendi diffi-
cultate terream, sed solum ut in Theorematis physicis
omnimodam evidentiam non requirat; sat enim me fe-
cisse in plerisque putabo, si saltim ita complanatum iter
exhibeam, ut res, quæ omnium consensu sunt difficiles,
facilius percipiantur.

In praesenti itaque tractatu Physicam generalem expono, quæ scilicet corpus naturale in universum, ejusdemque principia, & communes affectiones considerat. Quinque autem libris tractatum istum distribuo. Primus erit de intrinsecis corporis naturalis principiis: ac de ejusdem generatione, & corruptione. Secundus, de ipso corpore quatenus est continuum. Tertius, de eodem quatenus est in loco: Quartus, de ejusdem durata-
tione. Quintus, de motu.

LIBER I.

DE CORPO NATURALI , EJUSQUE PRINCIPIIS INTRINSECIS, AC DE EJUSDEM ORTU,
& interitu.

HAC omnia presenti libro comprehendere voleamus, quod eorumdem expositio, ob mutuam quam habent connexionem, vix possit alter exhiberi.

DEFINITIONES.

Natura, juxta Aristotelem 2. *Phys. tex.* 3. est principium, & causa motus, & quietis in eo, in quo est, primo, & per se, & non secundum accidentem.

Explicatur. Hæc definitio Aristotelica naturæ communiter admittitur à Philosophis; juxta quam natura est illud, quod quælibet res ex vi sua generationis habet, ratione cuius principium est, aut causa *motus*, id est, quarumlibet mutationum; & *quietis*, qua nempè quieticit in possessione illius status, quem per motum acquisivit. Sic natura plantæ appellatur vis illa, qua ex semine consurgit, qua augetur, qua in thyrsum, & frondes dilatatur: en motum, qui ab illa virtute progressus, eo usque durat, donec planta debitum sibi incrementum naæta, possessionem illius vegeta quiete retineat: en quietis. Hæc autem plantæ vis, eidem ex vi sua, ut ita dicam, institutionis, & generationis competit; ideoque nata est illam habere, ejusque natura dicitur; competit enim ei per se, & non ex accidenti. Hinc à ratione nature excluduntur omnes causæ per accidens. Sic ars meæ

dendi in Hypocrate existens, qua sibi ipsi sanitatem præstat, è ratione naturæ secluditur, quod Hypocrati non per se, sed accidentario insit.

2. Corpus naturale est, quod habet in se prædictum principium motus, & quietis. Sic Planta corpus est naturale, quia ipsi inest vis illa, qua augetur, frondet, &c.

3. Corpus mobile est ipsum corpus naturale, quatenus variis est mutationibus sensibilibus obnoxium; nempe generationis, corruptionis, alterationis, &c. Hinc corpus naturale, & mobile, sensibile esse oportet, seu experimentis sensibilibus obnoxium. Præterea cum prædicti motus, seu mutationes sensibles, non nisi compositis convenire possint, ut est satis perspicuum, & ex infra dicendis amplius patebit, certè corpus naturale, & mobile quid compositum esse necesse est; ideoque compositum naturale rectè appellatur, quod præcipuum Physice generalis negotium est. Corpus itaque naturale, cum compositum sit, ex componentibus coalescere necesse est, qua & principia intrinseca à Philosophis appellantur.

4. Principia autem intrinseca sic ab Aristotele definitur lib. 1. Phys. tex. 42. Qua neque ex sese, nec ex aliis, sed omnia ex ipsis sunt.

Explicatur. Principia intrinseca 1. non debent esse ex sese invicem: cum enim sint componentia rem illum, cuius sunt principia, ex sese invicem esse non possunt, essent enim sibi mutuò causæ materiales, quod impossibile esse, constat ex lib. 4. Metaph. prop. 5. Deinde neque debent esse ex aliis, alioquin non haberent rationem principii, saltim primi; sed principiati. Ex ipsis tandem omnia esse oportet; id est, omnia corpora naturalia ex ipsis coalescere debent; ex ipsis, inquam, in-

existentibus, & componentibus; aliter enim non essent principia intrinseca.

CAPUT I.

Celebriores opiniones Philosophorum circa principia corporum naturalium expli-
cantur.

CUM rerum naturalium primordia, seu corporum intrinseca principia intimius in natura abditis delitescant, sedula eorumdem indigatio non modicum omni ævo Philosophorum exercuit ingenia, eosque coegerit in diversas abire sententias, quarum præciusas in præsenti capite exponam: neque enim vacat omnes ad examinis trutinam adducere, cum difficile sit, quid aliqui, ex antiquioribus præser-tim Philosophis, senserit, certò definire, tum quod eorum scripta, maxima saltim ex parte, perierint: tum quod eorumdem opiniones, ita ab aliis exposite sint, ut deliramenta videantur, idque eo fortè fine, ut alienas sententias vilipendentes, suas majori pretio venditarent.

PROPOSITIO I.

Quid de principiis rerum naturalium Philosophi Ari-stotele antiquiores senserint, recensetur.

Xenophanes, Parmenides, & Melissus unum tantum statuerunt rerum naturalium principium, idque immobile: quod quidem Parmenides finitum ajebat; Xenophanes autem, ut scripsit Aristoteles in libello de Xenophane, Zenone, & Gorgia, unum illud ens infini-

tum esse dicebat, similiterque Melissus. Quid autem prædicti Philosophi per unum illud principium intellegent, non omnino constat: Plotinus enim Philoponus, Simplicius, & alii apud Conimbricenses lib. 1. Phys. cap. 7. quest. 1. art. 1. ajunt, eos unius entis nomine ens à materia concretione sejunctum significasse. Alii vero existimant illos omnia unum dixisse; id est, unam mundi universitatem, quae res omnes, quasi unum quid, complectitur. Alii assertunt per illud unum ens intellectum, ens primum intelligibile, ac sempiternum, omnisque mutationis expers, in quo omnia eminenter continentur: Deum scilicet, quem infinitum asserebant Xenophanes, & Melissus; Parmenides vero finitum ajebat, quasi diceret omnino perfectum, seu quod finitam; id est, non inchoatam, & imperfectam rationem obtineat, sed perfectam potius, & absolutam, nec ab alio pendente. Alii aliter prædictos Philosophos interpretantur. Sed res est parvi momenti.

Thales Milesius, unus è septem Græcia sapientibus, atque eorum antiquissimus, rerum naturalium principium aquam esse existimavit, ex ea enim tum densitatis, tum rarefactionis ope, universa consurgere affirmabat. In eadem sententia fuisse Anaximandrum, ait Aristoteles lib. de Xenophane, esto alii aliter sensisse dicant.

Anaximenes vero, & Diogenes Appolloniates, Ideus Imereus, & cum ipsis Archelaus, Socratis magister, aërem rerum materialium principium esse dixerunt, eo forsitan, quod ex minutissimis componatur partibus. Tum præcipue quod varias rerum generationes, per varias ejusdem principii omnibus communis, condensationes, & rarefactiones fieri judicarent, quibus aërem aptissimum esse constat, quod admodum per condensationem contrahatur, & per rarefactionem in amplissima spatha dilatetur.

Hyp-

Hyppalus Metapontinus, & Heraclitus Ephesius ignem primum rerum naturalium principium dixerunt, forte ea ratione dueti, quod ignis in singulis latitate intellegent, eo quod ferè omnia in flamas tandem abi-re viderent.

Omnes Philosophi, quos hucusque memoravimus, unum dumtaxat rerum principium materiale dixerunt; ceteri vero non unicum, sed multa esse prædicta principia statuerunt. Leucippus enim Eleates, & Democritus Abderites, sequuti Moschum Phenicium, quem ante Troja exidiū floruisse memorant, tenuerunt rerum primordia esse insectiles atomos, easque infinitas, ex quibus cuncta corpora, quae in mundo cernuntur, componi asserebant; earundem vero intermixta inania esse, omnique proflus corpore destituta. Hanc infinitam insectilium corpusculorum multitudinem appellabat Democritus *Panspermiam*, seu rerum universale seminum. In eadem fuit sententia Epicurus; eamque secutus est Poëta Lucretius lib. 1. & 2. *Poëmatum*. Anaxagoras etiam Clazomenius infinitas illas atomos rerum naturalium principium esse asseruit, quas non tantum numero, verum & specie infinitas esse dicebat: ita enim necessarium esse putavit ad infinitam generationum varietatem conficiendam.

Tandem Plato, ut S. Justinus, Philosopher, & Martyr, in sua Parenæsi scribit, in assignandis rerum naturalium principiis varius fuit: aliquando enim tria rerum principia adstruxit, Deum nempè, materiam, & speciem; aliquando vero prædictis animam mundi adjectit. Juxta Plutarchum vero tria possit principia, mentem videlicet, materiam, & ideam: Platonem autem dixisse principia esse unum tamquam formam, & magnum & parvum tamquam materiam, ait Aristoteles

22 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
les diversis in locis. Aliorum opiniones omitto, quae
videri possunt apud Plutarchum lib. 1. de Placitis Phi-
losophorum; & apud Conimbricenses loco suprà citato.

PROPOSITIO II.

Aristotelis sententia circa principia rerum naturalium exponitur.

Aристотелем in assignandis rerum naturalium prin-
cipiis, metaphysicis potius abstractionibus usum
fuisse, quam physica perscrutatione, ex sequenti illius
sententię expositione evidenter patebit.

Supponendum itaque est, corpus quodlibet naturale
dupliciter considerari posse, & quatenus generatur, seu
ut aijunt, *in fieri*: & quatenus jam genitum est, seu ut
communiter dicitur, *in facto esse*: sub duplī autem
ista consideratione illius principia aſsignat p̄ſatus Phi-
losophus lib. 1. Phys. cap. 6. & 7.

1. Principia corporis naturalis, quatenus generatur,
sunt tria : Materia videlicet, Forma, & Privatio ; non
autem plura. Prima pars patet : Quoties enim corpus
aliquod generatur, ex.gr. Planta, aliquid fit, quod ante
na non erat : planta enim illa non erat antequam ge-
neraretur : vel ergo hoc ens, quod planta vocatur, fit
simpliciter ex non ente ; vel fit ex ente quod tale non
erat, id est, ex ente quod non erat planta : non pri-
mum, quia talis productio non generatio esset, sed crea-
tio, cum fieret ex nihilo ; quam quidem creationem
Aristoteles non agnovit : imò ipse, aliique antiqui Phi-
losophi allucinati ita certò putabant *ex nihilo nihil fieri*, ut
crederint mundum fuisse ab ēterno ; aut faltem
materiam illam ex qua fuit formatus, semper extitisse:
non ergo planta cum generatur, fit ex non ente simpli-
citer, seu ex nihilo : ergo fit ex aliquo, quod tamen
plan-

LIBER I. CAPUT I. 23
planta non erat. Illud ergo ex quo planta fit, est mate-
ria : illud verò, quo in eis plantæ constituitur, est ejus-
dem forma : illud autem non esse plantę, quod in illo
ente ante plantæ generationem præexistebat, est priva-
tio : ergo in plantæ generatione tria sunt principia,
nempè materia, forma, & privatio.

Confirmatur, nam generatio est transitus quidam à
non esse substantiali, seu essentiali, ad aliud esse substan-
tiale, seu essentiale : sed in hujusmodi transitu tria ne-
cessariò concurrunt, nempè terminus à quo, seu priva-
tio illius esse : illud esse quod adquiritur, quod est for-
ma : & illud ex quo res constituta per illud esse fit, quod
est materia , quæ nempè utrique statui communis est:
ergo ad generationem tria sunt necessaria , nempè ma-
teria, forma, & privatio : ergo tria hæc sunt principia
corporis naturalis quatenus generatur.

Secunda verò propositionis pars, scilicet principia
corporis naturalis, quatenus generatur, non esse plura,
quam tria suprà memorata, etiam patet : his enim ſolū
consideratis, ceterisque quibuslibet, etiam mente
ſublati, rectè generationis essentia concipiatur, atque
clara simul, & distincta ejusdem habetur idea : fruſtra
itaque aliud principium adderetur. Demum per hec
tria distinguitur generatio à reliquis mutationibus ; à
motu quidem locali, quia in hoc fit transitus ejusdem
corporis à loco positivo ad locum : à creatione verò,
quia hæc nullam ſupponit materiam, cum fit ex nihilo
productio.

2. Principia corporis naturalis jam facti, seu in facto
esse, tantum ſunt duo, nempè materia, & forma. Ratio
est, quia ea tantum ſunt principia corporis naturalis in
facto esse, quæ in ipſo post ejusdem generationem re-
manent, & ex quibus coalescit : ſed ſolū materia, &
for-

forma remanent, & ex his solis essentialiter coalescit postquam genitum est: privatio enim cum formæ opponatur, simul cum ista remanere non potest: neque simul cum ea corpus naturale constituere valet: ergo sola materia, & forma sunt corporis jam geniti, seu in facto esse principia.

Ut autem morem Aristotelis sequamur, totum quod diximus exemplo mutationis accidentalis confirmemus. Quoties enim homo non musicus, fit musicus, homo, qui subiectum est illius mutationis, transit à privatione musicæ, ad habendam musicam, sic enim ex non musico fit musicus: ubi vides mutationem illam, seu hominem fieri musicum, tria complecti, nempe hominem, seu subiectum, aut materiam: privationem musicæ; & musicam, qua est forma. Homo verò mutatus, seu homo in facto esse musicus, duo tantum includere, nempe hominem, seu subiectum; & musicam, qua est forma: rectè itaque similiter discurritur in generatione, & composito substantiali.

Quoniam autem hanc Aristotelis circa principia rerum materialium doctrinam veram esse judico, opere pretium duxi, quid de materia, quidve de forma speciatim asseruerit, sequentibus propositionibus aperire.

PROPOSITIO III.

Datur materia prima rerum corporearum.

Demonstr. Ex ipsarum rerum corporearum vicissitudine, mutationibus, & generatione. Quoties enim ex mortui animalis corpore vermes fiunt, aut ex filtrato pulvere, ignis: vel corpus illud totum sicut omnino destructum, vel aliquid ipsius manet: primum dici non potest; nam si omnino periret: ergo fuit annihilatum: ergo vermes, & ignis ex nihilo fiunt: & con-

se-

sequenter eorum productio non est generatio, sed creatio, quod dici non potest; aliter causa naturalis vermes ex nihilo produceret, aut ex pulvere pyro igne crearet, quod saltim naturaliter esse impossibile, in Metaphysica probatum fuit. Præterea quia quemadmodum est certum agentium naturalium ex nihilo nihil fieri; ita consequenter eadem certitudine compertum est, eorumdem agentium vi, nihil in nihilum abire non posse: non ergo corpus ex quo vermes fiunt, aut ignis, &c. omnino destruitur: ergo aliquid illius remanet, quod corpori mortuo, & vermis commune est: hoc itaque appello materiam primam.

Deinde materia prima est illud primum ex quo omnia corpora fiunt: sed datur necessariò aliquod primum, ex quo omnia corpora fiant: ergo. Min. prob. Nam mixta fiunt ex elementis communibus: elementa ex aliis entibus: vel ergo haec entia fiunt ex aliis, vel non: si secundum: ergo ipsa sunt illud primum, ex quo omnia fiunt; & consequenter materia prima. Si vero dicatur primum, nempe fieri ex aliis: queram an haec ex aliis fiant: & iterum redibit idem argumentum; ne igitur procedamus in infinitum, dicendum est dari aliquod primum, ex quo omnia fiant, quod est materia prima. Alias rationes omitto.

PROPOSITIO IV.

Materia prima, juxta Aristotelem, est primum subiectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidentis: & si corruptitur aliquid, in hoc abibit ultimum.

Sic, eisdemque verbis explicat Philosophus materiam primam lib. 1. Phys. tex. 82. Quam genuinam esse illius definitionem inde patet, quod soli mat-

eria

riæ primæ competat, & eam ab aliis omnibus distinguat; per voces enim illas, *ex quo aliquid fit, cum insit*, excluduntur causæ externæ, efficiens nempè, finalis, & exemplaris: non enim ex ipsis res dicuntur fieri, sed tantum ex causa materiali, ab efficienti produci afferuntur, idque propter finem, & secundum exemplar, seu ad instar illius. Per easdem item voces excluditur forma, sumpta generaliter pro rei quidditate, prout nempè eam in praesenti accipit Aristoteles, ut postea dicam. Per easdem etiam voces, *cum insit*, excluditur privatio, quæ ut diximus, in genito non permanet. Per illas verò voces, *cum insit, non secundum accidens*, ea omnia excluduntur, quæ composito jam in suo esse constituto, adveniunt, quæque simul cum ipso totum, quod vocant accidentale, constituent: cuiusmodi sunt vestitum esse, album esse, musicum esse, &c. vox autem illa *subiectum*, ponitur loco generis, quo materia prima convenit cum materia secunda, ex qua immediate formantur artefacta, & multa saltim corpora naturalia; per id autem, quod additur, *primum subiectum*, ab hujusmodi materia secunda distinguitur. Quod ut clare percipiatur, exemplis illustremus.

Ex materia, & forma ipsis consurgit æs: ex ære autem configitur statua: æs itaque est materia immediata statuæ, quia ex ære immediate configitur: idemque est ejusdem materia secunda, eo quod aliam presupponat, nempè illam ex qua fit coalescit: & hæc quidem est materia prima, quod aliam non presupponat, ex qua generentur. Similiter elementa vulgaria sunt materia proxima ex qua mixta componuntur; quoniam verò quolibet ex ejusmodi elementis ex alia materia, & propria forma coalescit, ideo prædicta elementa sunt materia secunda mixti: materia verò elementi, cum aliam

ex

ex qua ipsa fiat, non presupponat, est materia prima. Patet itaque materiam primam esse *primum subiectum*, *ex quo cum insit, corpus naturale fit, seu componitur*. Quoniam autem necesse est, ut synthesi, seu compositioni, analysi, seu resolutio omnino respondeat, idcirco addidit Aristoteles ultima illa verba, *& si quid corrumpitur in illud abit ultimum*. Dum enim mixtum corrumpitur, resolvitur primum in elementa communia; elementa autem hec, si resolvantur, in materiam illam primam, seu in prima componentia resolvuntur. Ubi vides illud quod est primum in synthesi; in analysi esse ultimum.

PROPOSITIO V.

Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis.

ITa Arist.lib.1.Phys.tex.82. Ratio autem est, quia si generaretur, ex alia materia fieret: quod enim generatur, ex alio fit, ut postea ex eodem Philosopho dicetur: sed si materia prima ex alia fieret, jam non esset prima: ergo non potest generari. Similiter neque potest corrumpi: si enim corrumperetur in aliam materiam resolvetur: ergo jam non esset id, in quod ultimo resolvitur, quidquid corrumpitur: contra id quod dictum est in præced. ergo est incorruptibilis.


PROPOSITIO VI.

Materia prima ex se neque est quid, neque quantum, neque quale, nec aliquid aliud ex his, quibus ens determinatur.

ITa tenet expressè Aristoteles lib.7. Metaph. tex. 8. ubi ait: *Dico autem materiam, que per se ipsam neque quid, neque quantum, nec quidquam aliud dicitur,*

tur, quibus ens determinatur. Quod ita intelligas velim, quod nemp̄ materia prima ex se, seu ex proprio formalique conceptu, nihil sit aliud, quam potentia, ut quascumque formas recipiat: cumque formæ, ut statim dicam, sint actus; materia prima ex proprio, ac formalī conceptu est tantum potentia ad actus: sicutque quatenus talis, nullum dicit actum, neque substantiale, neque accidentalem: ideoque ex se non est quid: id est, non est aliquid substantiale determinatum; videlicet neque est ignis, neque aér, neque terra, neque lapis, neque planta, &c. Deinde neque quantum, saltim sensibile, & Physicum. Neque quale, quia nec calida est, nec frigida, &c. Nihil ergo est ex his, quibus ens determinatur, seu non est tale specie ens; sed potius est omnia in potentia, seu potentia ut omnia ex illa fiant.

Hinc in hoc sensu materia prima est pura potentia, ex se enim, seu in suo formalī conceptu, nullum actum includit; cum potius si ad omnes actus poterit: neque actū in rerum natura habet propriam existentiam independenter à forma: non enim existit, neque unquam extitit materia nisi formata hac vel illa forma: unde semper est, aut terra, aut aqua, aut aér, aut ignis, aut lapis, aut metallum, &c. Unde cum aurum, ex.gr. est, aut in aurum formata, existit existentia auri, ratione illius formæ, quam induit; & similiter in aliis: ideoque à Peripateticis asseritur materiam primam existere existentia compositi, quam certe habet ratione illius formæ, qua formata est. Sed hæc de materia prima juxta Aristotelis mentem, nunc dicta sufficiant, & ad ulteriora pergamus.



PROPOSITIO VII.

Hinc in rebus corporeis necesse est dari formam.

Nomine Formæ, ut ex dictis jam satis colligi potest, intelligitur id quod formaliter determinat materiam, ut actu certam aliquam speciem entis efficiat: ideoque quemadmodum materia dicitur *potentia*, forma apud omnes appellatur *actus*. Hoc posito, demonstratur propositio. Omnes enim res corporeæ, quotquot sunt, actu sunt; & actu aliquid physicum, & determinatum sunt, nemp̄ aut sunt aér, aut ignis, aut planta, &c. nihil enim indeterminatum existit: ergo res corporeæ nō sunt sola potentia ut sint aér, aut ignis, &c. ergo ulterius includunt actum: constant ergo potentia, & actū: atqui, ut diximus, potentia illa est materia; actus verò est forma: ergo præter materiam necesse est dari in rebus corporeis formam.

PROPOSITIO VIII.

Forma, juxta Aristotelem, est ratio quidditatis, seu efficiæ.

ITa enim ab Aristotele definiri ex quamplurimis locis constat, patebitque clarissimè in iis, quæ inferiùs adducentur. Ad pleniorē autem hujus rei intelligentiam supponendum est, formam generaliter acceptam nihil aliud esse, quam actus, & perfectio: id enim sonat vox Græca *Entelechia*. Sumitur autem forma variis modis: primò pro pulchritudine, sic quæ pulchra sunt, formosa vocantur. Secundò pro perfectionibus accidentalibus, rem nemp̄ in suo esse completam, ulterius actuabitibus, seu eidem ulterius aliquale esse tribuentibus: sic albedo dicitur forma accidentalis papyri, quia papyro in suo esse jam completa, advenit, & tribuit es-

se actu albam. Tertiò sumitur forma pro perfectione materiam primam actuante, ut certam speciem entis corporei constitut: & hanc speciatim appellat Aristoteles rationem *essentiae*, seu *quidditatis*, quia nempè est ratio formalis, qua illud ens tale sit: exem. gr. forma plantæ est ratio cur corpus illud naturale planta sit: ideoque est ratio *essentiae*, seu *quidditatis* plantæ, quæ aliis verbis *quodquid erat esse illius*, solet etiam ab Aristotele nominari, ut ex ejusdem verbis statim patet, ex quibus alia juxta illius mentem circa *essentiam*, & notionem formæ colligentur.

PROPOSITIO IX.

In generatione substantiali, juxta Aristotelis mentem, neque materia fit, neque forma; sed tantum compositum.

Hanc esse Aristotelis mentem ex ipsius verbis, & Angelici Doctoris expositione evidenter convincitur: ideoque sufficiet præcipua eorumdem testimonia hic apponere. Aristoteles itaque lib. 7. Metaph. cap. 8. tex. 26. &c. 27. satis extensem probat solùm compositum fieri; non autem materiam, quæ ingenerabilis est, & generationi præsupponitur: neque formam, cuius rei probationem his verbis concludit: *Manifestum igitur est, quod neque species fit, aut quodcumque nominare oportet formam.* Id autem quod prædicto capite de formis substantialibus dixit, postea cap. 12. ejusdem libri, tex. 32. ad formas etiam accidentales extendit, dicit enim, *non enim fit qualitas, sed quale lignum; nec quantitas, sed quantum lignum, &c.* Præterea lib. 1. Phys. tex. 64. afferit: *Manifestum est ex dictis, quod omne quod fit semper compositum est.* Non ergo juxta sententiam Aristotelis forma fit, sed tantum compositum.

To-

Totam autem Philosophi doctrinam prædictis locis contentam, optimè explicat S. Thomas diversis in locis, sed præcipue lib. 7. Metaph. 7. cuius expositionem hoc loci transcribo, ut tum Angelici Doctoris, tum Aristotelis mens omnino pateat. Ait itaque Philosophum exponens: *Primò ostendit quod forma non generatur, nisi per accidens. Secundò quod compositum generatur. Dicit ergo primo quod omne quod fit, fit ab aliquo, & hoc est agens, vel generans, à quo est principium generationis: & quod omne quod generatur, generatur ex aliquo, scilicet materia. Et tertium quod in omni generatione oportet esse aliquid quod fit, & hoc est sphæra, vel circulus, vel quodcumque aliud. Ex istis suppositis debet esse manifestum, quod sicut agens generando non facit materiam, vel subiectum generationis, quæ est as; ita etiam non facit formam, scilicet hoc ipsum quod est sphæra, ni fortè per accidens, facit enim aream sphæram, quod est compositum: & quia aenea sphæra est sphæra, ideo per accidens facit sphæram. Quod autem agens non faciat materiam, per se est manifestum, eo quod materia præexistit factio[ni]. Sed de formis poterat esse dubium, eo quod forma non inventatur, nisi in termino actionis, & ideo oportuit Aristotelem probare quod forma non fieret, nisi per accidens. Et hoc ideo est, quia forme non propriè habent esse, sed magis sunt, quibus aliqua habent esse. Unde si fieri est via in esse, illa tantum per se fiunt, quæ per formas habent esse. Formæ autem incipiunt esse eo modo quo sunt in illis factis, quæ per formas esse habent. Et quod forma non fiat, sic probat.*

Facere enim hoc aliquid, est facere hoc ex alquo subiecto, quod est universaliter verum in omni generatione: facere enim hoc quod est as rotundum, non est fa-

facere hoc ipsum quod est rotundum, scilicet rotunditatem, aut hoc ipsum quod est facere sphēram, scilicet formam sphēræ; sed est facere aliiquid alterum, scilicet speciem, non qualitercumque, sed in alio scilicet in materia, quod est facere compositum. Quod sic patet. Si enim agens facit aliiquid, oportet quod faciat ex aliquo alio sicut ex materia, sicut agens dicitur facere sphēram aream: Et hoc ideo, quia facit hoc quod est sphēra crea ex hoc quod est as: si igitur etiam ipsam formam faciat, palam erit, quod faciet eam similiter, scilicet ex aliqua materia: Et ita sicut sphēra area erit composita ex materia, Et forma, sic Et forma sphēra area erit composita ex materia, Et forma: Et redibit eadem questio de forma forme, Et sic in infinitum: Et ita generans procederet in infinitum, quia omne generatum habet materiam, Et formam. Palam igitur est quod non fit species rei generate, nec aliiquid aliud quodcumque sit, quod oporteat vocare formam in rebus sensibilibus, Et c.

Ad majorem autem expressionem addit ibidem S. Thomas: Sciendum tamen est, quod licet in littera dicatur, quod forma sit in materia; non tamen propriè dicitur; forma enim propriè non sit, sed compositum: sicut enim forma dicitur esse in materia, licet forma non sit; sed compositum per formam; ita etiam proprius modus loquendi est ut dicamus, compositum generari ex materia in talem formam: formæ enim propriè non sunt, sed educuntur de potentia materiae, in quantum materia, quæ est in potentia ad formam, sit actu sub forma, quod est facere compositum. Hic obiter vides educationem productionem non esse, nec quæ educi dicuntur, propriè produci, aut generari, cum formæ materiales educantur, minimè vero producantur, aut generentur,

Præterea quod juxta Aristotelis mentem neque formæ accidentales fiant, aut generentur, afferit S. Thomas le^t.8. ubi prædictis addit: Manifestat tertium, quod poterat ex dictis esse dubium: probaverat enim quod formæ non generantur, sed composita: posset autem aliquis dubitare, utrum hoc verum sit solum in formis substantialibus, aut etiam in accidentalibus. Cui dubitationi hic satisfacere intendit. Unde duo facit: primo ostendit quod hoc est verum in utrisque, dicens, quod ratio superioris posita non solum ostendit speciem, id est, formam, non fieri (de substantia) id est, de prædicamento substantie; sed communis est similiter (de omnibus primis) id est, de predicationis, sicut de quantitate, Et qualitate, Et aliis predicationis, sit enim quod est compositum, sicut area sphēra, (sed non sit sphēra) id est, quod se habet per modum formæ, (nec as) quod se habet per modum materiae. Et post paucā ait: Non enim sit (quale) id est, ipsa qualitas, sed hoc totum quod est quale lignum: nec sit (quantum) id est, ipsa quantitas, sed lignum quantum, Et c.

Tandem id omne confirmat S. Thomas 1.par. quest: 65.art.4.in corp. ubi loquens de his qui querebant causas formarum, ait: Quærebant causas formarum, ac se ipsæ formæ fierent secundum se ipsas; sed sicut probat Aristoteles in 7.Metaph. id quod propriè sit, est compositum; formæ autem corruptibilium rerum habent ut aliquando sint, aliquando non sint; absque hoc quod ipsa generentur, aut corrumpantur, sed compositis generatis, aut corruptis; quia etiam formæ non habent esse, sed composita habent esse per eas. Alia tum Aristotelis, tum S.Thomæ testimonia omitto: haec enim sufficiunt, ut aperte eorum mens inconclusa habeatur; juxta quam est manifestum formas materiales neque

substantiales, neque accidentales fieri, nec generari, sed solum composita: licet in aliquo sensu, satis improposito fieri dicantur, quatenus nempè compositum sit; seu formatur materia hoc, vel illo modo, ut nempè hoc, vel illud compositum, seu ens naturale constituat.

C A P U T II.

Rerum corporearum primordia, seu entis naturalis principia physicè determinantur.

PROPOSITIO X.

Principia intrinseca corporis naturalis in facto esse, sunt Materia, & Forma; prout tamen ab Aristotele exponuntur, nihil ferè ad Philosophiam naturalē adipiscendam servinunt.

PRINCIPIA extrinseca rerum corporearum esse materiam, & formam, ex dictis in precedentibus satis colligitur: quid verò sit tum materia, tum forma, non nisi valde obscurè: compertum enim est prefata corporis naturalis principia, non nisi metaphysicè, & in abstracto fuisse ab Aristotele assignata, & cum ea quæ de eisdem afferit, & determinat, solummodo esse metaphysicas quasdam præcisiones, quibus physicæ res numquam satis exponuntur, nisi ulterior, eaque contractior accedat explicatio. Quærat aliquis exempl. gr. ex quibus, ceu intrinsecis principiis, domus coalescat: respondeam autem ego coalescere ex materia, & forma domus: materiam autem esse id ex quo cum domui insit, domus sit: formam verò esse rationem quidditatis ipsius domus, seu actum, quo materia

de-

determinata est, ut domum componat. Hac certè responsione verum dixi, sed interrogantem doctorem non feci: ideoque merito rursus inquiet, quid nempe sit materia illa, seu id ex quo inexistenti facta sit dominus: quidve similiter sit actus ille, seu quidditatis ratio, quæ forma dominus appellatur. Questioni itaque proposita nunquam faciam satis, donec reponam: materiam dominus esse ligna, cæmenta, lapides, &c. formam verò esse horum omnium talem juxta regulas Artis dispositionem, & ordinem, qualis ad commodam, & salubrem hominum habitationem requiritur.

Similiter itaque quærenti, quæ sint intrinseca entis naturalis principia adstruit Aristoteles esse materiam primam, & formam: materiam autem primam esse id ex quo primo inexistente fit ens naturale; formam vero esse rationem quidditatis, seu id quo illud ens naturale est tale; seu actum primum, quo materia ad illud comprehendendum determinatur. Quod quidem esto verum sit, nihil tamen hac Aristotelis doctrina sumus doctores; nisi ulterius addatur, quid nempè physicè sit illa materia, quidve illa forma, quam Philosophus ille sub abstractionum umbellis delineatam exhibuit. Id insigni studio conati sunt cæteri Philosophi Aristotele antiquiores, ut ex his, quæ prop. i. diximus patet: Aristoteles vero circa id nec verbum protulit, ea fortè versutia ductus, qua sibi cavere voluit, ne si in re satis difficili meliora non proferret, à posteris carperetur. Hinc talem principiorū explicationem exhibit, quæ omnibus pene sententias convenire posset. Id autem patet in his, quæ sequuntur, quæ tantum exempl. gr. adduco; non enim eis ratio primi principii convenire potest. Dixit itaque Thales Milefius rerum omnium materiam, primumque principium esse aquam: præsto adest Aristoteles,

teles, sigeritque, si ita sit, aquam esse primum ex quo
inexistente omnia fiant. Surgit Anaximenes dicens aë-
rem esse primum rerum corporearum principium: si
ita ergo sit, ait Aristoteles, aër est id ex quo, cum pri-
mo insit corpora sunt. Dicit Heraclitus ignem esse re-
rum corporearum materiam, primumque principium:
si ita ergo sit, ait Aristoteles, aër est id ex quo cum pri-
mo insit res corporeæ sunt; & sic de aliis. Non ergo
ex Aristotelis Schola doctiores evadimus, in iis præfer-
tim, quæ ad rerum naturalium primordia spectant:
oportet itaque ex Aristotelis cancellis profilire, & quid
physicè ea sint, qua nostræ inbrevitati concessum fue-
rit, investigare; licet enim cuncta prospicere sit admo-
dum difficile; juxta Poëtæ tamen confilium.

Est aliquo prodire tenus, si non datur ultra.

PROPOSITIO XI.

*Compositum artificiale, ejusque materia, & forma
explicantur.*

Compositi artificialis cognitionem non parum con-
ferre ad intelligentiam compositi naturalis, satis
nos docet Aristoteles, qui locis suprà adductis, aliisque
quamplurimis, compositi naturalis intrinseca principia,
materiam videlicet, & formam, per artefactorum mate-
riam, & formam nobis exponit. Idcirco opere pre-
mium duxi compositi artificialis explicationem præmit-
tere, ut ea quæ de naturali dicturi sumus, facilius perci-
piantur.

Compositum artificiale ex materia, & forma coales-
cere certum est. Et quidem quantum ad materiam, pa-
tet: non enim artifex nisi in materia, & ex materia ope-
ratur. Qualiter enim Statuarius statuam ligneam sine
ligno conficiet? aut Architectus domum absque lapi-
dibus,

dibus, lateribus, cémentove architectabitur? Certe si
Artifices materia non indigerent, infinita possent confin-
gere artefacta: certum est igitur hæc ex materia consta-
re. Ulterius autem includere formam, etiam est evidens:
lignum enim informè, ac rudum, lignum tantum est,
non statua. Æs similiter, nisi in phyalam conformetur,
æs tantum erit, non phala, & sic de aliis: materia ita-
que artefactorum formam adjici necesse est, ut artefa-
cta conficiantur. Hoc supposito, tantillum in ma-
teria, formæque artefactorum speculatione immo-
ratur.

1. Materia artefactorum est id, ex quo inexistente,
artefacta sunt, & id in quo abeunt, cum destruuntur:
sic statuæ ligneæ materia lignum est, quia ex ligno, ei-
dem inexistente, facta est: & quia si in frusta discindi-
tur, in ligni tantum particulas dissolvitur. Sic etiam
materia domus sunt lapides, lateres, cémentum, ligna,
&c. quia ex iis, eidem domui inexistentibus fabricata
est: & in quæ, cum diruitur, abit; ea enim destruenda
non nisi dispersi lapides, lateres, &c. remanent, veteris
nempè ædificii rudera: & sic de aliis.

2. Hæc artefactorum materia, si præcisè, ut eorum
materia est, consideretur, pura potentia est ad omnes,
tamque diversas artefactorum formas: omnes autem
hujusmodi formæ in illius materiæ gremio simul conti-
nentur; non quidem actu, sed potentia. Quid enim ma-
gis perspicuum, quam ex eodem ligno, & Sancti Petri
statuam, & Sancti Pauli, &c. fieri posse. Cumque illud
idem lignum, in qualibet earum, cum facta est, existat,
certè in eodem ligno omnes, antequam fiant, existunt;
non quidem actu, cum adhuc in actu non fuerint ab
Artifice eductæ; sed tantum in potentia, quatenus nem-
pè lignum, in quamlibet ex illis conformari potest. Hinc
vides

vides materiam artefactorum eisdem præexistere; non quidem sub forma illius artefacti, sed sub forma, & actu, ex.gr. ligni.

3. Forma autem artefactorum physicè consistit in ipsis eorumdem materia partibus, quatenus nempè taliter sunt dispositæ, ut artefactum illud configant. Hoc est, cum semotis partibus superfluis, quæ residuæ sunt, tali inter se distantiæ sint constituta, talique symmetria coordinata, ut Artificis idea conformentur. Si enim ex ligneo parallelepipedo, ita partes superfluae auferantur, ut reliqua talem symmetriam obseruant, ut Regem referant, habebitur Regis statua eruta ex ligno, ubi in potentia latebat, quo posito, lignum in imaginem formatum esse dicimus, seu formam imaginis ipsi inducam, & ab eodem eductam affirmamus, eo solum quod ablatis superfluis, ceteræ ita sint ordine prædicto dispositæ: in hoc ergo solum artefactorum forma consistit.

4. Hinc patet ab Artifice neque fieri materiam statuæ, ex.gr. ligneæ, quia materia, seu lignum eidem præsupponitur: neque formam, ut dixit Aristoteles, nisi valde impropriæ: quod enim efficit artifex, solummodo est artefactum, seu statua lignea. Ratio autem cur propriæ formam statuæ non efficiat, est quam locis superius adductis adstruit ex Philosopho S. Thomas, quia nempè forma illa ex nihilo fieret: non enim fit ex ligno, aliter illa forma etiam constaret materia, & forma; & de hoc idem rediret argumentum, sicut in infinitum: non ergo fit ex ligno: ergo fieret ex nihilo, quod creaturæ impossibile est: propriæ itaque forma statuæ ab Artifice non fit: impropriæ tamen ab eo fieri dicitur, quatenus nempè lignum in statuam format, seu efficit statuam ligneam, ut aperte ait S. Thomas supra citatis.

5. Demùm ex formæ artefactorum notione suprà explicata colligitur, formas eorum supra entitatem materialæ, nihil addere entitativum; sed tantum aliiquid modale: ablatio enim partium superfluarum, ac residuarum coordinatio, debita ab invicem distantiæ, earumdemque situatio, & symmetria, nihil sunt entitativum, præter partes materiæ illo modo dispositas, & coordinatas: solum ergo supra illas quid modale reperitur, tales nempè ubicationes, quæ prædictas distantiæ, & symmetriam obseruent, quibus materia illa rectè in illud artefactum formata dicatur. Totum autem id Artificem non aliter, quam per motum localem efficere, ipsa experientia testatur.

PROPOSITIO XII.

Artefactorum doctrina compositis naturalibus applicatur.

P Rædictam artefactorum doctrinam non modicum lucis afferre, ut rerum naturalium structuram, aliquin in obscuro latentem, introspicamus, inde patet, quod Ars naturam in operando plurimum imitetur. 1. Enim natura, & Ars in eo convenient, quod utriusque opera certis, statisque legibus perpetrentur. 2. Cum Ars, tum natura ab imperfectionibus incipiunt, sensimque ad perfectiora procedunt. Sic pingendi Ars primo suscepit opus leviter super tabula adumbrat, tum colorum varietate distinguit: donec adhibitis hinc umbris, illinc luminibus, paulatim perficiat: similiter etiam natura dum fatum effingit, initio rude quid, & indistinctum exhibet, paulatim vero, ejusdem obstrictante manu, membra distinguit, format, ac perficit. 3. Quemadmodum Ars naturam, ita natura Deum supponit: sicut enim Ars nihil efficit nisi ex præsupposito sibi

fibi composite physico, in quo artificiosam formam concinnet: ita natura nihil gignit, nisi ex prejacente materia à Deo creata, in quam naturalem formam inducat: sic rerum ordine procedente: ut Deus proferat eas ex nihilo: natura, ex ente in pura potentia physica: Ars, ex ente in actu physico existente: Deus creando: natura gignendo: Ars verò componendo, ac concinando. Alia adhuc sunt in quibus Ars cum natura convenit, sed memorata sufficiunt. Nunc autem ea, quæ de compositis artificialibus precedentibus propos. dicta sunt, naturali composite applicemus.

Artifex igitur cum statuam Regis, ex.gr. conficit, lignum scindit, ab eo superflua adimit, qua refectione superfites ligni partes tali situ, talique symmetria dispositas relinquit, ut jam lignum illud Regis effigiem omnino referat: hocque est, & nihil aliud Artificem statuam efficere: cuius materia lignum est; forma verò, dispositio illa, ac symmetria: & horum quidem nec materiam efficit, quæ lignum est, operationi præexistens; nec symmetriam illam propriè efficit, quæ forma est in abstracto sumpta; sed tantum statuam ligneam efficere asseritur, quatenus nempè motionibus illis, prefatam statuam symmetriam ligno inducit; seu potius lignum in statuam efformat, ut ex dictis præced. propof. colligitur.

Similiter itaque dicendum videtur in compositis naturalibus, exempli gr. in Planta. Agens enim naturale ex prejacente materia, quæ semini terræ mandato inexsistit, plantam gignit, non certè aliter, quam materiam illam movendo, quo quidem motu, eam in varia filamenta dicit, ex quibus invicem complicatis, subtilissimos extruit ductus, quibus alimentius humor exugatur, ac in caulem ascendat; adscitis dein ulterioribus ex humore

particulis; accrescent fibræ, quæ deinceps in varios complicate plexus, subingresso mox humore, tumescunt in gemmas, quæ postmodum dilatantur in folia: ulterius autem multis circulationibus filtratus humor, subtilior evadit, quo flores procreat, tandemque matu- rescunt fructus.

Vides hic compositum istud naturale, quod planta vocatur, non nisi motu locali à naturali agente gigni, quod quidem materiam primam non efficit, quam præsupponit; nec formam plantæ ut sic acceptam; hæc enim aliud non est nisi dispositio illa mirabilis, quam mox exposuimus, quæ non aliter fit, nisi quatenus compositum illud, seu planta, eo quo diximus modo, generatur. Quod verò hoc tantum, & non aliud, sit plantæ forma, inde suadetur, quod hoc solo posito, omnia quæ in planta observantur phænomena, rectè explicentur: & consequenter si quid entitatis ultra superadditur, frustra, & sine fundamento additur, & ea libertate qua asseritur, eadem negatur. Hæc tantum leviter indicasse sufficiat; füssius enim suo loco exponentur.

§. I.

Materia prima rerum corporearum physicè con sideratur.

PROPOSITIO XIII.

Omnia corpora sensibus obvia divisibilia sunt.
P Atet. Omnia enim corpora vel mixta sunt, vel ea, quæ communiter elementa dicuntur. Si mixta, dividii possunt in elementa; si elementa, quantumvis simplicia dicantur, eorum tamen moles in partes integrantes dividi possunt: ergo quodlibet corpus, saltim sensibile, est divisibile in partes. Sic lignum secas, finis,

dis, & in minuta frustula redigis. Sic lapidem frangis, tundis, & ad minutissimum pollinem reducis.

PROPOSITIO XIV.

Omnia supradicta corpora in particulas, supra nostrum sensum minutissimas dividuntur et possunt.

Experientia patet: instrumentis enim etiam communibus, terra, arena, vitrum, metalla, &c. in innumerabiles, ac minutissimas particulas dividuntur. Terra namque contusione in subtilissimum pulverem conteritur: metalla, in pusillam scobem, & ramenta reducuntur: demum aquæ stygiæ præsidio, in fere insensiles particulas dissolvuntur. Quam autem sint subtilia corpuscula, in quæ corpora dividi possunt, & ex quibus coalescent, inumeris convincit experimentis, quorum aliqua sequenti propositione adducam, ut corpuscularis Philosophia fundamenta, super hoc etiam levissimo pulvere jaeta, firma tamen, ac stabilia esse demonstrentur.

PROPOSITIO XV.

Hinc quodlibet ex dictis corporibus, ex minutissimis supra sensum nostrum corpusculis, componitur.

Cum enim (14.) in illa minutissima corpuscula divisibile sit, certè ex prædictis componi necesse est: synthesis enim, & analysis, seu compositio, & resolutio sibi invicem correspondent. Sic quia tela dividi potest in fila, rectè deducitur ex filis esse compositam: si ergo omnia corpora in minutissima corpuscula possunt dividi, certè ex minutissimis corpusculis erunt composita. Quantula autem sit prædictorum corpusculorum subtilitas, ex quamplurimis experimentis con-

vincitur, quorum aliqua hic referto.

Animalculum illud, quod ex græco *Acarus* appellatur, quasi ob nimiam ejus exiguitatem indivisibile sit, & insectile, tantulum est ut ejus tertia pars si separata esset, nullatenus visu discerni posse videatur. Hujus autem animalculi corpus organicum esse necesse est; & Engy scopio à Petro Gassendo cum observaretur, detectum in illo esse, non modo os, sive rostrulum cum proboscidula, qua perforat cutem, exugatque sanguinem, verum etiam duo antrosum cornicula ramosa, senosque pedes, totidemque crura, ita subtilia, ut tenuissimi pili speciem præferrent: alia etiam in eo observavit quibus animalculum illud, quemadmodum & alia viventia, suis motibus, & operationibus exequendis omnino indigit. Quam igitur exiles erant particulae, quibus tam exigui animalis subtilissima membra componebantur: certè eas omnem sensum fugere necessum est. Idque jam Lucretius lib. 4. licet hujusmodi experimentis, que Engy scopio perficiuntur, orbatus, sola tamen ratione naturali ductus, agnoscit, cecinitque: postquam enim illud præmittit.

..... Primordia tantum
sunt infra nostros sensus, tantoque minora,
quam que primum oculi ceptum non posse tueri.

Addit.

Nunc autem id quoque uti conformem, exordia rerū Cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis. Primum animalia sunt jam partim tantula, eorum Tertia pars nulla, ut possit ratione videri. Horum intestinum quodvis quale esse putandum est? Quid cordis globus, aut oculi? quid membra? quid artus?

Quantula sunt? Quid præterea primordia quaque,

Unde anima, atque animi constet necessum est?
 Hac autem corpusculorum exiguitas inde magis patet, quod Acari predicti ex ovis pronascantur, ut Robertus Boyle accuratissime observavit: tam exigui itaque animalculi, quam exiguum ovum, imo & Acari filii, cum intra ovum generari incipit, quam exile erit; cum capite, oculis, pedibus, ac nervis constet: hæc sane ita exilia esse necessum est, ut humanum captum talis exilitas excedere videatur. Ut autem hæc amplius patet, sequens adde experimentum, quo hujusmodi exilitas ad calculum revocatur.

Eustachius Divini microscopeum elaboravit lineas angentes 143. vicibus, & consequenter superficies 20449. & corpora 2924207. hoc itaque instrumento cum arenæ granula observaret, nuci magnitudine æqualia videbantur. Inter ipsa autem vermiculum vidit multitudinem candido, & spumoso dorso; verum ita exiguum, ut totum animal non majus appareret, quam nudis oculis unum minutissimum arenæ granum appetat: unde illius corpus erat 2924207. vicibus minus granulo arenæ: cumque multiples esset, cogita quæso; quam quilibet pes erat exilis, qui in re adhuc minor erat 2924207. vicibus, quam microscopei ope apparebat. Cogita nunc in quolibet pede nervos, musculos, ossa, aut his analogia, quæ ad motum sunt necessaria: cogita in minutissimo illo vivente, quot partes ad vitam necessarie debeat includi; oportet enim stomachum, atque intestina; oportet jecur; oportet venulas, quibus alimentum in totum corpus diffundatur; oportet arterias, quibus vitales spiritus; oportet nervos, oportet musculos, ac in ipsis fibras, atque tendines; oportet demum innumera alia, citra quorum subsidium animal, neque sentire, neque vivere, aut moveri potest.

Sed quid si microscopeum perfectius adhibeatur, quale certè fuit illud quo P. Franciscus Tertius de Lanis similes vermiculos observavit, quod lineam tercenties augebat: & consequenter superficies 90000. corpus vero 27000000. Hoc autem engyscopicò vermiculi pedes subtilissimo filo serico crassiores non apparebant: cumque 27000000. vicibus subtiliora re ipsa essent, quam engyscopicò exhibebantur, in incredibilem penè exiguitatem corpuscula illos componentia abire videbis.

Hinc jam multum mirabere industriam naturæ manum, quæ in hujus viventis tam exili corpusculo tantam partium multitudinem distinxerit, secreverit, usurpaverit, concinnaverit, ac miro ordine disposuerit: perspicue enim

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Quamplurima alia possem hic experimenta congerere: verum hæc sufficiunt, ut evidenter pateat omnia corpora ex corpusculis, seu particulis supra nostrum sensum minutissimis integrari.

PRÓPOSITIO XVI.

Predicta corporum divisio in minutissimas particulas in infinitum procedere non potest.

Corpus quodvis continuum esse in infinitum divisibile in partes, quas proportionales appellant, tenent communiter Thomistæ, quibus in hoc adhæret Cartesius, ejusque assclæ; & quotquot atomos, seu insectilia corpuscula à rerum corporearum natura proscribunt. Afferunt itaque quodlibet corpus, imo & quilibet ejusdem minutissimam particulam, ita esse divisibilem in partes proportionaliter decrescentes, ut impossibile sit, nec per totam æternitatem, ad divisionis

terminum devenire. Oppositum tenent quamplurimi Philosophi, etiam ex his qui se Peripateticos esse profertur. Licet autem haec non sint nunc pro dignitate tractanda, sed infra cum de continui compositione: ex his tamen quæ eo loci sumus dicturi, oportet nunc aliqua prælibare, ut ea quæ de rerum primordiis stabilenda sunt, pleniùs concipientur.

Dico itaque corpora, licet in minutissimas supra sensum particulas divisibilia sint, hanc tamen divisionem in infinitum procurrere non posse; sed tandem deveniendum ad insectilia, seu indivisibilia: quod nunc sic breviter suadeo. Nam progressum in infinitum tamquam impossibilem, & contra naturam institutum, ubique rejiciunt Peripatetici: ergo neque in corporum divisione admittendus est: nō ergo corpora sunt in infinitum divisibilia. Præterea nam partes omnes, quæ corpus componunt, quamvis minutissimæ sint, actu in illo reperiuntur: ergo si corpus est in infinitum divisibile, erunt in illo partes actu infinitæ: cumque corpus illud terminis circumscribatur, certè dabitur actu infinitum, idque terminis circumscriptum.

Deinde omnes, cuiusvis corporis particulae, quotquot sint, sunt actu inter se distinctæ, & ab invicem separabiles: ergo omnes possunt à Deo separari, non tantum quidem successivè, ut à nobis concipiatur, sed in unico eodemque instanti: sed facta hac separatione, quelibet pars esset jam ulterius insectilis: ergo corpus continuum non est in infinitum divisibile; cum facta omni separatione, ad insectilia tandem deveniatur.

Ad primam rationem plerique respondent, partes quidem esse infinitas potentia, non actu, ideoque non sequi infinitum in actu. Ad secundam verò dicunt, quamlibet continui partem ab omni alia posse separari di-

distributivè, hoc est, ab illa, aut illa, &c. non verò ab omnibus collectivè. His similibusque solutionibus oppositi Auctores tenebras ipsis rebus conantur effundere, ut subobscura illa nocte protecti, difficultates tutius effagiant: haec tamen effugia, cum de continui compositione erit sermo, pracludere curabo: nunc satis.

PROPOSITIO XVII.

Hinc in rerum corporearum natura dantur atomi, ex quibus cuncta corpora componuntur.

Probatur, nam (16.) corporum divisio nequit in infinitum excurrere: ergo tandem oportet ad insectilia, & indivisibilia: sed hujusmodi indivisibilia atomi appellantur: ergo corporum continuata divisione terminatur in atomos: sed ea in quæ corpora dividiri possunt, in ipsis corporibus actu existunt, ut ex dictis constat: ergo atomi in corporibus actu existunt: omnia itaque corpora ex insectilibus atomis componuntur. Quoniam verò atomorum nomen, nescio qua ratione in Scholis habeatur exosum: idcirco sequenti propositione præcipua, quæ ad earumdem naturam, & notionem spectant, exponere decrevi, ut nempe pateat ab ingenti saltim Peripateticorum parte, alio licet nomine, communiter admitti.

PROPOSITIO XVIII.

Præcipua, quæ ad atomorum notionem spectant, explicantur.

A Tomus, ex greca voce Atomon dici compertum est, quæ idem sonat, atque insectile, infuscabile, impertibile, infrangibile, atque indivisibile: & quoniam atomorum exilitatem tantam esse necesse est, ut nullo sensu percipi possint, idcirco atomi invisibles, ac in-

in sensibiles etiam appellantur. Et præterea quia sectiones sunt omnino incapacia, *solida* à plerisque speciali titulo dicuntur, ut nempè à corporibus concretis, seu compositis distinguantur, quæ vel ob inanis admixtionem, ut multis placet; vel ob partium ea componentium distinctionem, ac separabilitatem, non ita penitus solidæ dici mereantur: ideoque ab Aufonio *de rat.lib.* sic describuntur.

..... *Tenuissima tantis*

Principia, & nostros non admittentia visus,
Parvarum serie constant connexa atomorum,
Sic solidum imprimis, nullique secabile segmen, &c.
 Quidquid verò sit de vocis proprietate, nihil aliud atomos vocamus ex communi tum antiquorum, tum neotericorum sensu, nisi insectilia, & indivisibilia corpuscula, ex quibus primum omnia corpora componuntur; & in quæ, si facta fuerit corporum totalis divisio, tandem ventum esset.

Quis autem fuerit primus qui atomorum opinionem in Philosophiam invexerit, incertum est: ut enim testatur Petrus Gassendus *Phys. sc̄t. I. lib. 3. cap. 5.* per celebre est Epicurum doctrinam de atomis ex Democrito fuisse mutuatum: non quod Democritus omnium primus de atomis disputaverit tamquam illarum primus inventor, ut Minutio Fælici visum; sed quod rem præceteris illustrat: Leucippi enim discipulus fuit, qui primus, si Laertio credendum, principia rerum atomos statuit. Si credendum, dixi, nam ne Leucippus quidem ipse videtur primus omnium docuisse de atomis, cum Posidonius Stoicus, referente Empyrico, Mosco cuidam Phœnici id tribuat: & Strabo idem referens, vixisse hunc Moscum adjiciat ante belli Trojani tempus, ut jam alibi diximus, ipsique Conimbricenses referant.

Sed

Sed ne tam altè recedamus, videntur profecto plerique ex antiquis Philosophis, sub aliis licet nominibus, atomos admisisse. Quid enim Pythagoras, ejusque discipuli intellexere, cum monadas, seu unitates inter rerum principia constituebant, nisi atomos, ut probat Gassendus *Phys. sc̄t. I. lib. 3. cap. 4.* quarum diversos numeros variis rebus adsignabant. Quid autem aliud voluisse potuit Empedocles, cum sua illa quatuor elementa composita ex fragminibus quibusdam minutissimis, qua quasi elementa elementorum esse censuit, ut resert Plutarchus: qui & adjicit Heraclidem similiter induxisse ramenta quedam minima, & impartibilita. Quid Plato, quando in Timeo, eodem modo quo Empedocles, quatuor elementa in eas communiti particulas, quæ ob exiguitatem inconspicua sint, & mente folium intelligantur. Quid Xenocrates, cum quemadmodum & Plato, magnitudines statuit individuas (intellige adjectivæ). Quid etiam aliud nisi atomos intellexere Heraclitus Ponticus, & Asclepiades Bithynius, dum referente Empyrico, *incompositas moleculas* adstruxit, quas Galenus idem esse ait cum ipsismet atomis Democriti, & Epicuri. His adde Diodorum Cronum Menestheum Medicum, Artemidorum, & alios. Unde valde mirandum videtur, quare Lactantius Firmianus in hac verba proruperit: *Ubi sunt, aut unde ista corpuscula? cur illa nemo, præter unum Leucippum somniauit, à quo Democritus eruditus, hereditatem sicuti reliquit Epicuro.* Ubi alia addic adversus atomorum doctrinam, tum convitia, tum argumenta ad illam labefactandam satis inefficacia, & tanto Scriptori prorsus indigna: sed omnem admirationem à se depellet, quisquis videat ea, quæ Cardin. Belarminus *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, de operibus Lactantii dicit; ait:

50 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.

enim : *Ita erroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.* Nec immerito, nam ut ait S. Hieronymus in Epist. ad Galatas , lib.2. cap.4. Laertianus ob Sacrarum Scripturarum ignorantiam in enormes errores lapsus est.

Atomorum præterea doctrinam latinis versibus expressuit Lucretius; eandemque ex neotericis Petrus Gas-sendus instauravit : admittit etiam eam P. Honoratus Fabri Soc. Jesu *Metaph.* lib.10. P. Casimirus Tolosates *Phys.* part.1. art.4. quæst.1. Aut̄or item Phil. veteris, & nova R.P. Emmanuel Maignan *Phil. nat.* cap.7. part.4. & alibi. R. P. Saguens *Phys.* disp.5. art.4. & in suo Atomismo demonstrato; & alii quamplures : estque ut dixi satis communis etiam inter illos qui Peripatetum profitentur; multi enim continuum ex punctis indivisibilibus componunt. Quid autem puncta indivisibilia, nisi atomi. Est tamen discrimen inter Zenonis puncta, & Democriticas atomos, quod nempe illa omni extensione careant; iste vero inseparabiles licet sint, & indivisibles, extensionem tamen habere dicuntur : hanc autem non repugnare cum entitativa indivisibilitate, docui in *Metaph.* lib.3. à prop.31. ubi puncta entitatively indivisibilia, impenetrabiliter tamen extensa, actu in rerum corporearum natura existere stabilire curavi. Hac autem, & nihil aliud atomorum nomine intelligi volo: quod si atomi nomen refugis, dic puncta, dic indivisibilia, loquere prout tibi placuerit, per me licet.

PROPOSITIO XIX.

Atomorum in rebus corporeis existentia rationibus stabilitur, & ab oppositis vindicatur.

L Icet prop.17. atomorum existentia ex iis, quæ pre-

cedentibus propositionibus probata sunt, jam fuerit deducta. Nunc autem rem, tot ad adversantium telis impetratam, amplius muniamus oportet. Probatur itaque 1. Ex corporum divisibilitate, & analysi, que cum in infinitum excurrere non possit, ob rationes ibidem adductas, tandem ad indivisibilia pervenire, ac in eisdem terminari corporum divisiones, necessum est, ut loco citato diximus. Quibus nunc addo rationem hanc eandem proorsus eccl̄ cum ea, qua Aristoteles 12. *Metaph.* cap.3. Et 1. *Phys. tex.* 82. probat, imò demonstrat, effet necessariò admittendam in rebus materiam primam, quæ ingenerabilis sit, & incorruptibilis ; & in quam quidquid corruptio- terminatur : quam quidem rationem prop.3. retulimus, totaque ejus vis in eo stat, ut in rerum analysi, seu resolutione, aut corruptione, tandem venire oporteat ad aliquid, quod incorruptibile sit, & in quo tandem compositi corporei analysis sistat; idque ne in infinitum fiat progressus.

Similiter itaque Democritus, & Epicurus, ceterique atomorum assertores, cum cernerent corpora omnia dissolvi, ac dividi posse, sistendum necessariò esse duxerunt in quibusdam minutissimis particulis, jam ulterius inseparabilibus, quas *atomos* appellantur; idque etiam ne in infinitum fieret progressio. Et ut verum fatetur, non video qua consequentia hujusmodi in infinitum progressus à toto Peripatu, in rerum corruptione impossibilis asseratur; in corporum vero divisibilitate tam tenaciter retineatur. Si enim in rerum corporearum interitu, seu corruptione, necesse est in aliquo incorruptibili sistere, cur non etiam in corporum divisibilitate, in aliquo indivisibili non erit necessariò sistendum?

Dices, rationem esse, quia quantumvis in æternum

procedat corporum divisio, semper sit in particulas, quæ quantumvis exiles sint, quantitativas tamen esse oportet, & consequenter divisibiles; ideoque semper in partes ulterius divisibiles sit divisio. Sed contra, nam necesse non est, ut compositi corruptio semper fiat in composita; sed tandem devenire oportet ad aliquid, quod compositum non sit, sed pura potentia: ergo neque necesse erit, ut corporum quantitatiorum divisio semper fiat in alia quantitativa; sed pervenire oportebit ad non quantitativa: & consequenter ad ulterius indivisibilia: indivisibilia, inquam, vel Zenonica, quæ non probbo; vel extensa, quæ in Metaphysica non implicare, imò & actu existere dixi.

Probatur 2. Nam aliquid in rebus corporeis admittendum est, quod simpliciter, & ratione sui sit terminus creationis: sed in rebus compositis solum atomi, seu indivisibilia physica esse possunt simpliciter, & ratione sui termini creationis: ergo necesse est dari in rebus corporeis atomos, seu indivisibilia physica. Major solum ab Aristotele, & illis Ethniciis dubitari potest, qui ex nihilo nihil fieri posse censebant. Minor itaque probatur, nam illud solum est simpliciter, & ratione sui terminus creationis, quod ratione sui, & simpliciter sit ex nihilo: sed solum insectiles atomi, seu indivisibilia physica in rebus corporeis possunt predicto modo fieri ex nihilo: ergo sola haec in rebus corporeis possunt simpliciter, & ratione sui esse termini creationis. Minor probatur, nam exceptis atomis, cetera ex partibus sunt composita: sed composita simpliciter, & ratione sui, non possunt fieri ex nihilo: ergo sole atomi. Minor probatur, quod sit ex partibus, & in partes resolvitur, non sit ex nihilo: atqui compositum necessario sit ex partibus, & in partes resolvitur: ergo composita sim-

pli-

pliciter, & ratione sui non possunt fieri ex nihilo.

Hoc autem quamoptimum confirmatur ex ipso Aristotele, & S. Thoma, hic enim Philosophum exponens, variis in locis ait, partes se habere, ut materia respectu compositi. In 2. praesertim *Physic. lec. 5.* ait: *Omnis partes se habent ut materia, ut elementa syllabarum,* &c. quia nempe ex illis componuntur, suntque syllabæ: sed quæ ex materia componuntur, & sunt, non sunt ex nihilo: ergo composita, saltim ratione sui, non sunt ex nihilo.

Consulto tamen dixi in rebus corporeis solas atomas; non vero composita simpliciter, & ratione sui esse terminos creationis; nam composita in prima mundi conditione aliquo sensu ex nihilo facta, seu creata dicuntur, quatenus scilicet eoramdem partes, seu principia, non seorsum, sed invicem unita, fuerunt creata. Dum enim partes creantur unitæ, compositum rectè dicitur creari, quatenus nempe partes in ipso componenti actu creantur: sed id non ratione sui composito competit; sed ratione partium, quæ secundum se creantur. Id autem, nihilque aliud velle S. Thomam 1. part. quæst. 45. art. 4. pater, praesertim ex responsione ad quartum, ubi ait: *Compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis partibus in esse productur.* Id est, quatenus partes illius non presupponuntur prioritate temporis creatæ ante compositionem; sed in ipso compositionis actu sunt creatæ. Scio plerosque oppositum afferere, quod nempe partes prioritate naturæ presupponantur composito, ideoque non creata, sed generata sive volunt in prima mundi conditione; facta enim sunt ex presuppositis. Sed quæstio est de nomine: & quidquid sit, simpliciter, & ratione sui sole atomi, seu indivisibilia in rebus corporeis possunt creari; quia ea

ex nullis quovis modo presuppositis fieri possunt. Composita verò solum ratione partium ea componentium: quod de illis tantum compositis, quibus nulla praecesit prioritate temporis materia, intelligendum est, qualia forte fuere calum, & elementa in prima rerum creatione: nemo siquidem dicit hominem propriè creari, licet ejusdem materia, & forma creata sint.

Prædictam autem rationem majoris claritatis gratia, sic brevius propono. Aliiquid in rebus corporeis admittendum est, quod non nisi per creationem produci posset; sed omne quod ex partibus integrantibus compositum est, potest aliter produci, quam per creationem; nempe fieri potest ex prædictis partibus: ergo aliiquid in rebus corporeis admittendum est, quod non sit ex partibus integrantibus compositum: sed hoc necessariò est atomus, seu indivisibile physicum: ergo atomi, seu indivisibilia physica necessariò sunt in rebus corporeis admittenda. Major, ni fallor, à nemine negari potest: aliqua enim necessariò admittenda sunt in rebus corporeis, quæ neque ex se se, neque ex aliis fiant, sed omnia ex ipsis; aliter nulla darentur rerum corporearum principia: sed illa, quæ neque ex se se, neque ex aliis fiunt, solum fieri per creationem possunt: ergo aliqua admitti oportet in rebus corporeis, quæ non nisi per creationem produci possint, quæ ut dixi, incomposita ex partibus integrantibus esse oportet: & consequenter sunt atomi, seu indivisibilia physica.

Rationes autem, quæ modicissimis hujusmodi atomis diffunditis, dissipandisque objiciuntur, postea dissolvemus, cum de continuo compositione erit nobis sermo. Quæ verò ex Sanctis Patribus solent opponi, nullatenus supradictam atomorum existentiam labefactant: solummodo enim militant adversus Ethnicos illos Phi-

losophos, qui fidei lumine destituti, ex fortuito atomorum concursu, totum visibile mundum consurrexisse, stulta cæcitate asserebant: quod certè corundem scripta evolventi palam fiet.

PROPOSITIO XX.

Materia prima rerum corporearum physicè spectata est atomorum congeries.

Materiam primam rerum corporearum esse in gentem atomorum multitudinem, tenent ex antiquis Philosophis Leucippus, Democritus, Epicurus, & quotquot prop. 18. atomos asseruisse diximus, quos Lucretius sequutus est. Ex neotericis autem hoc idem defendunt Petrus Gassendus *Phys. scđt. 1. lib. 3. cap. 8.* Casimirus *Phys. part. 1. disp. 1. art. 4. quađt. 1.* Doctissimus P. Emmanuel Maignan *Phil. naturæ. cap. 7. prop. 4.* R.P. Joann. Saguenus *Phys. disp. 1. art. 4.* & in *Atomismo demonstr.* & alii, qui ipsos sequuntur. Idem tenet Auctor *Phil. vet.* & *nova*, *Phil. natur. part. 1. tract. 1. disp. 2.* Duhamel de *consensu veteris*, & *nova* *Phil. lib. 2. cap. 3.* si forte hic Auctor à præcedenti diversus sit. His accensendi sunt P. Honoratus Fabri, & P. Franc. Tert. de Lanis, qui hanc sententiam tenere, ex modo quo composita naturalia, ceteraque corporum phænomena exponunt, satis colligitur. Renatus autem Descartes, Antonius Legrand, Franciscus Bayle, aliique Cartesii sectatores, atomos licet non admittant, omnium tamen corporum primam materiam subtilissima corpuscula esse adstruunt: prædictis demum alii ex neotericis accedunt.

Affero itaque materiam primam rerum corporearum physicè spectatam, nihil esse aliud quam ingentem atomorum congeriem. Probatur 1. Nam illud est re-

rum corporearum materia prima, cui ea omnia convenient, quæ juxta mentem Aristotelis ad essentiam, & notionem materia primæ convenire diximus à prop. 4. Sed ea omnia solis atomis convenient: ergo materia prima rerum corporearum est atomorum congeries. Minor probatur, pércurrente omnia illa, quæ loco citato retulimus conveniente materia primæ juxta Aristotelem, quæ ad sequentia tandem reducuntur. Materia prima ex Arist. 6. Metaph. cap. 3. *Neque est quid, neque quantum, neque quale, neque quidpiam eorum, que determinant ens.* Sed potius est juxta eundem Philosophum 1. Phys. cap. alt. *Subiectum primum uniuseniusque, ex quo per se inexistentie fit aliquid, & in quod ultimum, si quid interit,abit.* Sed hæc omnia, quæ in sensu metaphysicō, & abstracto de materia prima ab Aristotele dicuntur, atomis convenient: ergo eisdem atomis convenient cuncta, quæ materia primæ convenire ab Aristotele assertur. Minorem probo singula singulatim exponens.

1. *Atomi non sunt quid;* id est, non sunt quid physicū: licet enim sint quid reale, & habens existentiam, cum entia sint realia per creationem producta; non verò sunt quid physicū, & sensibile: atomi enim seorsim spectat, ob summam earumdem exilitatem, nullatenus sensibiles sunt, aut sensu aliquo perceptibles: & consequenter non sunt aliquid sensibile, & physicū; neque aliquid ex his entibus, quæ sensu percipiuntur: unde si physicè loquamur, non sunt quid.

2. *Neque quantum:* licet enim atomi puncta physica sint suam extensionem, ut ex Metaphysica patet, & infra amplius patebit; earum tamē extensio ita modica est, ut in qualibet atomo seorsim sumpta, sit omnino insensibilis. Ex ipsis tamen corpora, quæ

sensibiliter quanta sunt, componuntur, ut suo loco patet.

3. *Atomi non sunt quale:* nullam equidem ex se qualitatem sensibilem habent: cum enim seorsim extensionem habeant insensibilem, neque sensibilem aliquam qualitatem habere possint.

4. *Neque sunt quidpiam eorum, que determinant ens.* Ens videlicet physicū, & sensibile. Atomī enim ex se neque sunt terra, neque aqua, neque ignis, neque planta, neque metallum, neque aliud quidpiam excogitabile ens ex his, quæ sunt sensibus perceptibilia.

5. Sunt tamen atomi *primum subiectum rerum quarumvis corporearum, ex quibus per se inexistentibus omnia corpora sunt.* Hic sane est primarius, & essentialis materia primæ conceptus, quem si atomi partcipent, proculdubio ipsæ erunt rerum corporearum materia prima; esto cetera, quæ hucusque retulimus, non ita proprie eisdem convenient. Quod autem omnia, quæ in latissimō corporeæ nature arario continentur, ex atomis facta sint, & ex eisdem componantur, patet ex dictis: corpora enim ex minutissimis supra sensum particulis componi, experimentis comprobavimus: hæc autem ex aliis supra modum subtilioribus, id est, insectilibus atomis, componi stabilivimus: ergo cuncta corpora ex insectilibus atomis componuntur; & ex ipsis inexistentibus sunt facta. Quemadmodum itaque ex farinæ pulviseulis, & aquæ guttulis, massa inexistentibus, massa consurgit: tela similiter ex filis: ex trabibus, lapidibus, & cämento, domus; ita cuncta corpora ex inexistentibus atomis componuntur. Sunt autem eorumdem primum subiectum: cum enim atomi compositæ minimè sint, certè ipsa sunt prima componentia; & consequenter rerum corporearum primordia:

58 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.

dia : sunt ergo demum primum subiectum uniuscujusque corporis, ex quo per se inexistente quodvis corpus sit.

6. In atomos *ultimo*, si quid interit, abit. Si enim natura in rerum analysi , resolutione nempè, aut corruptione, ad ultimum usque procedat; in atomos tandem deveniat, necesse est, quæ ut dixi, prima componentia sunt; atque in eisdem tandem sicut naturæ in solvendo progressus: cum enim ipsæ insestiles sint, certè erunt ab ejusdem potestate prorsus immunes; neque enim eas dividere; neque insuper eas destruere, & annihilare potest, ut statim dicam. Hinc esto Spagyrica Ars quodvis mixtum in minutissimos sales, ac subtilissimos spiritus resolvat, si ad atomos usque pervenerit, ibi sicut, nec ulterius progreedi valebit.

7. Hinc atomi sunt *ingenerabiles*, & *incorruptibles*; ut similiter diximus de materia prima propos. 5. Cum enim sint indivisibiles, seu simplices, non nisi per creationem fieri possunt, juxta expressam doctrinam Divi Thomæ 1. part. quæst. 118. art. 1. in corp. ergo atomi nequeunt fieri per generationem: & consequenter nec destrui nisi per annihilationem: ut enim postea probabitur, generatio stat in compositione, & corruptio in divisione, quæ in re indivisibili locum non habent, ut est satis perspicuum.

8. Atomi sunt *commune subiectum omnium formarum corporearum*. Id est, in eis tamquam in subiecto communi, qualibet forma, seu cuiuslibet rei peculiare esse, recipitur, & tandem in ipsis permanet, donec ipsæ atomi alio modo dispositæ, combinatae, & complicatae, alias formam dicantur recipere: idque non aliter respectu formarum materialium, quam si creta in statuam formata, in sphæram postea conformetur; que eadem

creta

LIBER I. CAPUT II.

59

creta cum sit; prius tamen dicebatur habere formam statuam; postmodum verò sphæram formam, recepsisse dicitur. Sed de his amplius suo loco.

9. *Atomi actū quidem, & physicè sunt prope nihil; sunt tamen omnia in potentia*. Sunt quidem physicè, & actū prope nihil; id est, ex se nullum habent actū physicum, & sensibilem, eo quod secundum se, & seorsim insensibiles omnino sint: & neque sint hoc, neque illud, neque aliud ens ex his, quæ physicè, & sensibilius observantur, & noscuntur. Sunt tamen hęc omnia in potentia, quia ex atomis omnia corpora, omnesque eorumdem species fieri possunt. Explicatur clarissimo exemplo. Quemadmodum lignum ex se, neque actū est statua, neque Scamnum, neque Cathedra, &c. est tamen in potentia omnia supradicta, quia ex ipso fieri potest statua, Scamnum, Cathedra, &c. quatenus nempè in hęc formari potest, seu eorum formam induere: ita similiter atomi ex se, neque actū sunt ignis, nec terra, nec planta, &c. sunt tamen hęc omnia in potentia, quatenus ex ipsis alio modo dispositis fit ignis, alio modo combinatis, fit terra: aliter contextis, fit planta, &c. siue in hęc omnia conformari possunt, seu eorum formas induere, ut postea amplius exponemus.

Ex his, ni fallor, aperte patet, atomos esse cunctarum rerum corporearum materiam primam, nec aliud facile assignari posse, cui ea, quæ de materia prima metaphysicè spectata, dicuntur, ita adamusim possint convenire. Velle autem ea, quæ metaphysica tantum sunt, & quæ abstracte solum de materia concipiuntur, sub illa tantum abstractione, nulloque ulterius addito, realiter, & physicè in rebus corporeis existere, nihil aliud esse videtur, quam ideas illas, quæ Platoni tribui solent, ad vocare, & quasi quid reale, & existens rebus inducere. Hinc

Hinc multa in Scholis acriter de materia prima disputari solent, ac defendi, quæ potius imperceptibilia mystaria, quam philosophica theorematum esse videntur. Sed pergamus.

PROPOSITIO XXI.

Atomorum, que sunt prima rerum corporearum materia, proprietates recensentur.

Postquam atomorum existentiam jam satis probabiliter stabilivimus, easque esse rerum corporcarum materiam primam in præcedenti propositione, nec minori probabilitate firmavimus, disquirendum sequitur quenam proprietates à suis Auctoriis sint atomis attributæ. Tres itaque à priscis Philosophis atomorum assertoribus, sunt atomis tributæ proprietates, videlicet Magnitudo, Figura, & Motus. Et quidem duas primas dumtaxat Democritum eis tribuisse ait Plutarchus *1. de placit. 3. cap. 2.* Tertiam autem, videlicet motum, sub nomine tamen gravitatis, addidisse Epicurus ait idem Auctor, & cum ipso Gassendus *Phys. sect. 1. lib. 3. cap. 6.* Qualiter autem prædictæ proprietates atomis competant particulatum ostendo.

PROPOSITIO XXII.

Atomi magnitudinem habent; eamque in- aqualem.

Dico itaque 1. Atomos habere magnitudinem: ratio est, quia insectiles licet sint; sunt tamen extensa: sunt enim atomi puncta illa physica, quorum existentiam in Metaphysica stabilivimus, quæ indivisibilia licet sint, eo quod partes entitativè distinctas non habeant; sunt tamen extensa, ac trine dimensa, ideoque jure corpuscula solent appellari. Habent igitur tantam magnitudinem ratione cuius principium sunt, &

quasi radix magnitudinis omnium corporum, quæ in universo visuntur, & extant. Nihil enim aliud est cuiuscumque corporis magnitudo, quam aggeries ex magnitudinibus earum atomorum, ex quarum congerie, coagulationeque constat, dicente Lucretio.

Inde alia, atque alię similes ex ordine partes. Quid Agmine condenso naturam corporis explent.

Non enim sunt atomi puncta mathematica, aut Zenonica, quæ cum magnitudine omnino careant, nullam conflare magnitudinem valent, juxta tritum illud, verumque, *indivisibile indivisibili additum, nihil facere indivisibili majus.* Sed cum de his jam in Metaphysica satis sit dictum: iterumque sit de eisdem dicendum cum de continuo corporeo erit sermo, nunc satis.

Dico 2. Atomorum magnitudinem esse inæqualem: ita Epicurus, & cum ipso Gassendus ubi suprà Casini *Phys. part. 1. disp. 1. art. 4. quest. 1.* & alii plerique. Ratio est, quia ita esse oportet ad explicanda quamplurima natura phænomena, quæ admissa inæqualitate atomorum faciliter saltim exponuntur; ipsa vero rejecta, valde difficile. Sic Lucretius ex inæquali atomorum magnitudine causam desumit, cur eo penetret ignis fulminus, quo noster è tædis non potest: cur eo lumen, quo non aer, aut aqua, &c. Similiter hinc reddi potest ratio cur imagines, seu species, quidquid tandem sint, visum moveant; minimè vero auditum, olfactum, &c. Horum enim ratio non incongruè peti potest ex subtilitate earum atomorum, ex quibus imagines predicte, seu species constant, quibus nempe tenuis illa, delicataque organi visus textura affici possit; minimè vero crafitor, rudiiorque organi auditus, olfactus, &c. Sed haec in Philosophia naturalis decursu amplius patebunt.

PROPOSITIO XXIII.

Atomi sunt diversimodè figuratae.

A Tomos esse figuratas constat ex dictis: cum enim sint magnitudines trine-dimensiones (22.) certè aliquo, vel aliquibus terminis sunt circumscriptæ: sed magnitudo circumscripta, seu termino, aut terminis clausa, est figura (Eucl.def.14.lib.1.): ergo atomi sunt figuratae. Esse autem diversimodè figuratas probatur, nam sic debuerunt creari, ut invicem connecterentur, & unitrentur, cum arctiori, tum laxiori nexu, quod aliter melius exponi non potest, quam si admittantur diversimodè figuratae: si enim aliæ sint rectæ, aliæ inflexæ: aliæ striatae, aliæ hamatae, uncisque similes, faciliter intelligitur qualiter invicem irretiantur, nequantur, texantur, complicentur, &c. prout nempe exigunt corporum diversorum, quæ visuntur, tam diversæ texture.

Præterea huic figurarum inæqualitatæ confirmandæ conjecturam addo, eamque non levem, ex facili experientia desumptam. Si nempe permisseris aquam salitam ad Solem evaporari, relinqui videbis sal totum, si commune sit, in figuræ cubicæ conformatum; si aluminosum, in octahedricas; & in alias adhuc diversas pro diversitate salium: id autem non nisi inde provenire posse videtur, quod nempe ejusdem salis particula similis figuræ inter se sint, & ab alterius salis particulis omnino diversæ: sic enim facile concipiatur, qualiter quæ ejusdem salis sunt, dum sibi adhærent, eandem semper figuram efficiant: si enim primævæ particulae, seu atomi cubicæ sint, aut quadrilateræ basis parallelepipedæ, omnes dum sibi adhærent, cubum efficiant, aut certè oblongum parallelepipedum, ut ex Geometria probari potest: & similiter in aliis. Hæc autem nunc tan-

63 LIBER I. CAPUT II.
tum innuo, ut vel hinc pateat, quam multum ad hujusmodi, & alia experimenta explicanda, figurarum in atomis diversitas conducere possit.

PROPOSITIO XXIV.

Atomis convenit ad motum aptitudo.

Consulto dixi inesse atomis ad motum aptitudinem; non verò motum: nam fortè non omnibus competit actu moveri, & semper: nihil enim nos ad id positivè afferendum cogit. Licer enim necesse sit, quamplutima moveri, ut ex dicendis patebit; an verò actu omnia moveantur est incertum. Habere autem atomos ad motum aptitudinem, negare non possumus: neque enim sine motu locali earumdem concursus, complicationes, ac combinationes, fieri possunt, prout ad omnes rerum concretiones, generationesque requiriuntur: neque earumdem ab invicem recessio absque praedito motu fieri potest, prout rerum dissolutionibus, & corruptionibus opus est: aptitudinem ergo habent ad motum localem. Id autem amplius confirmatur, nam ut in Metaphysica diximus, omnia corpora agunt per motum localem: ergo si non motus, saltim ad motum aptitudo, est omnibus atomis concedenda. Unde autem motus illarum, quæ centur, proveniat, & alia quæ hic possunt desiderari, infra dicentur.

PROPOSITIO XXV.

Omnes atomi sunt ejusdem naturæ substantialiter, & specificè.

A Tomorum assertores in duas oppositas scinduntur sententias: Empedocles, doctissimus P. Magellan Phil.nat. cap.1. prop.5. Auctor Phil.vet.& nova, Phys.gen.tract.1.different.2.cap.1. & alii tenent non omnes

64 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.

nec atomos esse ejusdem naturae specificæ, sed potius aliam esse terræ atomum, aliam ignis, aliam aeris, &c. ex quibus nempè inter se varia combinatione, ac nexus permixtis, omnia ea corpora, que mixta appellamus, coalescere. Alii vero oppositum tenent, ita cum Democrito, & Epicuro Gassendus *Phys. scđt. 1. lib. 3. à cap. 6.* Casimirus *Phys. part. 1. disp. 1. art. 4. quæst. 1.* & alii.

Affero itaque cum secundæ sententiæ Auctoriis, atomos inter se solum differre penes majorem, aut minorem extensionem, penes figuram, & motum; omnes tamen esse ejusdem naturæ substantialis, & specificæ. Ratio est, quia hujusmodi diversitas non est sine necessitate inducenda, sed nulla est necessitas inducendi atomorum diversitatem substantialiem, cum sine illa cuncta naturæ phenomena explicari possint: ad hoc enim sufficit figurarum in atomis diversitas, magnitudinum inæqualitas, diversique ipsis à naturæ conditore inditi motus, ut in decursu patebit: non est ergo in atomis substantialis diversitas admittenda.

Praterea quia opposita sententiæ Auctores explicare tenentur, in quo sit substantialis illa, ac specifica diversitas, quam nunquam satis explicare poterunt: neque enim in corpore (imbecillitatem meam fateor) aliiquid concipere possum præter extensioem, impenetrabilitatem, magnitudinem, figuram, & ad summum flexibilitatem, & inflexibilitatem, & ad motum aptitudinem: hec ergo tantummodo atomis seorsim spectatis convenire possunt: ergo penes hec tantum possunt diversificari.

Objicies ex doctrina P. Emmanuelis Maignan. Si atomi non essent diversæ inter se rationis specificæ, ex eorum additione, & coniunctione, non resultaret nova ali.

LIBER I. CAPUT II.

65

aliqua essentia, seu natura physica; sed totum quodam integrale homogeneum, quod non esset diversificationis ab una ejusdem parte; quemadmodum cum addimus aquam aquæ, non aliam essentiam efficimus, sed eandem essentiam aquæ, quæ in qualibet gutta reperiatur, extensivè augemus: sed hoc est contra experientiam, ipsa enim teste, innumeræ rerum species ex rerum primordiis, seu materia prima generantur: ergo atomi non ejusdem rationis specificæ sunt, sed diversæ. Et confirmatur. Si musicus duas voces inter se per omnia similes conjungeret, nullatenus faceret diapason: ad hoc enim opus est ut diversæ rationis sint; inferior scilicet superioris dupla: idem ergo dicendum est in nostro casu.

Respondeo negans sequelam; ad hoc enim ut gentans compositum producat diversæ rationis specificæ, & essentialis, quam sunt atomi secundum se spectatae, sufficit ut easdem hoc, aut illo modo nectat, connectat, & hac aut illa dosi conjungat, combinat, &c. ut postea explicabo: ad hoc autem sufficit atomos esse diversæ rationis; non quidem substantialis, seu essentialis, sed tantummodo modalis, & accidentalis: hoc est, sufficit eas esse diversimodè figuratas, diversimodè extensas, diversisque motibus concitatas, ut statim videbimus: quod longe diversum est in additione aquæ ad aquam, quæ enim additur, ejusdem omnino rationis est cum aliis; ejusdem nempè figuræ, ejusdem status, nempè fluiditatis: nullaque ex additione fit nova combinatio, nova textura; & consequenter, nova aliqua forma, & essentia; sed tantum eadem aqua fit extensior, seu tantitate major.

Confirmatio autem argumenti nostram sententiam potius confirmat, tantum abest ut infirmet; nam vo-

ces quæ diapason componunt, non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter; penes scilicet quantitatem, & motum: inferior enim major est, & tardius moveatur; superior verò brevior, & concitatior: in hoc enim tantum stat diapason, seu octava, quod nempè vox inferior duplo segnus moveatur, quam superior: ita ut hæc duas percipiat vibrationes, interim dum inferior unam dumtaxat conficit. Quemadmodum itaque species hujus consonantie diapason ex vocum combinacione coalescit, solo motu, & magnitudine diversis: ita ex atomis solo motu, magnitudine, figura, &c. diversis, euncta rerum species exurgere possunt. Aliqua forte desiderabis circa materiam primam, quæ multò melius ad formę tractationem subsequentur.

§. II.

Rerum corporearum forma, atque compositum naturale, physicè exponuntur.

PROPOSITIO XXVI.

Ut aliquid sit compositum substantiale, corporeum, & naturale, sufficit esse compaginatum ex atomis invicem in nexis, & copulatis, has vel illas dosi, combinatione, ordinatio-

ne, &c.

Ratio est, quia prædictis præcisè positis, habetur quidquid ad compotiti naturalis substancialis, & corpori rationem desiderari potest. Primo enim cum ex atomis, quæ corpuscula sunt, & substantia, integratur, certè quod ex hac compositione consurgit, compositum est substantiale, & corporeum: & ex hac quidem parte, integrale: quoniam verò non utrumque ex prædictis atomis coalescit, sed insuper ex his hoc, aut

illo

illo modo copulatis: hac vel illa dosi permixtis: hac vel illa combinatione intertextis, ac formatis; idcirco quod ex his consurgit, compositum est ex atomis tamquam materia; & illa dispositione, qua conformata sunt, tamquam forma: unde ex hoc alio capite compositum est ex materia, & forma. Demum cum hæc sola sufficiant ad effectus, & operationes illius compositi proprias efficiendas; iis præcisè positis, rationem habet natura, ideoque erit compositum naturale: ergo ut aliquid sit compositum naturale substantiale, & corporeum omnino sufficit ex atomis illo modo copulatis coalescere. Hæc nunc simpliciter, & quasi hypothesi facta proposui, in sequentibus particulatim probatur.

PROPOSITIO XXVII.

Forma materialis rerum corporearum est dispositio illa, convenientia, proportio, & harmonia, quæ atomi, seu corpuscula inter se vincuntur, & combinantur.

ITa sentiunt cum Leusippo, Democrito, Empedocle, aliisque priscis Philosophis Gassendus *Phys. sect. 1.lib.7.cap.4.* Cartesius, & cum ipso Antonius Legrand. *part.4.art.10.* Franc. Bayle *Phys.gen. disp.3.art.2.* P. Maignan *Phil.nat.cap.3.prop.4.* Casimirus *Phys. part.1.disp.1.art.4.quest.4.* & apud ipsum Dibœus, & Bassonus. Idem sentit P. Honor. Fabri *tract.5.lib.1.prop.45. & 46.* Joann. Bapt. Duhamel *de consensu veteris & novæ Philosophie, lib.2.cap.2.fol.635.* Idem in plurimque compotitis asserit Auctor vet. & novæ Phil. *Phys. gener. tract.1.disp.1.cap.2.* R. P. Joann. Saguens *Phys. disp.3.art.2.* P. Franc. de Lanis, & alii. Allero itaque cum istis, rerum corporearum materialem formam, quæ substancialis appellatur, nihil aliud esse præter illam

atomorum, corpusculorum, seu partium materiae dispositionem, & harmoniam, qua ita inter se aptantur, combinantur, & conjunguntur, ut tale ens corporeum confiant, quod determinatas habeat proprietates, operationes, & effectus.

Explicatur. Cum atomi diversimoda sint figuræ, & inæqualem habeant extensionem, diversisque motibus possint cieri: possunt certè hac, vel illa dosi ab agente accipi, diversimodè commisceri, combinari, latius, aut compressius vinciri, subigi, ac connecti: ex hac autem commixtione, majora quedam corpuscula confurgunt, eaque diversa tum figura, tum rigiditate, flexibilitate, tum etiam motu: quæ quidem diversa esse elementa, diversosque sales, non incongruè judicamus, ut postea patebit. Ex his præterea inter se varia combinatione permixtis, ac diversimodè copulatis, ingenitum corporum, quæ vissuntur, sobolem confusare asserimus, quæ illius harmoniæ vi, qua eorumdem partes compactæ sunt, ac organizatae, diversorum effectuum, ac proprietatum sunt causa; ideoque jure diversa corpora naturalia, seu substantialia composita appellantur. Quibus, ut vides, nihil præterea inest, si pure materialia sint, præter corpuscula illa salium, ramentorum, &c. quæ materia sunt secunda, & immediata: atomi insuper, ex quibus corpuscula prædicta composita sunt, quæque consequenter sunt omnium corporum prima componentia, seu materia prima: ratio autem illa, & harmonia qua præfata corpuscula ita conjuncta sunt, ut totum illud substantiale confiant, assero esse ejusdem totius, seu compositi substantialis formam.

Quoniam autem res, si nimium generaliter, ac velut in abstracto proponantur, non ita facile percipiuntur, idcirco quæ nuper dixi, peculiari exemplo illustranda

putavi. Sitque illud compositum substantiale, quod planta appellatur. Ex atomis, ut nuperim dixi, diversimodè copulatis, subtilissima illa corpuscula componuntur, quæ cum alia sint aliis rigidiore: alia unius, alia alterius figura, alia ductilia, & in filamentorum speciem productibilia, ex his, inquam, diversis sales tum acidi, tum alkalici, diversaque rerum elementa conficiuntur. Ex his insuper diversimodè complicatis, plantæ rudimentum in modico semine lateNS configitur, in quo quidem invenitur quidquid ad vegetantem sobolem procreandam desiderari potest; cavi nempè canaliculi, solidiora ramenta; fibrillaque insuper, aliae aliis laxiores; aliae aliis compressiores, quæ mox, semine terra mandato, subeunte humore distenduntur, & adhærentibus particulis augmentur, quo tale corpus confusit, adolescit, sobolescit, &c. quod communiter vegetare dicitur, plantamque appellamus. Planta igitur corpus naturale est, & compositum substantiale ex atomis, seu materia prima; ex salibus prædictis, & elementis, seu materia secunda, coalescens. Formam vero plantæ esse dico dispositionem illam organicam, qua ita corpus illud confictum est, ut vegetare, omnisque plantæ peculiares operationes efficere valeat.

Quod itaque prædicta dispositio, organizatio, ac atomorum, seu corpusculorum debita proportione copularum harmonia, sit forma materialis, & substantialis rerum corporearum, probatur i. Nam omni alio sublato, solisque materiae primæ particulis positis sub prædicto plexu, dispositione, & harmonia, quam optimè intelligitur ens corporeum, seu compositum substantiale, quatenus ab aliis specificè distinguitur, recteque cuncta ejus attributa, phenomena, effectus, & proprietates explicantur: sed per formam substantialem

70 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.

Iem nihil aliud intelligitur, quam ratio illa, qua hoc compositum est actu tale, ab aliis specificè diversum; & ratione cuius hos habet speciales effectus, & proprietates: ergo prædicta organizatio, & harmonia est forma compositi substantialis. Major probatur, nam, ut eodem planta exemplo utar, posito præcise in materia particulis illo plexu, illa combinatione, & organizatio, optimè habetur ratio, qua succus alimentitius exungatur, per subtilem meatus filtretur, distribuatur, concrecat, conformetur, &c. & cur tandem tale corpus vegetans sit, & planta; non verò lapis, aut metallum, &c. cur denique has proprietates habeat, cur hæc phenomena, cur hæc attributa, quin opus unquam sit ad aliquid aliud recurrere: evolve si placet Auctores, qui res naturales, ut par est, perscrutantur, videbisque cunctas rerum proprietates, & effectus, ex solo prædicto plexu, & particularum motu, figura, & harmonia, tamquam ex radice deducere: sed radix prædictarum proprietatum est forma compositi materialis: ergo hæc quæ diximus sunt forma compositi materialis, seu corpori.

Probatur 2. Paritate desumpta ab artefactis, seu compositis illis, quæ artificialia appellantur, quod sane in hac materia familiare est Aristoteli, ut ex dictis propos. 11. est manifestum. Materia itaque domus sunt lapides, cementum, ligna, clavi, &c. ex his enim domus inexistentibus subsistit domus: illius autem forma nihil est aliud, nisi ordinatio illa, combinatio, ac nexus, quo lapides, ligna, &c. ita necuntur, ut fornices, ac compluvia efficiant, diversaque formenta conclave, quibus taliter sit absolutum ædificium, ut humanae habitationi sit aptum. Similiter ergo materia corporis naturalis, seu compositi erunt atomi, seu corpuscula illa, quæ ita

LIBER I. CAPUT II.

71

sunt ordinata, ita combinata, talique plexu concatenata, & unita, ut tale corpus resulteret, quod peculiares habeat proprietates, sitque peculiarium effectuum radix, & origo: hæc autem ordinatio, concatenatio, &c. erunt ejusdem forma, ipsum qua tale constituens, & ab aliis corporibus specificè discernens.

Dices, si hoc esset verum, composita naturalia essent artificialia; nullumque esset inter naturalia, & artificialia discrimen. Respondeo composita naturalia etiam esse artificialia: opera enim naturæ sunt artefacta Dei; ut enim ait Galenus lib. de usu partium, mens cuncta disponit: mens videlicet, aut divina, aut creata; cum ingenti tamen discrimine; mens enim divina mundum, & cuncta ex quibus constat corpora, quæ naturalia appellantur, ita effectus, ut materiam ex qua constant, simul creaverit, suaque virtute diversimodè formaverit; mens autem humana materiam à Deo creatam, similem formatam accipit, & ex ea opera illa configit, quæ artefacta communiter appellamus. Deus etiam cum adspectabile mundum condidit, & cuncta, quæ in eo visuntur corpora, eternis suis ideis, omnino perfectis conformavit: homo verò cum artificiosum aliquod opus molitur, finitum, atque imperfectum exemplar sibi in mente praefigit, cui opus suum assimilare conatur: opera igitur naturalia, seu composita substantialia, artefacta etiam sunt à summo Artifice infinita sapientia constituta, quorum artificium ita mirabile est, ut humanae mentis captum omnino excedat; ea verò, quæ ab homine sunt, artefacta, ita sunt imperfecta, ut prædictis haud comparari possint.

Probatur 3. Ex hoc enim quod forma substantialis materialis nihil præterea sit, quam corpusculorum, seu particularum nexus, & harmonia, optimè probari potest

test animę humanę spiritualitas, & suapte natura immortalitas: cum enim actiones intelligendi, cognoscendi, libereque volendi, quas experimur, nullatenus ex corporearum particularum plexu provenire, concipi posse, certe opus est, ut suo loco patebit, animam humana quid omnino diversum esse à prædicto plexu, combinatione, & harmonia: perente ergo corpore humano, ejusdemque partibus dissolutis, non inde anima perire potest: ergo immortalis est, & in ævum permanstra: quod in aliis modis, quibus formæ materiales constitui solent, non ita fœliciter convinci, suo loco patebit.

Tandem nostra conclusio inde ulterius probatur, quod singula, quæ de forma prisci Philosophi, Aristoteles præsertim, & S. Thomas dixerunt, huic corpusculorum plexui, atque harmonię apprime convenient, ut in sequentibus ostendo.

PROPOSITIO XXVIII.

Prædicto atomorum, seu corpusculorum plexui, ac ordinationi, cuncta, quæ de forma à Philosophis assertur, aperte convenient.

1. **F**orma sic dicitur, quasi nempè formosum reddit, quod ex se rude quid erat, ac deformè. Illa itaque atomorum congeries, quam primam rerum corporearum materiam esse diximus, quatenus ex se, deformè quid est, & non nisi confusum cahos; divina tamen obstetricante manu, ex ipsa pro varia atomorum, & corpusculorum dispositione, ac connexione formosa corporum species prodiere, quorum pulchritudo in illo nexus, in illave dispositione consistit, quam formam appellamus.

2. Forma dicitur *Actus*, quo nempè materia deter-

minata est, ut actu sit hoc; aut illud, cum ex se sit tantum in potentia ad omnia. Ille itaque corpusculorum plexus, ac dispositio, actus est materiam determinans, ut sit potius aër, quam ignis; planta, quam lapis, &c. quemadmodum & sola partium dispositio in artefactis actus est, quo lignum determinatum est, ut potius Cathedra sit, quam Scamus.

3. Forma dicitur *Ratio essentiæ, seu substantiæ*. Sic eam appellat Arist. 1. Phys. cap. 7. tex. 69. Item lib. 2. cap. 9. tex. 31. & passim alibi. Non enim peculiaris ratio quidditatis, speciei, seu essentiæ rerum corporearum petitur à materia prima, quæ in omnibus ejusdem rationis est, & essentiæ, sed potius à forma. Licet itaque atomi substantialiter ejusdem rationis sint, diversimode verò combinatæ, ac copulatæ, corpora essentialiter, ac specificè diversa constituant, quorum ratio essentiæ, aut quidditatis in illa combinatione, ac nexus sita est. Quemadmodum & ratio essentiæ in artificialibus ex speciali suarum partium nexus petitur, quin aliud quidquam desideretur. In alio item sensu dicitur forma *ratio*, qui etiam prædicto atomorum plexui, & ordinationi quam optimè convenit, ut statim dicam.

4. Forma ab Aristotele dicitur *unum, ut ordo, & musica*: sic enim eam appellat 1. Phys. tex. 66. à Platone autem, aliisque Philosophis dicitur *harmonia*: musica autem, & harmonia non aliqua entitas est absoluta, sed solum modale quid, & respectivum; consistit enim in pluribus vocibus artificiose ratione unitis, ac certa proportione permixtis, & combinatis. Similiter itaque in compositis naturalibus forma, de qua loquimur, non aliqua entitas est absoluta, sed ut sic accepta, multitudine est atomorum, seu corpusculorum, ut dixi, certa ratione, determinata dosi, ac mirabilii artificio nexit, &

copulatis, quæ atomi, seu corpuscula sic copulata, & disposita, compositum sunt naturale, & corporeum; forma verò predicta copulatio, & dispositio.

Nec abs re erit repetere hic exemplum toties ab Aristotele adductum ad explicandam rerum corporearum materialis formam, de ipsa enim loquens ait: *Hæc autem est ratio ipsius quodquid erat esse, ut ipsius diapason duo ad unum: & omnino numerus, & partes, que in ratione.* Quemadmodum enim corpus naturale compositum quoddam est ex materia, & forma; ita & consonantia diapason compositum quoddam est ex materia, & forma: & quemadmodum, ut ait Aristoteles, materia diapason sunt voces; ejusdem verò forma est ratio illa dupla, seu duo ad unum, qua nempè illæ voces ita uniuertuntur, ut dum una semel, altera bis moveatur, & vibret; ita compositorum naturalium materia sunt corpuscula, & atomi; ejusdem verò forma est eorumdem nexus, quo ita, aut aliter ordinantur, netantur, combinantur, &c. ut unum quid efficiant, unum nempè determinataque specie compositum naturale, quam dispositionem quid modale esse, compertum est. Rectè itaque hujusmodi forma ab Aristotele, musicis, & à Platone harmonia comparatur, quæ quidem omnino in numeris, & partibus, quæ in ratione, id est, sunt, juxta Aristotelem consilist. Vides hic hoc nomen *ratio* ex duplice capite formæ adaptari: 1. quia, ut suprà dixi, est ratio quidditatis, & essentiae: 2. quia essentialiter rationem, seu respectum partium componentium includit, quæ quidem ratio juxta Euclidem mutua quadam est magnitudinum secundum quantitatem habitudo.

(***)

(***)

(***)

PROPOSITIO XXIX.

Predicta forma materialis quid modale est, & respectivum: solumque à materia modaliter distinguitur.

Formas materiales quid modale esse satis ex dictis colligi potest: illa enim atomorum textura, combinatio, & concatenatio, in qua consistunt, sine atomis illis, neque esse, neque concipi potest: stat enim in eorumdem praesentiis, locationibus, respectibus, &c. quæ modi sunt: sunt ergo predicta formæ quid modale: ideoque ab ipsis atomis modificatis sola distinctione illa modali differt, de qua in Metaphysica egimus. Praeterea easdem formas quid etiam esse respectivum, inde patet, quod diversarum magnitudinem, & figurarum atomi hac, vel illa dosi; hoc vel illo numero affluantur; hoc vel illo ordine necantur, combinantur, &c. quæ omnia respectus sunt, seu habitudines atomorum: formæ igitur materiales aliquid includunt respectivum: ergo sunt quid modale, & respectivum.

PROPOSITIO XXX.

Forma materialis predicta non producitur, nec fit, nec generatur.

Hanc esse mentem Aristotelis ex his, quæ prop. 9. diximus, ita apertum est, ut nemo prudens dubitare posset. Id ipsum diversis in locis repetit, ut 1. Physicæ. 64. *Omne quod fit (ait) semper compositum est.* Sed forma non est compositum: ergo forma non fit. Item 7. Metaph. cap. 8. *Manifestum est quod neque species fit, aut quodcumque nominare oportet formam;* nec ejus est generatio. Item ibidem: *Manifestum est quod illud, quod ut species, aut substantia dicuntur, non fit.*

fit. Et lib. 8. cap. 3. Species non fit, neque generatur: fit autem quod ex his. Id est, compositum. Idem afferit lib. 8. Metaph. cap. 9. Ostendit ratio speciem, seu formam non fieri. Idem etiam afferere S. Thomam patet ex predicta prop. 9. Hoc autem Aristotelem de omni forma sensisse ex ipsis verbis ei satius perspicuum: nos autem uberiori luce non solum fidei; verum & Philosophia fruentes, agnoscimus animam humanam, quae vera forma corporis est, verè fieri; non quidem per generationem, sed per creationem, quam Aristoteles nullatenus intellexit, quidquid aliqui fecus dicere velint.

Forma itaque materialis neque fit, neque generatur, aut productur. Id autem necessariò sequi ex nostra forma constitutione, satis patet. Cum enim predicta forma nihil sit præter dispositionem illam, & harmoniam, nexus atomorum: & haec præterea nihil aliud sint, quam modale quid, & respectivum, (29.) certè forma fieri, aut generari, aut produci non potest; ut rectè monet S. Thomas locis adductis prop. 9. nisi valde impropriè, quatenus nempè sic denominatur à productione, aut generatione compositi: cum enim atomi, seu corpuscula junguntur, invicem necuntur, & copulantur, quod est componi, seu generari compositum, necessariò eis insunt presentia illarum, combinationes, nexus, &c. quæ unico nomine abstracto appellamus formam: non ergo aliter haec forma fit, nisi quatenus fit, aut generatur compositum. Quod optimè exponitur, ut sibi dixi, in artefactis: quemadmodum enim cum lapides, trabesque necuntur, & ordinantur, fit compositum artificiale, nempè domus; ejus autem forma, quæ in illa dispositione consistit, non propriè fit: similiter cum ex atomis, seu corpusculis fit, & generatur naturale compositum, forma illius, quæ in predicto corpuscu-

lo- LIBER I. CAPUT II. 77
lorum nexu consistit, propriè nec generatur, nec fit. Sed hec amplius patebunt, cum de formarum origine, & generatione compositi erit sermo.

PROPOSITIO XXXI.
Explicari potest quomodo hujusmodi forma materiales in potentia materiæ contingantur.

*F*ormæ materiales, ut patet ex dictis; in certa particularum, seu atomorum commixtione, & harmonia consistant, ex qua tales, aut tales proprietates sensibiles consequuntur: ergo predictæ particulae, seu atomi juxta talēm harmoniam colligari, commisceri, nequitque possunt: sed hoc est esse predictam formam in potentia materiæ, seu atomorum: ergo, &c. Analogiam habes in statua, quæ antequam ex ligno fiat, in illo ligno potentia continetur, quatenus lignum in statuam formari potest.

PROPOSITIO XXXII.
In plerisque compositis substantialibus, pars inter essentialias nobilitissima, specialiter est tum comparatum suarum, tum ipsis compositi forma.

*T*a tenent P. Emmanuel Maignan *Phil. nat. cap. 3. prop. 5.* P. Joannes Saguens *Phys. disp. 2. art. 2.* Casim. *Phys. part. 1. art. 4. quest. 4.* & alii. Ratio autem est, quia forma, juxta Arist. 2. *Phys. tex. 2.* importat ex se perfectionem, actum, & nobilitatem: ergo pars illa essentialis compositi, quæ perfectior est, actuosa, & nobilior, quæ composito tribuit nobiliores, ac perfectiores denominations, ceterasque ejusdem compositi partes perficit, actuosaesque reddit, propriissime, ac specialiter erit forma: alia vero compartes, quæ igno-

biliores sunt, atque ex se veluti inertes, ac motu defititute, erunt subiectum respectu perfectioris, & actuosioris. Sic in homine anima rationalis vera, ac specialis forma est tum corporis, tum compositi humani; ipsa enim compositum complet, animat, vivificat, corpusque ex se satis iners, & ignobile, movet, nobilitat, ac perficit; suapte enim natura longe est corpore perfectior, & actuosior. Similiter in bratis, aut sanguis per subtiles ductus excurrens, ut aliqui volunt; aut spiritus celeri motu per artus diffusus, ut alii sentiunt: aut tenuissimus ignis, seu flammula, ut aliis placet: aut aliud quippiam, de quo postea, est, inquam, brutorum specialis forma, quod nempe pars sit nobilior, & actuosior, ceteras ad motum excitans; promovens, ac percussiens: & sic de aliis.

Dixi tamen hanc specialem formam in plerisque compositis substantialibus reperiti; nihil enim nos cogit, ut in omnibus illam reperiri afferamus: certius enim videtur in elementis communibus, mixtis imperfectis; immo in aliquibus perfectis non reperiri: quod tunc patebit, cum de singulis erit sermo.

PROPOSITIO XXXIII.

Hac specialis forma entitas absoluta est, & substantia: & in aliquibus entibus, saltim ex partibus integralibus est composita.

PAtet, primo enim in homine certum est ejusdem formam, nempe animam rationalem, entitatem esse spiritualem, ac substantiam, ut suo loco etiam rationibus naturalibus ex nostris principiis philosophicis curabimus convincere. In ceteris vero forma illa specialis aggeries est subtilissimæ materiae, aut corpusculorum celeri motu concitatorum, aut certo aliquo modo con-

conductorum, que certè substantiaz sunt, & absolute entitates: ergo predicta forma specialis, aut entitas absolute est, & substantia, aut ex entitatibus constat substantialibus, tamquam ex partibus integrantibus, hoc aut illo motu delatis, ut ex ipsa positione est manifestum.

Hinc ingens discrimen appetat inter formam illam rerum corporearum generaliter acceptam, & adæquatam, & hanc specialem, que in plerisque compositis reperiri dicimus: primo enim illa non est entitas, sed modus; non est quid absolutum, sed potius respectivum, juxta dicta prop. 29. Hæc autem entitas est absoluta. Secundo hæc substantia est; illa vero, cum entitas non sit, substantia non est, sed modus substantialis. Utique tamen est forma substantialis; forma quidem adæquata, quia modus est substantialis, ad essentiam rei spectans; secunda vero, quia in se substantia est, ut in homine; aut ex substantiis componitur, ut in aliis compositis.

PROPOSITIO XXXIV.

In eodem composito possunt esse plures formæ substanciales subordinatae.

PAtet hoc præsertim in viventibus sensitivis: in his enim esse substancialē carnis distinctum est ab esse ossis, nervi, cartilaginis, &c. ergo diversa est forma carnis à forma ossis, nervi, &c. Ubi enim est diversum esse substancialē, diversam quoque adesse substancialē formam necesse est. Præterea diversus est nexus, quo corpuscula materiae copulantur in ossa, quam in carne, nervo, &c. diversaque similiter est eorumdem combinatio, posito, ac dispositio: sed in hoc diverso nexus, positione, ac dispositione, stat formarum diversitas (27.): ergo diversa est forma carnis, ossis, nervi, &c.

80 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.

ergo in corpore, præsertim animalis, sunt multæ formæ partiales.

Has autem esse subordinatas formæ principali, ipsi videlicet animæ, patet, nam esse carnis non est tantum esse carnis, sed carnis viventis : similiter esse ossis, nervi, &c. non est tantum esse ossis, & nervi, sed ossis viventis, & nervi viventis : sed esse vita est ab anima, quæ principium est nobiliorum operationum : & ut dixi prop. 32. est specialis forma animalis: ergo caro, nervi, ossa, &c. informantur ab anima, & consequenter eidem subordinantur.

Hic vides atomos, seu corpuscula esse materiam carnis, ossium, &c. eorumdem verò diversas combinaciones, nexus, &c. esse formas carnis, ossis, &c. hæc autem omnia dum corpus organicum constituunt, sunt formæ viventis, seu animæ subiectum, quæ cum nobiliores præstet operationes, ac denominationes, detque motum, & vitam corpori organico, est specialis, & præcipua animalis forma : hæc insuper simul cum ceteris corporis partibus, materia est ex qua inexistentे consurgit animal, cuius forma adæquata consistit tum in dispositiōnibus partium organicarum, tum in certo quodam motu illarum particularum, quæ præcipua formæ vices gerunt, ut suo loco satis exponetur.

Analogiam habes in artefactis, præsertim in horologio automato, cuius singulae partes suum habent esse specifice diversum, nempe aut æs, aut ferrum, &c. Præterea eis accedit specialis forma ab Artifice inducta, nè pè dentatæ rotæ, axis, &c. hæc autem omnia materia sunt, quæ ab eodem Artifice ordinatur, suis locis aptatur, ac concinne disponitur, consurgitque corpus quodam organicum, cuius materia rotæ sunt, axes, &c. forma vero coagmentatio illa, ac dispositio, qua cunctæ suis

LIBER I. CAPUT II.

81

suis locis debite sunt collocata. His demum accedit aut facoma, aut elaterium, quod suo vel pondere, vel elasticitate, toti illi corpori organico motum tribuit ordinatissimum. Ideoque est præcipua horologii forma, ac veluti ejusdem anima, à qua statis numeris volvuntur rotæ, totaque machina, ita intestino motu cietur, ut horas, horarumve minuta perfectissimè referat.

Vides hic rotas, axes, pendula, &c. suas habere artificiales formas; subordinatas tamen facomæ, seu elaterio, à quo motum accipiunt: hæc autem omnia, ipsum etiam elaterium, aut facoma materiam esse respectu formæ adæquata horologii, quæ in hac adæquata omnium partium ordinatione consilit. Similiter itaque dico adesse plerisque compotitis naturalibus diversas formas subordinatas; ex quibus ea, quæ præcipias, ac nobiliores tribuit denominationes, ac vires composito, præcipua est, cui ceteræ famulantur; generaliter autem omnium, quæ composito insunt, organizatio, ac disposicio, est ejusdem compotiti adæquata forma.

PROPOSITIO XXXV.

Formæ materiales, quæ absoluta entitas sint, prout à Neoterici afferuntur, non sunt admittende.

Asserunt communiter Neoterici Philosophi: Formam substantialem esse actum primum substantialem, unum per se constituentem cù materia. Quam definitionem sic exponunt. Forma dicitur *actus* loco generis; omnis enim forma subiectum actuatur: dicitur verò *actus primus*, quod alium in materia non supponat, aut saltim physicum, & formale, ut ajunt Antithomistæ; aut neque existentialem, & metaphysicum, ut Thomistæ defendunt: dicitur præterea substantialis;

82 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.

tum quod forma ad substantiam, & essentiam rei pertinet; tum quod forma substantia sit, licet incompleta; & entitas absoluta totaliter, & adaequata à materia distincta: & quoniam ad illam ex sua essentia ordinatur, ideo cum materia facit unum ens per se: & haec quidem breviter sunt, que de forma communiter in Scholis afferuntur. Has autem formas materiales sic expressas, ex Philosophia alvo excludendas esse, ex duplicitate præsentim capite mihi persuadeo 1. Quod Philosophia eis non egeat ad natura phænomena explicanda. 2. Quod principiis philosophicis, præcipue Aristotelicis minimè cohærent.

Affero itaque 1. Formas substanciales materiales in sensu supradicto acceptas nulli in Philosophia naturali esse usui; nihilque prodeste ad rerum naturalium causas explicandas. Quod enim assignabitur experimentum, quod ope illarum unquam explanatum sit? Quid illæ ad aëris impressiones: quid ad terræ, maris, aut ignis actiones agnoscendas contulere? Quod naturæ phænomenon ope earumdem formarum fuit unquam expostum? Evolve, per me licet, Auctores, qui in abditis naturæ arcanis detegendis insudarunt, nullumque reperties, qui ad id exequendum, prædictarum formarum auxilium advocaverit.

Dicent prædictas formas materiales substanciales, & entitativas, ideo admittendas esse, ut per illas assignentur causæ actionum omnium, que in rebus naturalibus observantur, præsentim in viventibus. Sed contra 1. nam ad id muneris inutiles prorsus sunt: ipsi enim earum assertores sæpè fatentur illarum vires esse occultas, ita ut qualiter illa effecta producant, nullatenus explicare possint: quo certè fateri tenentur se ad principium quoddam recurrere, cuius naturam, & modum operan-

LIBER I. CAPUT II.

83

di non percipiunt; si enim perciperent, certè, & explicare posseant. 2. Quia forma illa juxta adversarios corporæ est; non enim est spiritualis, ut anima rationalis: cur ergo vis illa, que prædictæ formæ corporeæ tribuitur, non potius atomis, seu corpusculis certo modo colligatis, que corporea sunt, & substantia, tribui debet; præsertim cum operationum diversitas, ex diversitate combinationum, qua necuntur, explicari possit. Sed haec amplius ex obiectionum solutione, & ex iis que in decursu Philosophia naturalis dicentur, amplius patet.

Affero 2. Prædictas formas substanciales materiales in supradicto sensu acceptas cum Philosophia naturali principiis præcipue Aristotelicis minimè congruere. Prob. 1. Omnis entitas in rerum natura existens, & que extra Deum est, producta est: sed tales formæ substanciales, si darentur, extra Deum in rerum natura existent: ergo essent productæ: sed non sunt productæ: ergo in rerum natura non existunt. Præmissæ sunt certæ, & prima consequentia rectè deducta. Minor verò subsumpta probatur: primo enim formas materiales non esse productas est expressa Aristotelis, & S. Thomæ doctrina, ut patet ex prop. 9. Secundo sic convincitur, nam quidquid extra Deum productum est, aut est productum per creationem, aut per generationem: sed formæ prædictæ, neque productæ sunt per creationem, nec per generationem: ergo, &c. Quod non sint per creationem productæ, ipsi etiam adversarii fatentur. Quod verò neque per generationem sint productæ, probatur eadem ratione, qua id ipsum probant Aristoteles, & S. Thomas locis in prop. 9. adductis, que sic se habent.

Si formæ generarentur, fierent ex aliquo ipsis inex-

stente: hoc autem nihil aliud esse potest, quam materia: ergo fierent ex materia inexistente ipsi formis: ergo formae ipsae ex materia, & forma coalescerent: idem argumentum efformabo de forma formae & sic in infinitum: ut igitur hujusmodi inconveniens vitetur, dicendum necessariò est, formam non generari, nec fieri: & consequenter non esse entitatem absolutam, ut volunt neoterici.

Hujus argumenti vim sentit Toletus, eamque vitare conatur, dum lib. I. Phys. cap. 9. quest. 17. sic ait: *Negandum est prorsus cum Aristotele, formas fieri, aut produci; sed composita sunt, non ex nihilo, sed ex materia; forme vero consequenter sunt, & comproducentur. Unde non est ipsarum creatio, quia creatio est actio, qua aliquid primo fit; formae vero non primo sunt. Haec autem est vis concessa agentibus naturalibus, ut compositum producerent, ac simul mediante illo formas attingerent, quod non est creare, nec aliam Philosophiam habemus ab Aristotele, & est optimè notanda. Item lib. I. de Gen. cap. 3. quest. 2. prefatam doctrinam exemplo exponit, dicens: Sicut qui virginem incurvata non facit curvitatem, sed facit curvum; id est, dum lignum tale facit, curvitatem comproducit; ita non producitur forma, neque fit, sed compositum, ad cuius productionem comproducitur, & confit forma.* Verum hæc doctrina, qua multum Aristotelicæ congruit, qualiter possit adaptari formæ materiali, si hæc, ut volunt adversarii, sit entitas absoluta, non video; si vero formæ prædictæ tantum sint quid modale, in corpusculorum conjugatione, & nexus consistens, quam optimè potest eis congruere, ut ex dictis colligi potest.

Aliter respondet Illustr. P. Franciscus Palanco lib. I.
Phys.

Phys. quest. 11. & in Dialogis contra Atom. dial. 58. à num. 495. Afferit enim formam non habere esse ut quod; nec esse simpliciter ens, sed tantummodo ut quo; quatenus nempè compositum est actu tale per formam: ideoque afferit formam non produci, non fieri, nec generari propriè, & ut quod; sed tantum impropiè, & ut quo: seu potius, ut ait S. Thomas 7. Metaph. lect. 7. Forma non generatur, nisi per accidens. Addit autem Illustr. Palanco illa quæ propriè sunt, & generantur, fieri ex subiecto eidem inexistente; non verò illa quæ solum impropiè sunt, & generantur: ideoque afferit formas materiales neque fieri per creationem, nec per generationem propriam, sed per impropiam.

Sed contra. Nam ut verum fatetur, capere non possum qualiter forma, quæ propriè non habet esse, neque est simpliciter ens, possit esse entitas absoluta, veraque substantia, verè, realiter, & entitativè ab aliis quibuscumque distincta: quod enim absoluta entitas est, & substantia, absolute, & simpliciter habet esse, & non tantum respectivè: ergo absolute, simpliciter, & propriè erit ens. Et confirmatur, nam, ut eidem terminis utar, quibus adversarius, formam habere esse ut quo, est eam esse id quo compositum habet esse; habere autem esse ut quod, est formam suum in ordine ad se ipsam habere esse: sed si forma est entitas, & substantia distincta entitativè à materia, præter esse id quo compositum habet tale esse, debet etiam habere in ordine ad se suum esse; aliter enim solum esset determinatio, qua compositum habet tale esse; & consequenter non esset entitas, sed modus: ergo si forma materialis est entitas à materia distincta, necesse est eam habere esse ut quod: & consequenter fieret, & generaretur propriè, & ut quod, id est, ex subiecto eidem inexistente: sed hoc aperte adversatur

tur Aristoteli, & S. Thomæ ; tum & rationi ex eisdem adlata : ergo, &c.

Hinc iterum adversus formas materiales entitativas insurgo, quod absolute propriè, & simpliciter non est ens, non est entitas absoluta ; sed solum ad summum modalis, & respectiva : sed ex Aristotele, & S. Thoma formæ materiales propriè, absolute, & simpliciter non sunt ens : ergo non sunt entitas absoluta, sed solum modalis, & respectiva. Item : Omnis entitas substantialis, & materialis realiter ab aliis distincta, potest propriè fieri, & generari : sed forma materialis ex Arist. & S. Thoma non potest propriè fieri, & generari, ut ex diétis constat : ergo non est entitas substantialis, sed solum modus modaliter à materia distinctus : & dummodo id non asseratur, omnino inexplicabilis est illa formæ impropria productio , ut postea patebit.

Probatur 3. Idem assumptum , si darentur prædictæ formæ materiales entitativæ, annihilarentur in destructione compositi : atqui non annihilantur in destructione compositi : ergo non dantur. Probatur major. Entitas, quæ definit esse secundum totum suum esse, annihilatur : atqui forma prædictæ in destructione compositi desinunt esse secundum totum suum esse : ergo annihilantur. Quod autem in destructione compositi formæ non annihilentur, est certum ; omnes enim Philosophi tenent vi agentium naturalium nihil in nihilum abire: solus enim Deus, qui res ex nihilo producit, potest easdem in nihilum redigere. Respondebunt formas prædictas materiales non annihilari, licet destruatur compositum , quia remanet earum subiectum. Sed contra 1. quia si destrueretur anima rationalis, remaneret subiectum, & tamen annihilaretur : ergo remanentia , aut non remanentia subiecti per inde se habent ad annihilatio-

nem, si forma quæ destruitur, sit à subiecto entitative distincta. Contra 2. Nam ideo compositum cum destruitur, & esse definit per partium separationem, non annihilatur ; quia remanent partes, quæ ipsum constituebant : sed pereunte forma materiali , nihil remanet ex his, quæ formam constituebant : subiectum enim, seu materia non constituit formam : ergo licet pereunte forma materiali, remaneat subiectum , forma annihilatur : si entitas sit absoluta , & à materia entitative distincta.

Probatur 4. Hujusmodi formis, prout ab adversariis asseruntur, admisisse, difficilis admodum redditur probatio immortalitatis formæ rationalis ex philosophicis principiis. Si enim semel admittatur entitatem absolutam, ac substantialiem, ob separationem à materia suapte natura existere non posse : quænam assignabitur ratio cur anima rationalis separata à corpore suapte natura non intereat, sed persistat ? Unde ampla satis , ni fallor, aperitur Atheismo janua, quam Christianus Philosophus omnino claudere debet , juxta præscriptum Concilii Lateranensis sub Leone X. quod hujus operis initio prefixi. Hanc autem omnino præcludi haud dubito, si dicatur formas materiales non esse substantias, aut entitates absolutas ; sed solum modales , in nexus nempè combinatione, ac motu particularum materiae omnino consistentes. Ex formis autem substantialibus solam animam rationalem esse entitatem, & substantiam absolutam, & indivisibilem , quæ quemadmodum solum est per creationem à Deo producibilis ; sic similiter à solo Deo est annihilabilis : ita ut quantumvis universa natura corporea periret, ipsa verò anima humana nullatenus esset peritura , quod certè ex nostris principiis apertissimè infertur. Et hæc quidem inter cæteras potissima

sima fuit mibi ratio, ut assererem formas materiales in illo partium corporearum plexu, motu, & combinatione consistere: ex hoc enim evidenter sequitur, illo complexu, illo nexus dissoluto, non amplius manere praedictas formas: & ipso posito, poni; quin in ejus positione nova entitas absoluta de novo producatur; neque in ejus dissolutione, entitas aliqua annihiletur. Quod secus se habet in homine; cum enim anima humana non ex complexu aliarum rerum exurgere posset, ut suo loco stabilietur, certè non aliter quam per creationem potest produci; neque per corruptionem interire potest; solumque à Deo, qui eam condidit, potest annihiari.

Probatur 5. Si darentur forma substantialia, que entitativè substantia sint, certè essent aut materia, aut spiritus: sed ipsis adversariis facientibus, neque materia sunt, neque spiritus: ergo praedictæ formæ non dantur. Major probatur, nam omnis substantia aut est materia, aut spiritus: ergo si forma substantialis esset substantia, aut esset materia, aut spiritus. Antecedens probatur, nam omnis substantia aut est corporea, aut incorporea: sed substantia corporea est materia; incorporea vero est spiritus: ergo omnis substantia aut est materia, aut spiritus. Major constat, non enim aliter dividitur à Philosophis substantia, quam in corpoream, & incorpoream. Minor autem probatur, nam si à substantia corporea tollatur omnis ratio materia, jam non est substantia corporea: & similiter si omnis ratio spiritus tollatur à substantia incorporea, non erit jam cur illa substantia sit incorporeæ.

Respondebunt adversarii negando omnem substantiam, aut esse materiam, aut spiritum, contendentes materiam, & spiritum non opponi contradictorie; ac proin-

proinde inter ipsa esse assignabile medium, talemque esse ipsam formam substantialem; quæ quidem substantia materialis est, non autem materia. Sed contra 1. Nam vel forma illa substantialis dicitur materialis, quia componitur ex materia ipsi realiter inexistente: & si hoc dicatur, jam forma esset entitativè materia, quemadmodum & statua lignea est entitativè lignum, quia ex ligno ipsi inexistente componitur; unde habemus intentum. Si verò dicitur tantum esse materialem, quia unitur materia, certè eodem jure quo forma dicitur materialis, quia unitur materia, materia etiam dicenda esset formalis, quia unitur forma: & similiter anima rationalis diceretur forma materialis, & corporea, quia unitur materia, & corpori; & materia diceretur spiritualis, quia unitur animæ rationali, quæ spiritualis est.

Nec valet dicere, idèò formam esse materialem, quia in esse, fieri, & conservari dependet à materia: nam, ut statim videbimus, hæc dependentia inexplicabilis est, si forma entitas sit absoluta à materia entitativè distincta: nec aliter quam variis verborum ambagibus, ab adversariis explicatur: à nobis autem facilimè hujusmodi nexus dissolvitur, dum asserimus eam non esse entitatem, nec substantiam; sed modum substantię materialis, seu corporeæ; qui nec divinitus sine substantia, seu materia, fieri, nec conservari potest.

Contra 2. Nam si forma illa vere est materialis, certè eo modo materialis erit, quo est substantialis: sed ita est substantialis, ut sit substantia: ergo similiter ita erit materialis, ut sit materia. Quod ut magis suadem urar eodem arguento quo ab adversariis probatur esse substantiam: inquit enim, omne ens, aut est substantia, vel accidens; sed forma substantialis non est

accidens, cum componat essentialiter compositum: ergo est substantia. Similiter itaque arguo: omnis substantia aut est materia, aut spiritus: sed forma illa non est spiritus: ergo est materia. Quemadmodum itaque non recte respondet afferendo inter substantiam, & accidens mediare ens substantiale, quod nec sit substantia, nec accidens; ita nec recte respōdebitur inter materialm, & spiritum mediare substantiam materialem, quæ nec sit materia, neque spiritus. Quemadmodum itaque licet substantia, & accidens saltim explicitè non opponantur contradictionē per modum entis, & non entis, nullum est tamen ens, quod non sit, aut substantia, aut accidens: ita similiter licet materia, & spiritus saltim explicitè non opponantur contradictionē per modum entis, & nō entis, nullum erit ens substantiale, quod neque sit materia, aut spiritus.

Dixi *saltim explicitè* non opponi contradictionē, quia implicitè contradictionem involvunt: tum substantia, & accidens modo quo ab adversariis adstruitur: tum etiam materia, & spiritus; illa quidem quia involvunt esse per sé, & non esse per sé; hec verò esse suapte natura quantum, & non esse suapte natura quantum; esse divisibile, & non esse divisibile.

Confirmatur ratio superius posita nam forma illa substantialis entitativè distincta à materia, vel est in se divisibilis, vel indivisibilis: si est divisibilis, ut communiter dicunt adversarii esse in non viventibus: ergo constat partibus, & est extensa: vel ergo est extensa penetrabiliter, aut impenetrabiliter; si impenetrabiliter: ergo est corpus: quid enim amplius ad rationem corporis requiritur, quam extensio impenetrabilis? Si dicitur esse extensam penetrabiliter, certe erit aut qualitas, & consequenter non erit substantia: aut erit spiri-

tus,

tus, ut anima rationalis, quæ corpori coextenditur, ut adversarii fatentur, & cum ipso penetratur. Si tandem dicatur hanc formam esse indivisibilem, ut adversarii communiter tuentur in viventibus, præsertim sensitivis; certe cum sit in toto corpore animalis, ut ipsi ajunt, erit in eo replicata, tota nempe in toto, & tota in qualibet illius parte: ergo erit spiritus: substantia enim indivisibilis, quæ suapte natura tota est in toto, & tota in qualibet illius parte, juxta adversarios, spiritus est: ergo si forma substantialis est substantia à materia entitativè distincta, aut est corpus, aut spiritus.

PROPOSITIO XXXVI.

Obiectiones que adversus nostram sententiam fiunt, dissolvuntur.

Obijecies 1. Quodlibet ens naturale est compositum substantiale: sed si non daretur forma, quæ substantia sit entitativè distincta à materia, ens naturale non esset compositum substantiale: ergo talis forma necessariò est admittenda. Major constat ex communi Philosophorum consensu. Minor probatur: nam ut aliquid sit compositum substantiale, duo omnino requiruntur: primum, ut ex distinctis inter se unitis componatur. Secundum, quod illa componentia sint substantia: ex defectu enim primi deficit ratio compositi: & ex defectu secundi deficit ratio compositi substantialis; materia enim sola compositum non est; ipsa verò cum accidentibus, licet sit compositum, non tamen est substantiale, sed accidentale: ergo si non daretur forma, quæ substantia sit entitativè à materia distincta, ens naturale non esset compositum substantiale. Confirmatur, nam materia prima est pura potentia saltim in esse physico, & substanciali: ergo entitativè non est actus phy-

fi-

sicus, & substantialis: sed hic actus est forma: ergo materia prima entitativè non est forma: ergo forma substantialis entitativè distinguitur à materia prima.

Resp. concessa majori, negando min. Ad ejus probationem distinguo primam partem majoris; ut aliquid sit compositum substantialie, requiritur ut ex distinctis entitativè componatur, nego: ex distinctis aut entitativè, aut modaliter, concedo: secundam autem majoris partem, nego: ad hoc enim ut compositum sit substantialie sufficit, ut coalescat ex aliqua substantia, & modo aliquo substantiali, illi substantiæ adhérente, & qui essentiam illius compositi peculiarem constitutat. Eo enim præcisè quod materia modo aliquo substantiali modificata sit, jam intelligitur determinata, & posita in actu physico, seu formata, quod sufficit ad rationem compositi substantialis; ni quæstio fiat de nomine.

Similiter ad confirmationem respondeo, concessa toto argumento, negans ultimam consequentiam: licet enim materia prima secundum se entitativè non sit forma, hinc tamen minimè infertur formam entitativè distinguì à materia; cum enim forma non sit entitas, sed modus; solum modaliter distinguitur à materia. Præterea, ut dixi prop. 32. in plerisque compositis naturalibus, pars actuosa, & nobilior est illorum forma specialis, & pars ignobilior est eorumdem materia, que quidem substantiæ sunt realiter entitativè distinctæ.

Objicies 2. Si forma nihil sit entitativum, sed tantum modale, creature nihil producèrent de novo, adeoque solus Deus esset omnium effectuum causa, nullumque esset agens creatum: sed hoc non est dicendum: ergo, &c. Sequela probatur, nam agens creatum non producit de novo materiam, cum illam presupponat; nec formam, que ut dixi prop. 30. non generatur, nec

pro-

producitur: ergo nihil producit. Resp. Agentia creata nec materiam, nec formam producere, sed solum compositum, ut loco citato explicatum est; idque juxta mentem Aristotelis. Et ut loquar cum S. Bonavent. in 2. diff. 18. art. 4. queſt. 1. creature solum faciunt, ut quod erat uno modo sit alio modo. Sed de his amplius infra redibit sermo, cum de formarum origine pertractabitur.

Objicies 3. Si forma materialis non esset entitativè distincta à materia, nulla fieret in rerum natura generatio; nullave corruptio: sed hoc dici nequit: ergo est entitativè distincta à materia. Minor probatur, nam cum aliquid generatur, aliquid de novo producitur: & cum corruptitur, aliquid destruitur: sed hoc non est materia, que ingenerabilis est, & incorruptibilis: ergo aliquid aliud generabile, & corruptibile: sed hoc nihil aliud esse potest nisi forma: ergo in generatione producitur forma; & in corruptione destruitur: sed hoc esse nequit quin à materia entitativè distinguatur: ergo forma materialis entitas est à materia realiter entitativè distincta.

Resp. negans majorem: ad ejus probationem, concessa toto primo syllogismo, nego minorem subsumptam, si loquamur de propria productione: nam juxta Arist. & S. Thom. non forma, sed compositum propriè producitur: hecque est genuina sententia peripatetica, à qua plurimi ex Neotericis sensim recessere, ut suas formas materiales entitativè à materia distinctas posse tueri. Compositum itaque est generabile, & corruptibile; forma verò nec generabilis est, nec corruptibilis propriè loquendo; sed solum per accidens, & impropriè, quatenus nempè generatur, aut corruptitur compositum.

Dices, formas materiales modo sunt; modo non sunt: ergo modo genitae sunt; modo corruptæ. *Hic instantiae respondeo ipsis verbis S. Thomæ 1.par.quæst. 65.art.4.in corp. Formæ autem corruptibilium rerum habent ut aliquando sint; aliquando non sint, absque hoc quod ipse generentur, aut corrumpantur: sed compositis generatis, aut corruptis.* Unde licet colligere predictas formas non esse substantias entitativas à materia distinctas; si enim tales essent, aut per creationem, aut per generationem deberent esse: & per annihilationem, aut per corruptionem esse desinerent. Item si entitativè distinguerentur à materia, potius per earum desitionem, aut corruptionem, desineret esse compositum; quam è converso: item potius per eorum productionem produceretur compositum, quam è contra: agens enim separando partes compositi, aut eas destruendo, compositum destruit. Hinc inferes solum esse quid modale; hoc enim posito, cuncta predicta perspicua illatione consequuntur. Analogiam habes in hoc vocabulo *Amor*, quod ex quatuor illis litteris compositum est, queve ejusdem sunt materia; illarum enim ordinatio, & conjunctio est prefati vocabuli forma: fitque de novo vocabulum illud sola litterarum coniunctione; & destruitur sola earumdem separatione; idque absque productione, aut destructione alicujus novæ entitatis; sed sola separatione, aut coniunctione litterarum, que modus illarum est. Idem dicendum est in nostro casu.

Objicies 4. Singula entia naturalia, etiam purè corporeæ, suas habent peculiares operationes: sic leo rugit, equus hinnit: ignis calefacit, &c. Sed hujusmodi operationes nequeunt oriri à materia, quæ ex se iners est, nullamque habet vim operatricem, eademque est

specie in omnibus compositis naturalibus: ergo proveniunt ab uniuscujusque speciali forma: ergo hæc quid est realiter entitativè à materia distinctum. Resp. concessa majori, distinguens minorem: predictæ operationes nequeunt oriri à materia secundum se spectata, concedo; à materia ut modificata, seu formata, nego: & consequentiam. Verum quidem est materiam secundum se spectatam esse prorsus insufficientem ad tam diversas operationes efficiendas; caterum prout diversimodè formata est, sufficit ad predictas functiones obvendas, ut jam dixi, & speciatim exponam cum de singulis speciebus erit sermo. Est autem diversimodè formata, quatenus est diversimodè modificata: id est, quatenus atomi, in quibus physice consistit, diversimodè necuntur, locantur, moventur, combinantur, &c. quod supra materiam nihil addit entitativum, sed dumtaxat modale, ut sibi dixi.

Objicies 5. Saltim principium sentiendi, quod in animantibus reperitur, inexplicabile est, ni recurratur ad formam substantialem entitativam, à materia, seu atomis distinctam; est enim prorsus inintelligibile, quæliter complexus illus, seu combinatio atomorum possit tam nobilem effectum producere: ergo saltim in animantibus admitti debet predicta forma entitativa.

Hanc obiectionem, quæ potissimum adversus Atomistas difficultatem opponit, non est hujus loci plane dissolvere: multa enim exposcit, quæ in tractatu de Animalibus exponentur. Interim tamen dico non minorem reperi difficultatem in concedenda vi sensitiva illi formæ entitativæ, imò forte majorem, quam atomis certò quodam, eoque mirabili artificio dispositis: forma enim illa, juxta Aristotelem, nec propriè habet esse, nec est simpliciter ens, ut adversarii, p̄cipue Thomi-

stæ fatentur ; atomi verò simpliciter ens sunt, propriæ que habent esse : potius ergo secludenda est à præfatis formis substantialibus vis sensitiva, quam ab atomis, sic specialiter combinatis, ac dispositis : præcipue cum nihil in his reperiatur , quod incompossibile appareat cum principio sentiendi, quod non etiam in prædictis formis reperiatur : non materialitas, quia etiam formæ sunt materiales : non cuiusvis atomi indivisibilitas, quia etiam formæ animalium saltim perfectorum à plerisque adversariis assertuntur indivisibles : non tandem aggregati atomorum divisibilitas, quia formæ animalium imperfectorum ab eisdem dicuntur divisibiles : ergo si quæ in explicando sensitivo principio difficultas angit Atomistas ; æqualis , & forte major Adversarios torquet.

Objicies 6. Si compositis naturalibus non adesset forma substantialis entitatib[us] distincta à materia , non distinguerentur inter se substantialiter , & specificè : sed hoc est absurdum : ergo prædicta forma admittenda est. Major probatur , nam ut composita materialia substantialiter , & specificè distinguantur, necesse est ut alia aliquam substantiam specificam includant , quæ in aliis non reperiatur : sed hæc non est materia , quæ in omnibus est ejusdem speciei : ergo est aliqua entitas substantialis entitatib[us] distincta à materia : sed hæc nulla alia esse potest, nisi forma : ergo ut composita materialia substantialiter specificè distinguantur, necesse est ut habeant formam substantialiem entitatib[us] à materia distinctam.

Resp. negans majorem : ad cuius probationem negro etiam majorem : ut enim composita substantialiter , & specificè distinguantur sufficit eorumdem materiam diversis modis substantialibus, sive essentialibus , speci-

ficè inter se diversis, esse formatam : sic atomi uno modo collectæ, combinatæ, ac unitæ, ferrum sunt; alio verò longè diverso colligatae, lapis ; planta, &c. Hoc, inquam, generaliter in omnibus compositis ad specificam, & substantialiem diversitatem sufficit; in plerisque verò, praesertim in viventibus, prefata diversitas ex diversitate illius specialis formæ, quæ in ipsis reperitur , potissimum sumitur, quæ quidem substantia, & entitas est, entitatib[us] ab aliis illius compositi partibus distincta, ut alibi diximus.

Instabis ex Illustr. Franc. Palanco in *Dialogis , dial. 50. num. 434.* Nam forma illa, seu commixtio, & contextura atomorum, solùm modaliter ab atomis distincta, nullam veram realitatem addit ipsis atomis, ab ipsis re vera distinctam : ergo nec veram realem perfectionem substantialiem , re vera ipsi materia conferre potest. Sed similiter instabo adversus Illustris. P. forma illa substantialis, quam admittit, propriè non habet esse, nec absolutè, & simpliciter est ens , ut expressè cum Aristotele habet S. Thomas : ergo nullam realitatem propriè , & simpliciter talem superaddit ipsi materia prima : ergo nec propriam perfectionem substantialiem, & simpliciter talem, re vera ipsi materia conferre potest. Respondeo itaque atomorum texturam addere veram ipsis atomis perfectionem, ab eis non quidem entitatib[us], sed solùm modaliter distinctam. Quemadmodum enim horologii automati artificium ; partium nempè eum componentium contextura , addit veram perfectionem ipsis partibus, licet solùm ab eis modaliter distinctam, quæ propriè est ejusdem horologii forma : ita & atomorum textura , licet solùm addat perfectionem ab eis modaliter distinctam , erit tamen compositi substantialis forma.

Instat idem Palanco hanc distinctionem modalem purè illusoriam esse, solumque verbis, nullam realitatem obiectivam significantibus, constare. Sed quidquid sit de distinctione modali, an nempè sit realis, & plus quam rationis, nec ne; de quo acriter solet in Metaphysica decertari. Id tamen mihi videtur certum, omnes Philosophos agnoscere aliqua, quæ ab invicem, saltem divinitus separari, & in statu mutuae separationis conservari possunt; & hec quidem entitative distinguuntur: alia verò ita solum separari possunt, ut licet unum sine alio persistat; aliud verò sine isto, nec divinitus valet existere: sic unio sine extremis nec divinitus existere potest; quemadmodum neque actio sine agente; curvitas digiti sine digito, &c. hecque solum modaliter distinguuntur. Dicimus itaque nexum illum, & combinationem atomorum sine atomis, nec divinitus existere posse, licet illę sine ista naturaliter possint existere: ideoque asserimus solum modaliter ab atomis distinguiri: itemque nec esse entitatem, nec simpliciter ens; sed modum entitatis, & entis: idque asserimus esse formam. Quod si velit adversarius prædictam atomorum dispositionem appellare entitatem, ejusque ab atomis distinctionem appellare entitativam, per nos licet; id enim tantum in praesenti intendimus, nihil aliud esse formam materialiem prædicta dispositionem illam, nexumque atomorum. Hæc autem solum dixi, ut vel hinc pateat prædicto argumento nostram sententiam minime labefactari posse.

Objicies 7. Anima rationalis est vera forma hominis realiter entitative distincta à corpore: sic enim definitum est in Concilio Vienensi sub Clemente V. quod fuit Ecumenicum XV. & in Concilio Lateranensi III. sub Leone X. quod fuit Ecumenicum XVII. ergo in aliis

aliis compositis etiam admittenda est forma substantialis entitative distincta à materia. Consequens probatur, nam ideò in homine datur forma rationalis realiter entitative à materia distincta, quia dantur in homine proprietates, quæ materię nequeunt adscribi, quales sunt intelligere, discurrere, velle, &c. sed etiam in aliis compositis dantur proprietates, quæ materię nequeunt competere, ut in leone rugire, in equo hinnire, &c. ergo eodem jure quo in homine, etiam in aliis compositis est admittenda forma substantialis entitative distincta à materia.

Resp. concessso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem concessa majori, nego minori: ut enim suprà ostensum est, proprietates, & operationes rerum materialium materia corporeæ competere possunt; non quidem nudè sumptę, sed prout hoc, vel illo modo disposita, hac vel illa harmonia combinata. Addo insuper ex R. P. Maignano disparitatem apertam, cur anima humana realiter entitative sit à materia distincta; non verò cetera formæ rerum materialium: cum enim entitas animæ humanae spiritualis sit, ab omni materia corporea necessariò debet esse distincta: formę verò materiales, eo ipso quod materiales sint, intrinsecè ex inexistente eisdem materia constare debent: ideoque à materia entitative nequeunt distinguiri: sed solum modaliter, ut sepius dixi.

Objicies 8. Testatur experientia, corpora suas habere proprietates, quibus si vi orbentur, iterum illas suaptè natura repetunt, & adquirunt: sic cum morbi vi, actiones vitales ita leduntur, ut omnino extinctæ videantur, confessim ægritudine pulsā, recuperantur; sic etiam aqua, quæ admoto igne calefacta est, amoto ipso, ad pristinam frigiditatem sese reducit: & sic de aliis;

sed hujus reductionis causa non alia esse potest, nisi forma substantialis à materia entitativè distincta: ergo hæc est necessariò admittenda.

Respondeo concessa majori, nego minorem. Licet enim admittentes prædictas formas materiales entitativas, brevissimè, ac veluti verbo, à prædictis difficultibus se expediant, dum ajunt illa phænomena à propria forma provenire: qualiter tamen hujusmodi ratio mentem illuminet non video. Multo itaque præstansius, multoque philosophius in nostra sententia responderemus: in animantibus vitales actiones à morbo lœdi, quatenus humor in organi præcipuas fibras illapsus, earrum motum impedit; vel proprium eisdem à natura inditum tonum enervat: aut etiam subtiles ductus obstruens, debitum spiritibus cursum, ac recursum impedit, &c. Hinc ablato illo humore, debitus fibratum tonus recuperatur, spirituumque naturalis curso recursus per naturales meatus restituitur: dummodo enim maneat præcipui motus, in quibus vita consistit, quales sunt cordis, & arteriarum, sanguinisqne circulatio, cæteri minus præcipui, qui à morbo proscripti fuerant, eo ablato, ad pristinum statum reducuntur. Similiter dicimus aquam calefieri à particulis igneis, quæ in aquam subeuntes, ejusdem aquæ particulas ad intestinum, eumque frequentissimum motum concitant, in quo ejus calorem consistere asserimus: recentibus verò ignis particulis, nec aliis jam de novo accidentibus, cessat in aquæ particulis prædictus motus intestinus: unde ad pristinum frigiditatis statum remeat. Hæc tantum modo indico, ut specimen tantum exhibeam, suis enim locis sunt exponenda.



§. III.

§. III.

*Accidentia, seu forme accidentales physicè em-
cleantur.*

PROPOSITIO XXXVII.

*Nullæ dantur forme accidentales entitativæ in eo
sensu quo in Scholis communiter affer-
runtur.*

Quid de formis accidentalibus probabilius mihi videatur dicendum, satis exposui lib.3. Metaph. cap.3. à prop.13. ubi ni fallor, Aristotelis mentem circa accidentia satis aperui; ideoque præter ea, quæ eo loci dixi, nihil in presenti addere opus est: ex illis autem, & ex nuperrimè assertis circa formas substantiales materiales, satis colligi potest, nullas dari formas accidentales entitativas in sensu, quo in Scholis communiter adferuntur. Ut autem id amplius ostendam, supponendum est, Philosophos, qui communiter in Scholis Peripatetici appellantur, afferere formas accidentales, quales sunt quantitas, gravitas, calor, frigiditas, lumen, color, sapor, &c. esse veras entitates ab omni substantia distinctas, quæ rebus jam in suo esse physico essentiali constitutis adveniunt, eisque inhærent: has aferunt ex materia generari, ab ea tamen realiter entitativè distingui: ita tandem subiecto inhætere, ut non nisi per miraculum extra subiectum existere possint. Has autem formas accidentales, sic intellectas, non esse admittendas, eisdem rationibus planè convincitur, quibus prop. 35. probatum est nullas dari formas substantiales materiales, prout etiam in Scholis communiter admittuntur: placet tamen aliquas hic peculiariter adducere.

Probatur itaque 1. nostra conclusio. Nam si darentur accidentia entitativa realiter ab omni substantia distincta, secundum se haberent esse, haberent quidditatem: & essent simpliciter entia: & consequenter fierent, & corrumperentur: sed accidentia secundum se, neque habent esse, neque quidditatem, neque sunt simpliciter entia: insuper nec sunt, nec corrumpuntur: ergo non dantur predicta accidentia. Minor constat ex variis testimoniorum Aristotelis, & S. Thomas ejusdem fidissimi Expositoris, quorum aliqua hic adducam: sufficiet tamen verba S. Thomae in medium producere, qua tum propriam, tum & Aristotelis mentem satis aperient. Itaque S. Thomas 7. *Metaph. lect. 1.* ait: *Alia verò (id est, accidentia) dicuntur entia, non quia ipsa habeant secundum se aliquam quidditatem, quasi secundum se entia, cum non ita dicantur absolute quid; sed eo quod sunt talis entis.* Idem afferit 12. *Metaph. lect. 1.* *Quantitas, qualitas, & hujusmodi non sunt simpliciter entia, nam ens dicitur quasi esse habens: hoc autem solum est substantia, que subsistit: accidentia autem dicuntur entia; non quia sunt, sed quia magis ipsis aliquid est, sicut albedo dicitur esse, quia ejus subiectum est album: idè dicit Aristoteles quod non dicuntur simpliciter entia, sed entis entia.* Tandem 1. 2. *quest. 110. art. 2. ad 3.* Idem omnino afferit, & insuper addit: *Et quia ejus est fieri, vel corrumpi, cuius est esse: idè propriè loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur; sed dicitur fieri, vel corrumpi, secundum quod subiectum incipit, vel definit esse actum, secundum illud accidens.*

Major itaque nostri argumenti probatur eodem modo quo simile quid probavimus prop. 35. adversus formas substanciales materiales. Praterea, quia si acci-

denta essent entitates ab omni substantia distinctæ, ex nullo capite ipsis prohibitum esset habere proprium esse, habere quidditatem, & esse simpliciter eius. Non certè ex eo, quod composito, jam essentialiter completo adveniant, ipsique dent esse, non quidem simpliciter, sed aliqualiter, & secundum quid: nam etiam vestes, & arma homini essentialiter completo adveniunt, eique tribuunt illud esse aliquale, & secundum quid, nempe esse vestitum, & armatum; & tamen vestes, & arma sunt in se vere, propriè, ac simpliciter ens, quia nempe sunt entitates ab homine realiter distinctæ: licet ergo accidentia dent solum esse aliquale, & secundum quid composito, hoc non obstante, si entitates sint à subiecto realiter distinctæ, erunt propriè, & simpliciter ens.

Dices ideo accidentia non esse simpliciter ens, quia non sunt *quod*, sed *quo*. Hanc solutionem jam loco citato, satis efficaciter enervavimus: nihil est enim nisi ipsa questio: quod enim argumentum contendit est, accidentia, si entitates sint à subiecto entitativè distinctæ, non solum debere esse *quo*, sed *quod*; id est, non solum esse debent, quo subiectum aliqualiter est, sed etiam in se oportet ut sint id, quod illa entitas sit: quemadmodum, & vestis non est solum qua homo est induitus, sed in se etiam est quid, aut aliquid ex serico, aut lana contextum; hoc aut illo modo sectum, consumum, &c. Si itaque accidentia non sunt *quod*, non entitates, sed modi sunt substantiae, seu compositi, ab eo solum distinctione modali, quæcumque illa sit, distinctæ.

Nec possum non valde mirari viros alioquin doctissimos ad prefatos modos essendi ut *quod*, & ut *quo* recurrere, eo certè ne ab Aristotele recedere videantur, dum accidentia illa entitativa ab omni substantia entitativè

tativè distincta tueruntur: cum tamen in nostra sententia clarissimè exponatur quidquid Aristoteles, & ex eo S. Thomas locis suprà adductis de accidentibus loquuntur: dicimus enim loquutos fuisse de accidentibus modalibus, quæ cum solummodo sint determinationes quædam entis completi, eidem superadditæ, ut istud aliquale esse extra propriam essentiam habeat, certè nullam propriè habent entitatem, nec sunt simpliciter ens, sed potius entis. Si enim clara, ac distincta habeatur idea entitatis, & modi; illico apparebit modus, ut tale, non esse simpliciter ens, nec quid, sed potius quo ens taliter est; id est, modus essendi entis. Sed de his jam egimus in Metaphysica.

Neque hinc inferas velim me afferere omnia accidentia esse modos illius substantiæ, cujus sunt accidentia, ut enim in Metaphysica dixi; aliqua sunt, quæ in se quidem substantia sunt, & entitas absoluta; respectu verò alterius substantiæ sunt accidentia, ut vestis, & armæ respectu hominis, qui vestitus, & armatus dicitur. Vide dicta loco citato in hujus propositionis initio.

Probatur 2. Nam predicta accidentia entitativa ab omni substantia realiter distincta nullius sunt in Physiologia usus: nullum est enim phenomenon, quod sine ipsis non possit exponi: nullum est Philosophia naturæ quæsitus, quod sine eisdem explanari non valeat: imò nullum est quod ope predicatorum accidentium physicè, ut par est, pos sit explicari: evolve sis, tot Philosophorum volumina, & vide an ex sequentibus problematis satis obviis, aliquid præfatorum accidentium præsidio resolvatur. 1. Cur lumen, si accidens sit entitativum, dum reflectitur, reflexionis angulum angulo incidentia formet æqualem. 2. Cur item lumen, cum in diversa densitatis diaphanum obliquè incidit, non per

can-

éandem lineam, qua venerat, illud pervadat; sed potius per aliam, qua nempè aut accedit ad perpendicularum, aut ab eo recedit. 3. Cur si sonus qualitas sit entitativa, sonantibus majoribus organi pneumatici sciphonibus, scamna, & tabulata tremant: cur item aliqua tremant ad sonitum fistulae D la sol re; alia verò non nisi ad sonitum fistulae C sol fa ut. 4. Cur item una chorda sonante, alia eidem unisona, aut in diapason, aut diapente constituta, etiam intacta sonet; secus verò si in tritono, aut secunda consistat. 5. Cur binæ voces, seorsim gratissimæ, si simul in diapason, diapente, aut ditono concinant, optimè sónent; si verò in secunda, aut tritono, ingratisimè. 6. Cur magnetica corpora, si magnetismus qualitas est entitativa, diriguntur per Meridianum ad Telluris polos; non verò alibi. 7. Cur item Magnes, ex una ejusdem parte acus magneticæ cuspidem trahit; caudam respuit; ex opposita verò parte caudam vocat, cuspidem abire facit. 8. Cur Nix alba est, non nigra, aut alterius coloris. 9. Cur lapis niger, ardente Sole, calidissimus sentitur; non ita albus. Sileo alia sexcenta problemata naturalia his similia, quorum solutionem ope præfatorum accidentium à suis Auctoriis expectabo, interim dum juxta mea principia; non sine ingenti legentium oblectatione, si non evidenter, saltim maxima cum probabilitate, propriis tractatibus resolvam. Nunc autem obiectionibus, quæ adversus nostram doctrinam fieri solent, sequentibus propositionibus satisfaciem.

(***) (***)

(***)

PROPOSITIO XXXVIII.

Ex accidentibus spiritualibus naturalibus minimè probantur formæ accidentales, ab omni materia entitativè distincte, prout in Scholis communiter admittuntur.

Solent adverfari nostram sententiam ex triplici capite impetere. 1. Ex formis accidentalibus spiritualibus naturalibus. 2. Ex formis spiritualibus supernaturalibus. 3. Ex accidentibus, quæ in venerabili Eucharistia Sacramento, peracta consecratione remanent. Sed quam irrito conatu id moliantur, paucis exponam. A primo itaque exordiamur.

Objiciunt itaque adverfarii. Dantur formæ accidentales naturales spirituales ab omni substantia distinctæ: ergo & dantur formæ accidentales materiales ab omni substantia etiam distinctæ. Consequentia tenet, nam præcipua rationes, quas nos adverlus formas accidentales materiales supra proposuimus, & que militant adversus spirituales: istæ enim propriè habent esse, & quidditatem, & essent simpliciter entia: & consequenter fierent, & corrumperentur, quod minimè congruere diximus notioni accidentis supra expositiæ juxta Aristotelis mentem: si ergo dantur formæ accidentales spirituales ab omni substantia distinctæ, etiam & materiales erunt admittendæ: & eodem modo quo illæ constituentur respectu substantiarum, seu subiecti spiritualis, constituentur & istæ respectu substantiarum, seu subiecti materialis. Antecedens itaque probatur. Scientia, & virtus non sunt substantia animæ rationalis, sed ei adveniunt, ab eaque deficiunt, ipsa non pereunte: ergo sunt animæ accidentia ab entitate animæ distincta; eaque spiritualia, cum subiecto spirituali inhærent: ergo dantur accidentia-

LIBER I. CAPUT II.

107

cientia spiritualia ab omni substantia distincta. Major probatur, quia si scientia, & virtus essent ipsa substantia animæ, omnis anima esset naturaliter scientia illustrata, & decorata virtutibus: sed hoc est contra experientiam, qua evidenter constat hominem, immutata animæ substantia, ex indocto fieri doctum; probum ex improbo; & è contra: ergo scientia, & virtus quid sunt ab ipsa substantia animæ distinctum.

Resp. distinguendo anteced. Dantur formæ accidentales spirituales, & naturales ab omni substantia entitativè distinctæ, nego; modaliter distinctæ, concedo. Ad antecedentis probationem, permisso antecedente, distinguo similiter consequens: scientia, & virtus sunt animæ accidentia ab entitate animæ entitativè distincta, nego; modaliter distinctæ, concedo: & nego consequentiam. Scientia itaque, & virtus sunt accidentia animæ; non quidem entitativè talia, prout ab adverfariis asseruntur, sed modalia: sunt enim ipsius animæ modifications ab ea modali distinctione distinctæ: eodem modo quo accidentia materialia modifications esse dixi substantię materialis, & corporeæ ab ea solùm modaliter distinctæ. Exponere autem physicè quid rei sit scientia: quidve physicè sit virtus, sive actualis, sive habitualis non est hujus loci.

Id autem addendum duxi cum R. P. Joanne Saguenis *Phys. disp. 2. art. 3. num. 14.* illas nempe entitates ab adverfariis in anima confictas, nullatenus posse animam reddere sive doctam, sive virtuosam: id enim non aliter illi præstare possunt, quam communicando illi scientiam, & virtutem: sed præfata entitates ad hujusmodi communicationem sunt profus insufficientes, quia ex se nihil habent doctrinæ: nihilque virtutis: ergo frustra, ac sine fundamento configuntur. Confirma-

108 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
matur. Finge enim pro libitu quo volueris entitates in anima, numquam illæ eam docebunt, quo motus sunt in Planetis, quotve in ipsis sint irregularitates, seu anomaliae: horum enim intelligentia solum habetur per iteratas predictorum motuum observationes, intuitiones, calculos, &c. Nihil ergo ad Astronomiæ notitiam predictæ entitates conferre possunt. Idem dicam de ceteris.

PROPOSITIO XXXIX.

Ex accidentibus spiritualibus supernaturalibus minime probantur formæ accidentales ab omni materia entitativè distinctæ, prout in Scholis communiter admittuntur.

Obijiciunt itidem Adversarii. In ordine supernaturali dantur formæ accidentales spirituales: sed hujusmodi formæ sunt entitates à substantia animæ entitativè distinctæ: ergo in ordine supernaturali dantur formæ spirituales à substantia animæ entitativè distinctæ: sed his admissionis, admittenda etiam sunt cæteræ formæ accidentales entitativæ, tum spirituales, tum corporeæ: ergo dantur hujusmodi formæ. Minor probatur, nam gratia habitualis est forma spiritualis: quod tamquam fidei dogma tenendum est postquam Concilium Tridentinum variis in locis definivit justificationem, nec in sola peccatorum remissione, aut in sola imputatione justitie Christi consistere; sed potius fieri per gratiam, quæ donum est Spiritus Sancti, quodque animæ inheret; estque causa formalis nostræ justificationis. Quod praeterea extendendum est ad scientias, ac virtutes supernaturales infussas: dantur ergo hujusmodi formæ spirituales supernæ: sed hæ necessariò esse debent ab entitate animæ, quæ naturalis est, distinctæ: ergo formæ accidentales supernaturales sunt entitativæ ab anima distinctæ.

Ut

LIBER I. CAPUT II. 109
Ut huic obiectioni, quæ præcipua est adversus nostram sententiam, plenè, ut par est, satisfiat, multa oportebat hue adducere, quæ non sunt hujus loci: breviter tamen duas solutiones in præsenti exhibeo.

Responderi itaque potest 1. cum R. P. Emmanuele Maignan *Phil.sacré, cap. 21, prop. 11.* Gratiam habitualem, virtutे�sque supernaturaliter infussas esse entitates supernaturales, quæ à Deo animé donantur ad eam sanctificandam, illustrandam, elevandam ad operaciones, quæ supra ejus naturam sunt, eliciendas, quæ recte accidentia, & qualitates appellantur respectu animæ, cui infunduntur: sunt autem valde diversæ à formis illis accidentalibus, quæ ab adversariis admittuntur: neque enim gratia, cæteraque dona, ac virtutes supernaturales infussæ educuntur ex animæ sinu; sed potius in animæ sinu creantur, cum ex nihilo sui, tum ex nihilo subiecti; idque à Deo supernaturaliter operante, ideoque in se solum sunt accidentia respectiva: aut si placet, etiam entitativa; non quidem prout in Scholis hujusmodi accidentia constituantur, sed prout à nobis *Metaph.lib.3, prop. 24.* sunt asserta.

Quod autem gratia, cæterique habitus infusi non educantur, sed per veram creationem producantur, est sententia omnium antiquiorum Theologorum, quos commemorat P. Vazquez in *1. part. disp. 174. cap. 1.* exilliantum gratiam, aliaque ejusmodi supernaturalia dona creatione tantum fieri, aut saltem concreacione, quod ad præfens institutum perinde est: idemque tenent S. Thom. in *1. dist. 14. quest. 3.* his verbis: *Quia gratia gratum faciens elevat hominem supra totum esse naturæ, in quantum elicit actum, & ordinat in finem, in quem natura per sua principia attingere non potest, non est perfectio educta de potentia materie: & ideo*

ideo à solo Deo confertur.

Hæc autem gratia habitualis, ceteræ virtutes supernaturales prædictæ à Deo animæ infunduntur in justificatione, seu renovatione interioris hominis: aut etiam diffunduntur juxta illud Röm. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ideoque dixi hujusmodi dona supernaturalia rectè appellari accidentia, & qualitates respectu animæ, cui infunduntur; accidentia videlicet respectiva, quæ tamen non inveniuntur extra subiectum, id est, extra creaturam rationalem, in qua sunt, vel cui sanctificanda sunt infusa. Sed hoc idem cum doctissimo Maignano amplius explicare nitamus.

Quoniam verò horum entium spiritualium species proprias in hac mortali vita minimè habemus, licet nobis alienas ex rebus corporeis desumptas advocare, ut aliqua servata analogia, aliquantulum eorum ideam, imperfectam licet, efformare possimus. Ex corporalibus itaque creaturis, nulla ad id muneris congruentius accipi posse videtur, quam lux; hæc enim licet in se sit ob ejus subtilitatem sensibus imperceptibilis; cuncta tamen corpora ita decorat, & illustrat, ut jure sit totius naturæ corporeæ ornamentum, & decus. Concipiamus itaque quemadmodum & P. Maignan cum plerisque Patribus asceticis concipit, gratiam habitualem ad instar cuiusdam resurgentie lucis illius increatae, & æternæ, quæ in Deo totius luminis fonte reperitur, juxta illud Joann. 1. *Deus lux est, & tenebrae in eo non sunt illæ.* Ab hoc itaque luminis principio gratia habitualis, veluti produetus radius dimanat, animæ illabitur, eidemque inhærens ita eam decorat, & illustrat, ut rectè iis, qui tanto dono illustres evassere, dixerit Paulus ad Ephes. 5. *Eritis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ut filii*

filiī lucis ambulate. Hinc quemadmodum recedente lucido, vel interposito opaco, recedit lux, omnisque nitor, ac splendor è corporibus deperit; ita in anima, Deo recedente, ac veluti splendidissimum suum vultum occultante, ubi interponitur, seu opponitur amori ejus peccatum, spiritualis ille vivificus gratiæ splendor evanescit, ob interpositum nempe mortiferæ labis obicem.

Præterea hanc lucis cum gratia analogiam, quamvis imperfectam, in sequentes, cogitemus ut quemadmodum lux ista solaris, unica licet sit, & simplex omnium colorum varietatem induit, & pulchritudinem, prout nempe diversimodè ex parte sui corporibus illabitur, tum etiam prout ab eisdem diversimodè excipitur, trahicitur, aut reflectitur; ita similiter divinae sanctitatis lux, tum magis, aut minus, tum etiam variis modis à creaturis rationalibus participatur, secundum quod ipse Spiritus Sanctus disposuerit, dividens singulis prout vult. Hinc totidem in anima resurgent gratiarum, atque divinarum virtutum lumina, gratiam comitantia, ut in ordine supernaturali possimus generatim dicere: gratiam justificantem secundum propriam emitatem ita esse analogam luci; ut quemadmodum lux à Sole in crystallo nitidissimam illapsa, totam non modo convertit exterior, verum & interior veluti penetrat, & natura Solis participem facit: ita & gratia sanctificans, veluti splendor à Deo, qui lucem habitat inaccessibilem, animæ immisso, illam ita decorat, ita convertit, ac nobilitat, ut efficiatur divinæ concors naturæ, prodeatque in fimbriis aureis circumdata virtutum varietate; præfertim autem tribus illis Theologicis, quas veluti tergeminam lucem spectare licet; in spe quidem vernantem splendore quasi smaragdinis: in fide nitido cœruleo tinctam,

ctam, ac demum flammeo rubentem charitatis; ut nempe trino hoc pricipuo fulgore, rutilet circum justificati caput Iris perfectæ justitiae; totaque anima sit Deo grata, atque ejusdem oculis decora.

Hanc lucis cum gratia analogiam sum prosequutus, ut aliqualem saltim ejusdem ideam prægnere tentarem; est tamen gratiam inter, & lucem ingens diversitas; illa enim quid spirituale est; hęc verò quid corporuum; ac præterea lux extra illuminatum corpus, saltim quoad substantiam naturaliter potest persistere; gratia verò extra subiectum spirituale quod justificat, suapte saltim natura persistere non valet, ut alibi dixi, nullum enim munus extra subiectum habet; nullamque operationem extra illud valet exercere. Dixi tamen suapte natura; dubitari enim potest an gratia sanctificans, cæteraque dona supernaturalia possint divinitus extra omnem subiectum conservari: quod nempe nimis arduum aliquibus videbitur concedere; nullus enim, quod sciam, ex adversariis id asseruisse videtur. Si itaque asseratur adhuc divinitus extra subiectum existere non posse, certe nihil erunt entitatium; sed solum modale, ideoque alter argumento proposito respondere oportebit.

Responderi itaque potest 2. cum R. P. Saguens in *Libello*, quem *systema gratiae* inscripsit, *quaest. 2.* & in suo *Atomismo demonstrato*, *dial. 19.* Gratiam habitualem non distingui entitatibꝫ ab anima sanctificata, aut gratificata; sed esse mirabilem quandam modificationem illius, à Deo factam in ipsa anima; hanc autem modificationem, ait citatus Auctor confistere in habituali quadam illustratione, aut illuminatione, qua nempe anima passivè illuminatur, & ad omne bonum supernaturale inclinatur: & consequenter sanctificatur, ac veluti adæquatè rectificatur in ordine ad Deum. Hinc

cum

cum modus anima sit, propriè non producitur, aut sit, ut generatim de omnibus modis variis in locis dictum est; potest tamen dici gratiam habitualem produci, quatenus anima cum illa creatur, seu actione creativa conservatur cum illa habituali rectitudine, illuminatione, &c. sive hæc impropria, ac lata gratię productio dicitur concreatio, sive increatio, sive alio nomine illam volueris appellare: non enim in alio sensu in hac hypothesi produci dicitur, quam in eo quo omnis nova mutationis intellectualis, perinde ac omnis nova mutationis localis, dicitur communiter produci.

Quoties autem abstractè loquimur de hac gratia habituali, eam qualitatem esse anima inherentem asserere non inficiamus; illa enim illuminatio suprema habitualis, in qua juxta hunc discurrendi modum vera gratia habitualis notio consistit, verè animam qualificat, quia verè eam sanctificat, gratificat, consignat in heredem regni caelis, efficit domesticam Dei, &c. Aliud autem cum modificatio animi sit, ita est eidem intima, ut nihil eidem intimius inhaerere possit.

Hinc rectè explicari potest, qualiter Deus speciali titulo dicatur inhabitare animam iusti, in eademque manere, juxta illud 1. Joann. 4. *Deus caritas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Ac rursus Joann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansio apud eum faciemus.* Specialiter enim Deus inhabitat animam quatenus eam habituali illa illuminatione supernaturali illuminat, sibi unit, affiliat, heredem instituit, virtutum monilibus ornat, decorat, sibique despontat, ac supra omnem modum sibi efficit gratiam. Neque ad id præstandum opus habet entitate aliqua producta, & in anima recepta, cum

cuncta prædicta solùm per illam sui activam inhabitacionem possit præstare: cum enim Deus per se ipsum sit lux ineffabilis, non certè alia eget luce, ut animam illuminet, sed sufficiet ejusdem in anima specialis habitatio, quæ in prædicta habituali luminis in illam diffusione consistit; quæ quidem illuminatio, si activè consideretur, est ipse Deus illuminans; si verò passivè, est ipsa anima illuminata, & in illo statu supernaturali habitualicer constituta.

Quod ut uberiori explicem, attende, Deum immensitate sua inhabitare animam, etiam peccatricem. Quid ergo erit illud quod Deus promisit, se nempè ventrum ad animam ex peccatrice jam factam dilectricem, in eaque mansurum? Quid, certè, nisi quod proprius ad ipsam accedat, & intimius eam inhabitet, per affectum scilicet peculiarem suæ operationis, quo nempè luminis radios, quos ob peccati obicem continuerat, in ipsam ita diffundat, ut eisdem habitualiter illuminetur, illustretur, decoretur, ac justificetur. Cogita quælibet animam inhabitare corpus, tum otiosè, nullumque motum eidem tribuens: tum præterea activè, quatenus nempè illud movet: cogita ergo similiter Deum posse inhabitare animam, vel quasi otiosè, vel activè: primò modo inhabitat animam peccatricem, cui licet illustrations illas actuales, & inspirations conferat, in quibus gratia auxilians consistit; ista tamen minimè sunt habitualiter permanentes, sed ad instar fulgurum coruscantium radiationes, cito transeunt: secundò verò modo animam justi Deus inhabitat, quatenus nempè eam habitualiter, ac supernaturaliter illustrat, ac ad omne bonum habitualiter movet, facitque proclivem: & in hoc dicimus stare animam justi esse specialiter habitatam à Deo, esseque habitualiter sanctam, Deoque gratam.

Hinc tandem colligere licet, gratiam habitualē non esse solam imputationem iustitiae Christi; aut iustitia Dei, qua nempè Deus justus est: neque solam, nudamque remissionem peccatorum; sed esse prædictam habitualē illuminationem per Spiritum Sanctum in animam diffusam, atque illi inhärentem: quod apprimè congruit cum his, quæ à Concilio Tridentino circa gratiam habitualē statuta sunt *sess. 5. de justificatione, cap. 7. & can. 11.* Sic explicat citatus P. Saguens totum Systema gratiæ absque ulla entitate superaddita ab anima distincta: eodemque modo, proportione servata, exponit virtutes infusas, cæteraque dona supernaturalia, ut videri potest in suo Systemate Gratia.

Ut autem verum fatear, in duobus his discurrendi modis aliquid difficultatis occurrit. In primò quidem id plerisque difficile videbitur, quod nempè gratia entitas sit, & substantia supernaturalis, quod frequenter non admittitur. Præterea eandem gratiam esse substantiam spirituale, & consequenter immateriale, cum tamen non sit cognoscitiva, quod etiam durum apparabit his, qui cum Sancto Thoma ex immaterialitate deducunt cognoscitivum. Potest tamen dici esse accidentis entitativum, ut diximus *lib. 3. Metab. prop. 24.* Ac demum quod gratia, entitas cum sit, nec divinitus esse posse videatur sine subiecto, quod modificationis proprium est: quamquam posse à Deo extra subiectum conservari impune poterit præfata doctrina consequentia defendi, ut loco suprà citato diximus. In secundò verò discurrendi modo id difficile occurrit, quod nempè gratia ab anima non sit distincta: cum tamen anima sine ipsa existere possit. Sed hæc difficultas omnibus modificationibus est communis; itaque cessabit, si dicamus gratiam modali distinctione ab anima distinguiri.

de qua distinctione à Metaphysicis plurimum decertatur: alii enim volunt esse realem, licet minorem, seu minoris entitatis; alii verò solum formalem, de quo vide quæ in Metaphys. diximus.

PROPOSITIO XXXX.

Ex venerabili Eucharistie Sacramento non probatur existentia accidentium entitativorum, in eo sensu, quo in Scholis communiter admittuntur.

PRobare contendunt communiter adversarii existentiam suorum accidentium ex adorando Sanctissimæ Eucharistie mysterio, hac prout ipsis appetat, validissima ratione. Illud quod existere potest sicutum divinitus separatum ab alio, realiter entitativè distinguitur ab illo: sed accidentia panis, sicutum divinitus, possunt existere, immo actualiter existunt, separata à substantia panis: ergo realiter entitativè distinguuntur ab illa: ergo sunt entitates accidentiales, non solum modaliter, sed realiter entitativè à substantia panis distinctæ. Minor prob, nam ut sensibus ipsis observamus, & experimur, facta consecratione panis, remanet eadem quantitas, eadem gravitas, idem color, odor, &c. quæ erant ante consecrationem: sed facta consecratione, ut fides docet, nihil remanet substantia panis: per consecrationem enim fit mirabilis illa conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, quæ idcirco quamoptimè transubstantiatio appellatur: ergo accidentia panis praedicta existunt, miraculosè licet, separata à substantia panis: ergo sunt entitates à substantia panis realiter entitativè distinctæ.

Resp. concedens totum argumentum; licet enim sint entitates à substantia panis, & vini entitativè distin-

ctæ;

ctæ: non tamen sunt praedicta accidentia ab omni substantia entitativè distinctæ. Quod sane probare oportebat adversarios, ut ex Eucharistico mysterio sua accidentia stabilirent. In hac autem breviter à me dicta solutione, aliqua complectuntur, qua seorsim veniunt exponenda.

PROPOSITIO XXXXI.

Eadem accidentia panis, & vini, quæ erant ante consecrationem, remanent in Sacra Eucharistia facta consecratione, miraculosè tamen.

Aspero itaque eadem accidentia, quæ ante consecrationem erant in pane, & vino, quæve naturali consequtione peritura erant, destructa, seu potius conversa substantia panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi, eadem, inquam, remanere post consecrationem, modo licet miraculoſo. Ratio autem in communi est, quia praefata accidentia nec sunt substantia panis, & vini, nec ejusdem substantiæ merè modificationes: ergo optimè possunt permanere separata à substantia panis, & vini, quæ per consecrationem sicut destructa. Quoniam verò ab hac substantia, quoad certas modificationes dependent, ea destructa, naturali consequtione destruenda erant; ad occultandum verò tantum miraculum, ac ne christiana fides suo merito privaretur, ab ipso Christo conservantur, ut sic nobis corpus suum sub speciebus panis, suumque sanguinem sub speciebus vini adorandum, venerandum, ac sumendum præberet. Adhuc autem ut hæc, qua generati de accidentibus eucharisticis dixi, plenè ut par est, percipient, oportebit singulatim præcipua sicutum accidentia percurrere; & assignata, leviter licet, eorumdem notione, modum quoque, quo in Eucharistia remanent, explicare.

1. A colore itaque exordiamur, cuius notionem, & phænomena satis exposui in *Compenda. Mathem. tract. 18.lib.1. à prop. 12.* de quo deinceps diffusior redibit sermo. Nunc autem ex dictis loco citato, & in alio dicendis, breviter assero consistere colorem in ipso lumine, quod ab obiecto corpore, cui incidit, modificatur, & ad potentiam visivam eadem illa modificatione, sive per reflexionem, sive per refractionem, sive per utramque simul, remittitur. Lumen enim in corpus opacum incidens reflectitur, idque diversimodè juxta diversas superficië ejusdem corporis dispositiones: diversos enim inde sortitur reflexionis, imò & refractionis motus; diversas item radiorum combinationes, ac cum umbellis permixtiones, in quibus tota colorum varietas, ut loco citato diximus, consistit: hoc enim sic modificatum lumen, eadem illa modificatione, eadem radiorum combinatione, ac reflexionis motu, ad potentiam usque visivam defertur, illamque movet, ut actum visionis circa illud obiectum elicit; quod non aliter videt quam, tinctum eo colore, quem modificatio illa luminis essentialiter secum fert.

Hinc vides ad colorem plura concurrere, lumen nempe, quod substantia est subtilissima, seu subtilissimorum corpusculorum motus: resistentia corporis opaci illud reflectentis; & diversa ejusdem opaci in partibus superficië dispositio, à qua diversa motus luminis modificatio procedit. Hinc dupliciter considerari potest color, nempe in actu primo, & in actu secundo. Color in actu primo est illa corporis peculiaris scabrities, & dispositio, qua necesse est, ut adveniente lumine, hoc, aut illo peculiari motu reflectatur, ac modificetur. Color verò in actu secundo, qui propriè quidem color est, est lumen ipsum ab obiecto modificatum, & refle-

xum.

xum. Hinc vides colorem in actu primo modum esse ipsius obiecti, ab eo solùm modaliter distinetum; colorum verò in actu secundo esse in se entitative substantiam, corpuscula scilicet luminis, ab obiecto, modo praefato remissam; respectu tamen obiecti, à quo remittitur esse accidens, praedictum obiectum coloratum exhibens, & denominans: hecque est, prout præsens fert occasio, tota coloris notio, & constitutio: videamus nunc qualiter post consecrationem remaneat in Eucharistia.

Assero itaque 1. Colorem in actu primo, facta consecratione, non remanere realiter, & physicè in Eucharistia. Ratio est, quia color in actu primo stat in illa certa dispositione panis, in ejus præcipue superficie, ratione cuius lumen modificatur, ac speciali combinacione radiorum reflectitur: ergo color in actu primo est solùm quædam modificatio panis: sed hæc nec divinitus esse potest ablato pane, quem modificat: ergo remanere nequit post consecrationem in Eucharistia.

Assero 2. Hunc colorem in actu primo remanere equivalenter, & virtualiter post consecrationem in Eucharistia, quatenus nempè Deus per se ipsum tunc præstat idem in ordine ad lumen reflectendum, & modificandum, quod antea efficiebat substantia panis. Ratio est, quia ut tantum miraculum occultaretur, oportuit lumen ita modificari, itaque moveri, ut idem omnino sensibus exhiberet post consecrationem ablata substancialia panis, quod exhibebat ante consecrationem, quando aderat praedita substantia: sed hac ablata, auferri simul necessario oportebat illa resistentia, illaque superficië panis dispositio, à qua lumen modificationem illam motumque accipiebat: ergo necesse fuit hoc à solo Deo miraculosè præstari, id est, quod suis tantum actionibus,

bus, lumini ad eum locum appulso, resisteret, ipsum reflecteret, & ad potentiam remitteret, eodem modo quo antea substantia panis, Deo etiam cum ipsa generali concurso concurrente, illud remittebat: præstant ergo hujusmodi actiones Dei, quoad potentiam visivam immutandam, idem, quod antea substantia panis exhibebat: ergo ratione ipsarum remanet equivalenter, & virtualiter color in actu primo. Quoniam autem predicæ Dei actiones idem præstant respectu potentie, quod obiectum, scilicet panis, si adesset, præstaret, idcirco eas cum P. Maignan, & Saguens *actiones obiectivas* appello, & appellabo deinceps.

Afferro 3. Colorem actualēm, seu in actu secundo post consecrationem, eundem omnino remanere in Eucharistia, qui erat ante consecrationem. Ratio est, quia post consecrationem eodem modo modificatur lumen, ac reflectitur in Eucharistia à Deo actionibus illis obiectivis, quas nuperim dixi, ac modificabatur, & reflectebatur à substantia corporea panis ante consecrationem: sed color actualis, seu in actu secundo in ipso lumine sic modificato, & reflexo consistit: ergo idem omnino remanet post consecrationem, qui erat ante illam.

Dices juxta à me dicta, color à lumine non distinguitur, quod, ut dixi, substantia est subtilissima: sed substantia illa luminis naturaliter remanet post consecrationem: ergo & color naturaliter remanet post consecrationem: sed hoc est contra communem Ecclesiarum sensum, ingens, ac stupendum in hac conversione agnoscens miraculum: ergo nostra explicatio tenenda non est. Resp. distinguens majorem, color non distinguitur à lumine absolute, & nudè sumpto, nego; non distinguitur à lumine modificato, concedo: & distinguo minor-

rem,

rem, substantia luminis naturaliter remanet post consecrationem in se, & nudè sumpta, concedo; remanet naturaliter cum illa modificatione, ratione cuius determinatur ut sit color, nego: recedente enim causa modificante, scilicet substantia corporea panis, non amplius naturaliter in lumine remanere poterat illa modificatione; & consequenter nec naturaliter poterat remanere color in illa consistens; modificatur autem post consecrationem à solo Deo, actionibus illis obiectivis, quod miraculosum est; ideoque remanet post consecrationem idem color miraculose, non naturaliter.

2. Hinc perspicuum fit qualiter in sacratissima hostia eadem remaneat figura, quam panis ante consecrationem habebat; cum enim à singulis illius loci rotundi partibus, seu punctis, ubi antea erat substantia panis, ope actionum obiectivarum, à Deo ad visionis organum radii luminis reflectantur, eandem in fundo retinæ figuram rotundam depingi necesse est, quæ antea depingebatur, ut ex Opticis constat: eadem ergo figura videri debet, eademque verè in Eucharistia remanet; cum in toto illo spatio rotundo verè lux, ope prædictarum actionum, ad viuum reflectatur. Dixi eandem figuram remanere, non quidem numero eandem, sed specie; cum enim figura panis sit ejusdem modificatio, certe destructo pane, eadem numero figura, nec divinitus remanere potest.

3. Eodem etiam modo, quo lumini in toto illo spacio Deus prædictis actionibus resistit; similiter cuiuslibet alterius corporis ingressum in illum locum, pari resistentia prohibet; quo fit, ut quemadmodum antea, ita & post consecrationem, in toto illo loco impenetrabilitas experiatur, quam quantitatem externam aliqui vocant: eodemque modo fractioni, seu divisioni à Deo mi-

miraculosè resistitur, ac resisteret panis si ibi ad esset. Tum & in sacratissimæ hostiæ fractione sonus verè efficitur. Consistit enim sonus, ut dixi in *Compend. Mathematicæ tract. 5.* in tremore, & undulatione aëris, quæ fit à corpore colliso, & ad aures usque pervenit, feritque earum tympanum. Deus itaque, dum frangitur hostia, eodem modo aërem undulatum moveret usque ad auris tympanum, quo moveretur in hostiæ fractione, si hæc non fuisset consecrata: remanet ergo idem sonus, qui erat ante consecrationem.

4. Similiter etiam eadem gravitas remanet in hostia post consecrationem, quæ aderat ante illam: gravitas nempè actualis, seu motus, ac nitus deorsum: Deus enim eodem modo suppositam hostiæ manum præmit, seu alia subiecta corpora gravat, ac movet deorsum, quo gravaret, præmeret, ac deorsum moveret substantia panis, si hostia consecrata non fuisset. Ubi obiter adverto cum R. P. Saguens in suo *Systemate Eucharistico, part. 2. dial. 2. num. 60.* Hoc idem etiam afferere non paucos ex Schola Peripatetica Auctores, qui tenent gravitatem non esse accidens absolutum, & entitativum distinctum à re gravi: inter quos recensetur P. Arriaga, qui prædictam sententiam tueretur *disp. 4. de Gen. sect. 5.* cui cum objiceretur in hunc modum, *in venerabili Sacramento datur gravitas specierum, & tamen ibi non datur substantia panis, & vini: ergo gravitas distinguitur à substantia, sic respondebat: Absolutè respondeo ibi non esse gravitatem propriè panis, & vini, sed effectum illius, nempè impulsum impressum in corpore, vel motum deorsum, qui causatur à Deo, ut occultetur miraculum.* Ubi aperte vides nostram omnino doctrinam, quam nuperrimè explicimus. Eodem modo, sicut & nos, plerique ejusdem

Scholæ Auctores explicant remanentiam raritatis, densitatis, tensionis, ac similiū accidentium in Eucharistia; illi nempè qui tenent prædictas affectiones non esse accidentia entitativa ab omni substantia corporea distincta.

5. Exponere tandem breviter oportet, qualiter in Eucharistia odor panis, ac vini remanere possit; tum & eorumdem sapor. Consistit itaque odor in corpusculorum effluvio ex odorifero corpore emisso, quod ad narres usque defertur: cumque in processu mamillares incurrit, fibrillas diversis motibus, diversisque modis pungit, allicit, afficit, ac movet, pro variis eorumdem corpusculorum tum motibus, tum figuris, quo sit ut sensorium odoratus, cum diversas illas affectiones experitur, diversos odores pro objectorum diversitate percipiat: nihil itaque aliud rei est in odore, præter corpuscula illa diversimodè figurata, quorum emissio, & motio provenit activè ab odorifero; passivè verò recipitur in sensu. Idem autem proportionaliter dicendum est de sapore: consistit enim in diversis salibns, quæ pro eorum diversitate, diversimodè palatum afficiunt, ut suo loco amplius patet. Sic itaque se habent odor, & sapor panis, & vini ante consecrationem; postmodum verò, ablata substantia panis, & vini, prefata corpusculorum effusio persistere naturaliter non poterat; à Deo tamen miraculosi conservatur, quatenus actionibus suis, eodem modo aëris corpuscula ad olfactum emittuntur, cumque similiter afficiunt: & eodem etiam modo allicitur palatum, ac antea prædicta sensoria à pane, & vino afficiebantur, ope prædictorum corpusculorum. Hinc colligi potest qualiter in hac nostra hypothesi alia accidentia in Eucharistia remaneant: sed ad præsens scopum prædicta sufficiunt.

PROPOSITIO XXXXII.

*Predicta accidentia verè sunt species sensibiles panis,
& vini.*

SUPPONENDUM est Philosophos, præcipue Peripateticos, nomine specierum sensibilium nihil aliud intelligere, quam similitudines quasdam, seu imagines obiectorum, quæ ab eis emittuntur, ac per medium propagantur usque ad potentiam sensitivam, per quas obiecta sensibilia cum suis obiectivè potentiarum uniuntur in ordine ad connaturalem sensationem efficiendam, quo nempe verificatur commune illud proloquium: *Ex obiecto, & potentia paritur notitia: & quidem hæc rectè à prædictis Philosophis dicta sunt; sed ut videtis, prout eis mos est, solum metaphysicè, & generatim, ac sub terminis abstractis: quid verò rei physicæ sint similitudines illæ, aut qualiter per medium à suis obiectis emittantur, ac ad potentiam transmittantur, ut eam immutent, id prorsus inexplicatum relinquent.*

Licet itaque hæc alibi sint pro dignitate tractanda, breviter nunc assero species sensibiles nihil aliud esse præter illa corpuscula, de quibus egimus suprà, obiectum inter, & potentias sensitivas interjecta, quatenus ab obiectis moventur versus potentias, quæ prout ab obiectis moventur, sunt species obiectivæ, & emissæ; quatenus verò potentias impressione sua movent, & immutant, sunt species impressæ: quod ut ex dictis constat, aliqua diversitate accipiendum est, juxta diversitatem potentiarum, quibus movendis, & immutandis inserviunt. Sic species sensibiles viüssunt ipsa luminis subtilissima corpuscula, quatenus ab obiecto modificantur, & reflexione, aut refractione ad sensorium vi-

sus

sus remittuntur. Species odoratus sunt effluvia illa, quæ ab obiecto per medium ad nares usque proveniunt. Species auditus sunt aér ipse interceptus inter obiectum, & auditum, qui à corpore sonante undulatim versus auditum concitat: hæc enim omnia, quatenus ab obiectis moventur, sunt species obiectivæ, & emissæ; quatenus autem sensoria movent, sive peculiaribus motibus afficiunt, sunt species impressæ. In sensoriis verò gustus, & tactus sunt ipse actiones ejusdem obiecti immediate prædictis sensibus applicati. Sed de his latius alibi: quibus suppositis.

Affero accidentia remanentia in Eucharistia verè esse species panis, & vini, quæ per consecrationem recessere. Ratio est, quia accidentia remanentia in Eucharistia, ut in præcedenti dictum est, sunt præfata corpuscula à sacratissima hostia, aut calice ad usque potentiam actionibus obiectivis à Deo eodem modo concitata, quo à substantia panis, & vini concitatabantur ante consecrationem: sed ut in suppositione explicui, nihil aliud physicè sunt species sensibiles panis, & vini præter prædicta corpuscula sic mota, siveque ad potentias sensitivas emissæ, per interjectum quidem medium, si obiectum non sit potentia immediate conjunctum, ut contingit in viüss, auditu, & odoratu; aut immediate actionibus obiectivis sensum afficiantia, si eidem sint immediate conjuncta, ut evenit in gustu, & tactu: ergo accidentia panis, & vini, quæ remanent in Eucharistia, verè sunt eorumdem rerum species.

(***) (***)

(***)

PROPOSITIO XXXXIII.

Nostra sententia de speciebus Eucharisticis optimè congruit cum his, quæ in sacris Conciliis sunt stabilita.

UT hujus propositionis veritas apertiùs intueatur, supponendum est, sacra Concilia in decernendis his, quæ ad fidem Sacramenti Eucharistiae pertinent, semper abstinuisse à voce *accidentium*, semperque usurpasse appellationem *specierum*. Patet hoc ex Florentino sub Eugenio IV. his verbis: *Panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur; ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, &c.* Ex Lateranensi sub Innocentio III. afferente: *Verum Christi corpus, & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur, &c.* Ac tandem ex Tridentino sub Paulo III. Julio III. & Pio V. dum ait: *Si quis dixerit in sacro sancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, &c. anathema sit.* Unde aperte colligitur illud, quod peracta consecratione remanet in sacra Eucharistia, esse solummodo species panis, & vini: solum ergo remanent juxta Concilia illa accidentia, quæ verè sunt species panis, & vini, & non alia: sed (42.) accidentia, quæ diximus remanere, sunt verè species panis, & vini: ergo illa solummodo remanent in Eucharistia: optimè ergo congruit nostra sententia cum Conciliorum decretis.

Di-

Dices Concilium Constantiense *scf. 8.* usum fuisse nomine *accidentium*: & definiisse sola remanere accidentia in Eucharistia; cum nempe damnavit tamquam hæreticum secundum Vviclefi articulum, nempe: *Accidentia non manent sine subiecto in eodem Sacramento,* qua damnatione, admisit, atque proposuit tamquam fide tenendam, propositionem oppositam, nempe *accidentia manent sine subiecto.* Quo quidem Concilium Constantiense fatis exposuit, Lateranense, nomine *specierum* intellexisse accidentia. Quoniam verò in Conciliis Florentino, & Tridentino, quæ Constantiensis successerunt, solum repetitur id quod in Lateranensi fuerat definitum, scilicet solas species remanere, consequens est, horum etiam repetitionem censeri pariter expositam per id, quod in Concilio Constantiensi statutum est de remanentia accidentium: ergo in Sacramento Eucharistiae juxta Concilia, remanent accidentia. Resp. Remanere accidentia, quæ verè sunt species panis, & vini: seu species panis, & vini, quæ verè sunt panis, & vini accidentia, ut patet ex dictis: sicque ex Concilio Constantiensi nihil potest objici adversus nostram sententiam.

Dices iterum, accidentia, prout à me exposita sunt, non esse verè, phycicè, & entitativè accidentia, sed solum logicè, & respectivè, respectu nempe panis, & vini. Concilium autem in prafata Vviclefi damnatione intelligendum est definivisse, remanere vera, & physica accidentia, quæ nempe entitativè talia sint, & ab omni substantia distincta. Dum enim decernit *accidentia manere sine subiecto*, certè loquitur de accidentibus, quæ ante consecrationem erant in subiecto, in substantia nempe panis, & vini: minimè ergo congruit nostra sententia cum decreto Concilii Constantiensis.

Ref-

Respondeo 1. Difficillimè posse adversarios probare, Concilium loqui de accidentibus illis entitatè, & physicè talibus, quæ nempè educta sint ex subiecto, eidemque inhærentia, prout communiter in Scholis admittuntur; solum enim modificationes, seu accidentia modalia educi dicuntur, ut alibi dixi, & infrà ulterius exponam: & hæc quidem nec divinitus remanere possunt sine subiecto.

Respondeo 2. Accidentia à me admissa, quantumvis appellantur logica, & respectiva, propriè tamen esse accidentia, nam accidentis notio non est nisi respectiva: unde licet entitas luminis exempl. gr. in se sit substantia, respectu tamen corporis illuminati, verè est illius accidentis; verè enim est extra illius essentiam, vereque illi accedit: & insuper corpus illuminatum verè est ejus subiectum; non quidem rigorosa: inhesionis, ut communiter putatur; sed denominationis, affectionis; & ex hoc in aliquo etiam sensu, inhesionis. Neque putandum est Concilium, si quidquam in illa damnatione Vviclefi circa accidentia definivit, voluisse definire, in quo stet accidentis constitutio, & essentia: hoc enim merè philosophicum cum sit, Philosophis disquirendum, ac disputandum reliquit. Solum enim vult fide tenendum, accidentia, sive species in venerabili Sacramento manere sine subiecto, quidquid tandem species illæ, vel accidentia illa sint; dummodo id firmiter teneatur, nihil nempè substantia panis, ac vini in Eucharistia remanere.

Dixi, si quidquam definivit circa accidentia, existimo enim nihil circa illa definitissime: sed supponendo illud, quod sensuum testimonio in Eucharistia appetet, quidquid sit, definit ut fide tenendum, illud esse sine subiecto. Hoc autem meo videri evidenter patet; nam

Concilium damnans propositionem hæreticam Vviclefi, solum contradictoriam illius, ut fide tenendam definiat: propositio autem Vviclefi est: *Accidentia non manent sine subiecto*, quæ certè exponibilis est per hanc exponentem, quæ eadem est cum illa *accidentia manent in subiecto*: seu clarius, in Eucharistia manent accidentia, & eorum subiectum, quæ aperte propositio est copulativa: ergo ejus contradictoriam disjunctivam esse oportet, nempè aut non manent accidentia, aut manent sine subiecto: & hæc quidem est, qua à Concilio ex vi præfatae damnationis, tamquam fidei dogma definitur: ubi clarissimè patet non definiri tamquam de fide remanentiam accidentium; sed tantum non remanere illorum subiectum: quia tamen sensuum experimento patet, aliquid sensibile remanere, quidquid illud sit, ideo à Concilio supponitur tamquam naturaliter certum, & ab Vviclefo etiam assertum, ibi remanere illud sensibile, quidquid tandem sit; hæreticè tamen inde intulisse Vviclefum remanentiam subiecti, seu substantię panis, & vini.

Hoc autem idem confirmatur à R. P. Saguenis in suo *Systemate Euch. part. 2. dial. 6. num. 11. & 12.* Tum & in *Atomismo demonstr. dial. 13. num. 23.* Nam si Vviclefus quemadmodum dixit: *Accidentia non manent sine subiecto*; dixisset: *Accidentia atomistica non manent sine subiecto*; aut *accidentia Aristotelica non manent sine subiecto*; aut dixisset: *Species in Aristotelico sensu acceptæ non manent sine subiecto*; aut *species in atomistico sensu acceptæ non manent sine subiecto*; perinde damnatus esset à Concilio tamquam hæreticus; manifestum itaque est condemnationem hujus Vviclefanæ propositionis: *Accidentia panis non manent sine subiecto*, non cadere super accidentia, hoc aut illo mo-

130 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI:
do intellecta; sed solum supra remanentiam subiecti,
quam pessimè Vviclefus ex remanentia accidentium,
quæcumque illa sint, inferebat. Vide Auctorem citatum,
apud quem multa reperies ita doctissimè excogitata, ut
nihil melius desiderari posse videatur.

CAPUT III.

De formarum origine: ac de ortu, & interitu
rerum corporearum.

SATIS tritam in Scholastico pulvere questionem
discutiendam suscipimus; sed quæ non modicam
secumferat difficultatem: quenam nempè sit
formarum materialium origo; ita est enim explicatu dif-
ficilis, ut non modo inter diversarum seistarum Philosophos;
verum & inter Peripateticos, non mediocris sit
sententiarum varietas. Quid igitur in hac re satis im-
plicata, videatur dicendum juxta mea principia, bre-
viter nunc exponamus oportet: ex hoc enim rerum
corporearum ortus, & interitus, seu generatio, & cor-
ruptionis perspicue patebit.

DEFINITIONES.

1. C *Reatio* est *productio rei ex nihilo*; seu ex nullo
presupposito subiecto: juxta ea quæ de causa
materiali diximus in Metaph.
2. Annihilationis est *desitio rei in nihilum*; seu nullo
prorsus remanente subiecto.
3. Generatio in communi est *productio rei ex pre-
supposito subiecto*. Sic Deus ex humo cuncta terra ani-
mantia produxit.

4. Cor-

LIBER I. CAPUT III.

4. Corruptionis est *desitio rei remanente ejus subiecto*:
sic pereunte animali tandem in humum definit: solum-
que remanet humus, ex quo tamquam ex subiecto fuit
compaginatus.

Hic ut vides, generationem in communi definivimus;
presius enim summittitur pro vitali viventium productio-
ne, de qua suo loco. Consultò tamen nolui illam gene-
rationis definitionem apponere, quæ ab Aristotele tra-
dita est lib. 1. de ort. & interitu, cap. 2. tex. 23. & in
Metaphys. lib. 12. cap. 1. videlicet *mutatio totius in to-
tum, nullo sensibili remanente ut subiecto eodem*. Tum
quia nimium obscura est; tum quia parens forte fuit
multarum in Philosophia æquivocationum, ac quæstio-
num satis inutilium. Id tamen ex illa, & ex nostra pro
comperto habemus, nempe in generationibus, & cor-
ruptionibus, quæ in mundo jugiter fiunt, mutari unum
totum naturale in aliud, licet idem remaneat subie-
ctum: subiectum enim ex quo aliquid generatur, pra-
supponitur ad generationem; non nudè lumperum, sed
cum alia forma, qua totum illud constituebatur: per
generationem autem aliam induit formam, qua novum
totum consurgit. Hinc vides in generatione substantia-
li solam formam de novo advenire subiecto, quemad-
modum & in corruptione solam formam perire. Hinc
præcipuum quod in præsenti pertractandum occurrit
est, qualiter forme de novo in materiam illam, seu su-
biectum inducantur: unde proveniant, quæve sit ea-
rumdem genesis, & origo: hoc enim exposito, cuncta
quæ ad generationem, & corruptionem entis corporis
spectant luculenter patebunt.



PROPOSITIO XXXIV.

Sententia afferens formas materiales à Cælo produci refellitur.

Fernelius medicus peritisimus existimavit formas omnes materiales à Cælo proficisci, ait enim Cælum potentissimis suis influentiis ad inferiora hęc, lumine quasi vehiculo immisis, in subiectis apte dispositis rerum materialium formas inde sinenter producere: ita ut elementa materiam suggestant, causæ proximæ disponant, ornent, & instruant; Cælum vero in præparata materia formam inducat. Id autem quod Fernelius de omni forma materiali assertit, defendunt plerique Aristotelici de formis animalium, quæ ex putri materia quotidie progigni videmus: unde Fernelius rationem assumpsit ad suam sententiam stabilendam: ait enim; forma animalium imperfectorum, quæ ex putri materia gignuntur, originem ducunt à Cælo, ipsas in putri illa materia disposita producente: sed formis animalium perfectorum, non est assignandus origo deterius: ergo etiam à Cælo proficiscuntur.

Affero tamen Cælum esse quidem causam generalem effectuum qui in hoc sublunari mundo observantur; ut euim ait Arist. lib. 1. Meteorol. cap. 2. *Est autem ex necessitate continuus quodammodo iste (mundus nemp̄ elementaris) superioribus latitudinibus, ut omnis ipsius virtus inde gubernetur.* Concedimus itaque hunc inferiorem mundum à cælesti foveri, ac regi; cælumque rerum materialium ortus, & occasus moderari; at nomine dumtaxat causæ generalis, non particularis: solum autem Philosophus causas particulares effectuum, ac phænomenon naturę inquirit, neque generalibus dumtaxat contentus est. Sed neque Philosophis illis assen-

LIBER I. CAPUT III.

133

assentior, qui formas animalium, quæ ex putri materia nascuntur, à cælo deducunt: si enim ut par est, naturæ arcana perscrutati fuissent, numquam ad Cælum pro eamdem causis reperiundis configissent, cum in sublunaribus inveniantur, ut suo loco patebit.

PROPOSITIO XXXV.

Sententia afferens formas materiales in materiali principio delitescere; ab agentibus autem naturalibus solummodo detegi, ut in lucem prodeant, examinatur.

A Naxagoras primus esse dicitur, qui formas præ fertim mixtorum, nullo modo procreari, sed in elementis latere putavit, eisdemque actu inesse, agentium autem naturalium munere solummodo detegi, & ex elementis illis, in quibus veluti in confuso chaos latebant, educi. Hinc Themistius, qui tempore Juliani apostata, & Valentis Imperatoris floruit, suam de formarum origine, & propagatione sententiam desumptis, quam Scaliger, & Sennertus acerrimè defendunt. Asserunt itaque prædicti Philosophi formas materiales propagari, ac multiplicari, non aliter atque ignis ab alio igne accenditur, traducique dicunt à composito generante in illud quod generatur. Hinc ajunt cum grande formam quercus truduci, quæ tractu temporis in magnam assurgit arborem: similiter evenire putant in animantium seminibus, quibus propriæ formæ in animalia genita traducuntur.

Hac sententia sic exposita suas patitur difficultates. Et primo quidem excipienda est anima rationalis, quæ cum spiritualis sit, à solo Deo creari potest, nec ab ulla agente creato effici, nec tradi valet, ut fide certum est, & ratione etiam naturali suo loco convincetur.

Præterea nec facile poterunt prædicti Auctores explicare in quo stet illa formarum traductio; hæc enim in plantis ex.gr. ab ipso mundi initio inde sinenter proveniret: ergo in prima cujusvis specie planta, omnes illius speciei formas condidit Deus, ac recondit, ut inde in omnes ad usque mundi finem traducerentur, ac temporis decursu ab agentibus naturalibus educerentur, quod videtur incredibile. Poterat tamen dici formas illas materiales in seminibus, quasi inchoatas esse, ac veluti rudimentum rei qua gignenda est, ibidem complicatas latere, donec ab agentibus naturalibus educantur, explicitur, dilatentur, ac appareant sensibiles; in quo sensu poterit hæc sententia in plerisque saltim formis teneri, imò & tenendam esse alibi defendam: eam enim tenet S. August. de Genes. ad litt. lib. 3. cap. 14. in fin. & S. Bonavent. in 2. dist. 18. quest. 1. Q. 3. Sed hac plenioram explicationem requirunt, quam præsens occasio ferat, ideoque ad alium locum illam reservamus.

PROPOSITIO XXXVI.

Sententia Aristotelis, ac genuini Peripatus circa formarum originem explicatur.

Aristoteles, & cum eo Peripatetici medium inter supradictas tenuere sententiam circa formarum originem: neque enim eas omnino extrinsecus advenire dicunt, ut volebat Fernelius; neque in elementis, aut materia acti contineri, & latere assentunt, ut ajebat Anaxagoras: sed tantum volunt contineri potentia in materia, ex qua ab agentibus naturalibus educuntur, dum nova composita naturalia progignunt. Licet autem hanc Aristotelis sententiam prop. 9. 28. & 30. hujus libri satis explicuerim; breviter autem hic eam iterum expono.

Ait

Ait itaque in generatione substantiali cujusvis entis corporei; non quidem fieri materiam; hæc enim ad generationem supponitur; neque generari, aut fieri formam, sed solùm compositum ex materia, eidem nempè composito inexistente, quod formatur; formam autem solùm educi de potentia materiæ, quatenus nempè hæc quæ in potentia erat ad illam formam, fit esse actu subtali forma; seu potius, ut ait S. Thom.lib.7. Metaph. lec.7. *Quatenus compositum generatur ex materia in talem formam.* Sic enim loqui oportere monet ibidem Sanct. Doctor. Solùm autem ait cum Philosopho posse dici fieri formam latè, & impropriè, & quasi per accidens, quatenus nempè ab agente fit, aut generatur compositum.

Hinc fit actionem illam, quæ fit compositum, unica licet sit, diversis tamen signari nominibus: ratione enim compositi, quod gignitur, dicitur *generatio*; respectu verò materiæ, quæ ope illius actionis unam exuit formam, ut aliam induat, appellatur *mutatio*; respectu verò formæ, quæ actu ponitur in materia, cum antea solūm esset in ejus potentia, dicitur *eduictio*. Et hæc quidem, ni fallor est, Aristotelis de formarum origine sententia, omnium Peripateticorum calculo comprobata, sub abstractionibus verò metaphysicis tantummodo rem explicans, quam veram existimo; aliquibus tamen assertis, quæ eidem à neotericis Philosophis adduntur, assentiri non possum; imò neque ea cum Aristotelis doctrina cohærere posse, sequenti propositione ostendo.



PROPOSITIO XXXVII.

Aristotelis doctrina de formarum origine, minimè cohæret cum formis entitativis a materia distinctis.

Communis est in Scholis sententia afferens, formas materiales entitates esse à materia realiter entitativè distinctas; hæc ab iis etiam acerrimè defenditur, qui se Peripateticos esse profitentur. Sed hanc sententiam minimè cohæreto cum mente Aristotelis circa formarum originem, sequentibus rationibus, ni fallor, convincitur.

1. Si forma materialis entitas est à materia entitativè distincta, erit propriè quid, & simpliciter ens: & cum non sit à se, necesse erit, fore verè, & propriè producētam: sed Aristoteles exp̄rēsse tenet, formas materiales, nec esse propriè quid, aut simpliciter ens; nec esse verè, & propriè productas: ergo juxta Aristotelem formas materiales non sunt entitates realiter entitativè à materia distinctæ: & si tales sint, falsa est Aristotelis doctrina afferens eas nec esse simpliciter ens, nec propriè esse productas. Min. prob. ex prop. 9. ubi latè mentem Aristotelis, prout ab Angelico Doctore exponitur, proposuimus: idque ita perspicuè, ut nullus sit circa illam dubitandi locus. Præcipue autem lib. 7. Metaph. cap. 8. tex. 26. & 27. id latè convincere nititur, tandemque concludit dicens: *Manifestum igitur est, quod neque species, fit, aut quocumque nominare oportet formam.* Præterea 1. Phys. tex. 64. ait: *Manifestum est ex diēs, quod omne quod fit semper compositum est.* Addo, sed forma compositum non est: ergo non fit. Confirmatur. Quoniam Aristoteles incidenter dixerat lib. 7. Metaph. formam fieri in materia: ne quis inde

mi-

minus cautè occasionem summeret afferendi formas fieri, statim adeſt S. Thomas, & loco citato *leēt. 7. lecto-* rem his verbis monet: *Scendum tamen est, quod licet in littera dicatur quod forma fit in materia; non tamen propriè dicitur; forma enim propriè non fit, sed compositum.* Certa igitur est nostri syllogismi minor. Major autem mihi etiam certa videtur, satisque latè probata manet prop. 55. ubi adversariorum effugia precladere sum conatus.

2. Arist. & S. Thom. locis adductis prop. 9. exp̄resse contraponunt educationem productioni; sapissime enim ajunt formas non produci, sed educi de potentia materiæ: si autem essent entitates à materia entitativè distinctæ, non est cur non produci, sed educi dicerentur: ergo adversariorum doctrina Peripatetica non est. Et certe mirari satis non possum doctissimos viros, qui se Peripateticos esse profitentur, & educationem productionem rei educæ appellare non verentur, cum Aristoteles illam tam sèpè productioni contraponat: item & alios ex Peripatu, qui formas materiales verè fieri, & generari defendunt; idque tam firma adhæssione ut R. P. Gervasius Brisacensis part. 1. Phys. quest. 3. art. 2. asserat: *Formæ substantiales verè producuntur: est communis, & certa veritas contra paucos.* Quo nihil apertius contra Aristotelis doctrinam.

3. Præterea quia si, ut hujus sententiæ Auctores assertunt, forma verè producitur in materia, nullatenus intelligi valer, quo sensu potuerit afferere Aristoteles educi ex materia; produci enim in materia, est induci in materiam, non educi ex materia: ut enim rectè adnotat P. Saguenis in suo *Atomis. demons. dial. 4. num. 20.* ineptissimè dicitur formam substantialem educi ex materia per receptionem in illa; nec educi nisi quando recipi-

cipitur : quemadmodum , & ineptissimè loqueretur, qui diceret vinum educì è lagena quando immittitur. Non ergo hæc ab adversariis juxta Aristotelis mentem asseruntur. Præterquam quod supponentes formas materiales esse à materia entitativè distinctas , nullatenus earum eductionem exponere possunt , ita ut ipsis sit intricabilis labyrinthus. Sed quia de his jam egimus in Metaph.lib.4. non expedit in eisdem ulterius immorari ; tantumque supereft ut nostram sententiam explicemus.

PROPOSITIO XXXVIII.

Explicatur in quo physice consistat generatio compositi substantialis ; & formarum materialium eductio.

ASsero itaque compositum实质的 non aliter generari, nisi quatenus partes materiae , seu corpuscula hac, vel illa dosi secundum eorumdem diversam magnitudinem, figuram, &c. accipiuntur , combinantur, colliguntur, nec suntur, & componuntur, seu in talen modum, seu formam compositi rediguntur. Ita ex antiquis Philosophis tenuere Empedocles, Anaxagoras, Leucippus, Epicurus, & alii, quos sequuntur P. Eniman. Maignan Phil.nat. cap.1.prop.5.num.24. P. Saguenus Phys.part.1.disp.2.art.2. Casim.Phys.part.1. disp.1. art.4. quæst.4. & 5. Auctor Phil. vet. & novz, Phys.gen.tract.1.cap.3. Duhamelius de consens.vet. & nova Phil. lib.2. cap.2. num.8. Alex. de Avendaño in Dialog.Philos.dial.2. & 3. Michaël Melerus quæst.2.de ort. & inter.concl. 1. Petrus Gass.Phys.œt.1.lib.7.cap. 2. & alii. Et licet hæc conclusio satis ex his, qua hucusque diximus, colligatur, oportet tamen illam possitivè probare.

Probatur itaque 1. Nam eo præcisè quod agens

na-

naturale conjungat, ordinet, necat modo supradicto partes materiae, etiam quocumque alio sublato, rectè intelligitur compositum naturale generare, ac efficere: ergo frustra quippiam aliud ad ejus generationem requiritur. Anteced. prob. Nam eo præcisè quod Artifex ligni partes conjungat, ordinet, necat, ac figat, prout ad Cathedram requiritur, quocumque etiam alio sublato, rectè intelligitur Cathedram effecisse: similiter ergo dicendum est in nostro casu : ergo generatio compositi in illa actione conjungente, ordinante, ac necente partes materiae tantum consistit. Quod autem compositum , hac partium materie conjugatione produc-^{tum}, tale sit, ut principium esse possit operationum, & effectuum naturalium , quos in compositis corporeis experimur, jam suprà probatum est, & amplius patebit, cum de quamplurimi singularis redibit sermo.

Probatur 2. Nam in nostra sententia quamoptimè explicantur cuncta quæ spectant ad compositum naturale, præsertim ut ajunt, in fieri. 1. Enim ex nostra generationis expositione patet, solum compositum propriè fieri, & generari ab agentibus naturalibus : illud enim propriè generatur quod fit ex præsupposito subiecto, intrinsecè in ipsa re genita inexistente, (def.2.) sed juxta nostram positionem compositum etenus fit, quatenus ex materiae particulis eidem intrinsecè inexistenteribus ab agentibus naturalibus compaginatur , quod rei quæ compositum non fit, competere nequit: ergo solum compositum propriè fit, & generatur ab agentibus naturalibus.

2. Optimè etiam explicatur formam materialem non generari; nec fieri, sed educi : nam cum forma præsertim adæquata compositi, nihil aliud sit juxta nostram sententiam, quam certa illa dispositio particularum na-

140 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
teria, qua nempè peculiari harmonia, ac ratione con-
junguntur, proculdubio modificatio quādam est prādi-
tarum particularum, quā nec divinitus ab eisdem se-
parata persistere nequit: sed hāc modificatio nec gene-
rari, nec aliquo modo propriè fieri potest: ergo forma
materialis nec generatur, nec propriè fit. Min. prob.
Nam modificatio quantumvis distinguatur modaliter
à re modificata, non est tamen entitas, nec quid, nec
simpliciter ens, sed solum secundum quid, id est, modus
entis: sed quod neque est entitas, nec quid, nec sim-
pliciter ens, nequit generari, nec propriè fieri: ergo
modificatio nequit propriè fieri, aut generari. Ubi
obiter vides quamoptimè hēc cum Aristotele coha-
reant, dum diversis in locis ait, ideo formas non fieri,
nec generari, quia non sunt quid, nec simpliciter ens:
quod non aliter melius intelligi posse videtur, quam in
nostra sententia afferente formas esse modos entis, seu
particularum materiae: ex hoc enim sequitur nec gene-
rari, nec fieri, sed tantum educi.

3. Hāc autem eductio, cuius expositio ingens nego-
tium neotericis Philosophis facet, nullo fere in nostra
sententia explicatur. Nam juxta Aristotelem, imò & S.
Thomam, eductio productioni, saltim propriæ, contra
distingui debet, ut ex locis prop. 9. adductis satis patet:
dicimus autem ipsam actionem, qua modo explicato
compositum efformat, & quæ respectu illius propriè di-
citur generatio, & productio, respectu modificationis
illius, quæ forma est compositi, appellatur eductio, quia
nempè partes materia, quæ ad illam modificationem
erant in potentia, actu sub illa ponuntur. Quemadmo-
dum enim, qui virgam incurvat, propriè non producit
curvitatem; sed solum impropriè, quatenus nempè vir-
gam curvam effecisse dicitur: ita etiam agens naturale
non

LIBER I. CAPUT III. 141
nō propriè formā producit, sed solum impropriè, quatenus nempè materiam formare dicitur, quod est efficere compositum. Hinc vides educationem, si cum creatione, & generatione comparetur, solum equivoce posse appellari productionem, aut ad summum per quandam similitudinem, & analogiam: ideoque quamplurimi educationem resultantiam appellant.

Accepto itaque in prādicto improprio sensu hoc no-
mine *Productio*, non incongruè possumus dicere edu-
cationem esse *productionem modi*: & consequenter ad
ea, quæ in precedentibus diximus, creatio erit *produ-
ctio nova entitatis simplicis, seu indivisibilis*. Genera-
tio, *productio compositi*. Educatio autem, *productio modi*. Ratio autem est, quia simplex, & indivisibilis en-
titas, cum ex partibus inexistens coalescere nequeat,
est omnino ingenerabilis, & consequenter non alio mo-
do producibilis, quam ex nihilo, seu per creationem.
Compositum verò, cum ex partibus essentialiter, & in-
trinsicè componatur, ex ipsis, tamquam ex presuppo-
sito subiecto, est producibilis, seu per generationem.
Modus verò, cum simpliciter ens non sit, sed entis, non
aliter producibilis est, quam per ipsam productionem
rei, cuius est modus, quæ cum modi impropriè tantum,
& equivoce sit productio, ideo hāc rectius eductio il-
lius, quam productio appellatur.

4. Tandem ex nostra generationis explicatione con-
stat, qualiter privatio sit principium entis naturalis in
fieri, quia nempè materia, quæ hac dispositione, hoc
nexu, hac harmonia formata non erat, virtute agentis
naturalis prādicta dispositione, prādicto nexu, & har-
monia formatur: nec in hoc est aliqua difficultas. Vi-
des itaque quam facile, quamve perspicue in nostra
sententia explicetur compositi naturalis productio, for-

142 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
marumque materialium origo. Nunc aliquas obiectio-
nes, quæ fieri possunt, dissolvamus.

PROPOSITIO XXXIX.

*Aliquæ difficultates, que objici possunt dissol-
vuntur.*

Prima difficultas est, ex nostra explicatione sequi, generationem à mixtione minimè differre: sed generatio, & mixtio distinguuntur inter se: ergo nostra explicatio est rejicienda. Major constat ex dictis; minor patet, nam generatio, & mixtio diversis definitionibus exponuntur: est enim generatio *productio rei ex presupposito subiecto*: mixtio verò, *elementorum, seu miscibilium alteratorum unio*: ergo sunt quid valde diversum. Resp. concessio antecedente, negando min. Ad cuius probationem fateor generationem, & mixtioneum diversis illis definitionibus definiri; sed quæ in idem coincidunt. Productio enim ex subiecto idem est, ac ex partibus compositio, ut ex ipso Aristotele constat; hæc autem ex partibus compositio in eo stat, ut partes illæ aliter quam antea erant, combinentur, nec tantur, ac invicem afficiantur: unde aliter se habent, ac antea se habebant; ideoque ipsa compositione misceri, & alterari dicuntur: jure igitur ipsa productio rei ex subiecto erit alteratio, seu miscibilium aliter se habentium unio: in idem igitur recidunt prædictæ definitions, idemque omnino significant; ac duæ licet sint, unicum tamen est earumdem definitum: quemadmodum *animal rationale*: & *totum constans corpore organico, & anima intellectiva*, duæ sunt definitions ejusdem definiti, nempe hominis.

Affercere autem generationem, & mixtioneum idem omnino esse, quid novum esse minimè existimes; jam enim

LIBER I. CAPUT III. 143

enim id expressè tenuit Hippocrates ante Aristotelem, nam lib. 1. de Diæta, ait: *Nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat; verum permixta alterantur*. Et postea addit: *Quod verò dicam generari, & perire vulgi gratia interpretari: hæc autem commisceri, & discerni significare declaro: habet se autem res hoc modo, generari, & perire, sive corrumpti, idem est commisceri, & secerni: generari idem est quod commisceri; perire, corruptique, ac minui idem est, ac secerni. Quo nihil clarius.*

Secunda difficultas est, quia si generatio in sola illa activa dispositione confiseretur, qua partes materiæ combinantur, nec tantur, & harmonice ordinantur, etiam artefacta genita essent, & Artifex ea conficiens, eadem generare diceretur: sed hoc est contra communem Philosophorum sensum: ergo, &c. Respondeo composita naturalia eodem modo fieri, ac artificialia; hoc tantum excepto, quod agens naturale intrinsecè, ac modo mirabili, nostrisque sensibus imperceptibili, partes materiæ disponat, ac ordinet; Artifex verò solum extrinsecè, ac modo ipsis sensibus observabili: Ars enim omnino naturam imitatur, ita ut *natura extrinseca* appelletur; natura verò, *Ars intrinseca*.

Tota autem hæc doctrina apertissimè constat ex Aristotele, qui locis à nobis prop. 9. adductis asserit, eodem modo fieri res naturales, ac artificiales; usus tamen obtinuit, ut sola quæ à natura fiunt, generari dicantur, non verò quæ ab Arte. Præterea nostram doctrinam maximè confirmant composita aliqua naturalia, quæ à natura quidem in abditis terræ sinibus elaborantur; à peritissimis autem Artis Spagyricæ opificibus efficiuntur, dum suis operationibus omnino naturam imitari student. Sic D. Geoffroy sulphur, ac ferrum ita artifi-cia-

144 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI:
cialiter conficit, ut in nullo à naturalibus possint distingui : & hoc quidem mirabile opus cceperat D. Homberg in Spagyricis versatissimus; à D. autem Geoffroy fuit deinde perfectum. Sic etiam vitriolum artificiale in nullo à naturali diversum Spagyrica etiam Arte conficitur, ut testatur Franc. Bayle *Phys. partic. part. I. lib. 3. sect. I. disp. 4. art. 2. num. 45.* Mesis Medico-Spagyrica, cap. 26. de Vitriolo. Manget in Bibliotheca Pharmaceut. lib. 18. fol. 759. Confirmatque Michaël Etmulerus tom. 2. Regni miner. cap. 26. ubi ait : *Hoc vitriolum artificiale adeo est simile naturali, scilicet nativo, ut ova non sit similis.* Deinde ex hoc vitriolo artificiali possunt preparari calcinando, destillando, &c. omnia ea medicamenta, que ex vitriolo nativo possunt haber. Licet itaque modus operandi natura multò sit mirabilior; ceterum omnino simile est illi, quo composita artificia conficiuntur.

Ex dictis satis colligi potest, nos hic generatim fuisse loquutos de formarum materialium origine, de illis potissimum, quæ adæquata appellantur, suntque causa formalis adæquata compositi. Quoniam verò præter hujusmodi formas adæquatas, alia specialis in plerisque compositis, præsertim viventibus, admittenda est, juxta dicta prop. 32. idcirco circa harum originem id tantum breviter adnotare oportet, eas nempe aut extrinsecus corporibus illis organicis advenire, præsertim si æterea, aut ignea, similave corpuscula sint: aut cum ipso semine, in quo inchoatae, & quasi involuta latebant, à planta, aut animali generante in genitum traduci. Sed hæc nunc leviter tantum indicasse sat est, suis enim locis plenius explicabuntur.

PROPOSITIO L.
Exponitur in quo physicè stet compositi naturalis corruptio; formarumque naturalium desitio.

EX his quæ de generatione compositi substancialis dicta sunt, colligi satis potest in quo stet ejusdem corruptio, quæ generationi opposita est, ut ait Arist. lib. 1. de Celo, tex. 126. Quemadmodum enim compositum generari stat in activa illa partium materiæ dispositione, ordine, nexu, & harmonia; ita ejusdem corruptio ex opposito stat in deordinatione, dissolutione, & separatione earumdem partium materiæ: & quemadmodum per generationem compositum ex partibus materiæ, ex quibus constat, compaginatum est; ita per corruptionem, dissolutis, separatisque ab invicem materiæ partibus, non amplius jam illud compositum est, remanentibus tantum partibus materiæ, quasi vetusti, ac diruti adficii ruinæ: ideoque rectè defin. 4. dictum fuit corruptionem esse desitionem rei remanente ejusdem subiecto.

Hinc patet qualiter in compositi materialis corruptione forma materialis necessariò pereat: cum enim forma predicta in illa combinatione, nexu, ac harmonia particularum materiæ constat, certè dissoluto illo nexu, & combinatione illa mutata, ordineque perturbato, non amplius harmonia illa, seu forma persistere potest: modus enim cum sit particularum materiæ, his licet remanentibus, forma remanere non potest. Hinc obiter vides, qualiter juxta hunc philosophandi morem anima rationalis, quæ specialis forma hominis est, perente corpore, ipsa perseveret, quia nempe entitas absoluta cum sit, & indivisibilis, minimeque ex partibus

materiæ coalescens, in suo esse, fieri, aut conservari nullatenus pendet à corpore: unde incorruptibilis est, solumque à Deo annihilabilis. Sed hæc ex diëtis sunt facilia.

Advertisendum tamen est, modificationes illas partium materiæ, dispositiones, ac combinationes ejusdem, tales esse in quolibet composto, ut illud præcipuis, ac peculiaribus ejus actionibus obeundis reddant idoneum: ex his autem modificationibus, ac dispositionibus nonnullæ sunt, quæ ad præcipias illas actiones, quibus natura quæque destinatur, omnino sunt necessaria; alia non item, sed adjuvant dumtaxat, atque ut hæc commodi efficiantur, in subsidium veniunt. Hæc igitur si forte destruantur, non idcirco compositum corrumpi necesse est, cum propriam formam, qua constituitur, adhuc retineat, solumque earum minus præcipuarum desitione, alterari dicitur. Cum verò illæ dispositiones tolluntur, sine quibus actiones illius compositi propriæ, ac præcipiæ stare nequeunt, tunc verè substantialiter, seu essentialiter corrupti dicuntur, quod nempè ejus forma substantialis depereat, quæ in illa harmonia, quæ ad prædictas actiones requiritur, constiebat.

Hinc etiam vides rationem, cur multoties quamplurima remaneant accidentia in corrupto, quæ observabantur in illo composto antequam corrupteretur: destruēta enim illa combinatione, & harmonia partium materiæ, quæ ad præcipias actiones omnino requirebantur, remanent adhuc in diversis partibus materiæ aliae dispositiones, & combinationes, quæ à primaria illa minimè pendebant, ideoque illa ablata, illæ permanent, idque cum eisdem accidentibus, quæ illis inerant, qui busque solum ad sui conservationem indigebant. Hinc

in cadavere animalis, postquam forma ejus præcipua deperiit, remanent verè ossa, caro, nervi, cartilagines, cutis, &c. idque cum suis accidentibus, quia nempè in aliis materiæ partibus dispositiones, ac combinationes illæ remanent, quæ ad os requiruntur; in aliis, quæ ad nervos; in aliis, quæ ad carnem, &c. Vides quam facilis hæc sint, quamque difficultia, quæ à Thomistis præcipiæ asseruntur: volunt enim post compotiti corruptionem nulla remanere accidentia, ex iis quæ ante erant, sed ea, quæ observantur, esse diversa, licet prioribus omnino similia, quod incredibile omnino videatur. Id quidem verè contingere, si corruptio, aut dissolutione deveniret usque ad prima componentia, seu atomos, ita ut hæc essent inter se se omnino disjunctæ: sed hoc nunquam in natura contingit; nulla enim fit corruptio, quam nova generatio non suscipiat.

PROPOSITIO LI.

Unio materiæ cum forma materiali physicè explicatur.

Aspero t. Unionem materiæ cum forma, abstractè, & in communi acceptam, in eo stare, ut materia, & forma unum principium adæquatum, & singulare efficient illarum operationum, quæ propriæ, & peculiares sunt illius compositi, & quarum respectu compotito illi convenit ratio naturæ, seu esse principium, & causam motus, & quietis, &c. Ratio conclusionis est, quia hoc præcisè posito, jam intelligitur qualiter ex illis duobus, materia scilicet, & forma, unum compotitum fiat, unum, inquam, in ordine ad operationes, & effectus illius peculiares: ergo in prædicta ratione principii adæquati, & singularis consistit unio inter materiam, & formam. Et hoc quidem metaphysicè, & abstractè di-

Etum est: quid vero physicè sit, nunc exponamus oportet; cumque id non eodem modo in omnibus compositis naturalibus contingat, aliqua distinctione erit opus.

Affero itaque 2. Formam illam adequatam compositi naturalis, quam in dispositione, & harmonia partium componentium, seu corporiculorum consistere diximus, per se ipsam essentialiter uniri subiecto. Ratio est, quia cum predicta forma sit modus partium componentium, cuius essentia est inesse partibus predictis, certè per se ipsam est in illis, ab eisdemque ita est inseparabilis, ut ab eis separata persistere nequeat, nec aliud requiritur, ut unum quid cum materia conficiat, & ut ex utrisque una exurgat natura, seu unum principium adequatum, & singulare operationum. Nec in hoc est aliqua difficultas.

Affero 3. Formam illam specialem, quam in viventibus precipue reperiri diximus prop. 32. in qua nempe potissima virtus est, ac principium activum quo operationum, ac motionum vitalium, hanc, inquam, formam, non aliter uniri alteri comparti, quæ iners est, & quasi materia specialis, nisi quatenus ita intra certos illius corporis organici recessus, aut ductus continetur, ut nullatenus liberè avolare, aut dissipari possit; indeque valeat motus illos peragere, qui compositi illius proprii sunt: quod valorum texture, organorumque eam continentium intertextis fibris tribuendum est. Hoc autem non in omnibus hujusmodi compositis eodem modo se habet; pendetque hujus rei determinatio à constitutione, & natura forme predictæ: si enim hæc in spiritibus, seu vitalibus, seu animalibus consistat, oportet hos in talis structuræ vasis contineri, ut facile inde evolare extra corpus non valeant; aut certè si in

eorum motu vegetans, & sensitiva vita consistat, oportet ut intra talis compagationis ductus, ac canaliculos contineatur, ut intra illos moveri, ac prout ad vitam exigitur, circulari cogantur: & hanc quidem continentiam, seu clausuram intra corpus illud organicum, unionem appello: cum enim ipsa sufficiat, ut mediis predictis organis forma predicta operationes illas exerceat, certè etiam sufficit, ut cum illis unum compositum, unamque naturam efficiat, seu unum principium adæquatum, & singulare operationum illius compositi: frustra igitur aliquid quidpiam sive entitativum, sive modale, ultra id quod diximus, advocabitur, ut forma illa cum materia, seu corpore censeatur unita.

Dices: Potest Deus in organis illis, ductibus, seu receptaculis predictis conservare formam illam materialē, impeditis motionibus: sed in hoc casu corpori illi organico non esset unita: ergo aliquid aliud ad predictam unionem requiritur. Minor probatur, nam in predicto casu, compositum illud non esset vivens, non enim moveretur ab intrinseco: ergo neque esset compositum ex materia, & forma vivente unitis: sed adfuit ibi materia, & forma: ergo solum deficit unio: & consequenter hæc non in sola illa continentia, & clausura consistit.

Responderi potest 1. negando min. ad probationem autem distinguendo majorem; compositum illud non esset vivens in actu primo, nego: in actu secundo, concedo: & nego consequentiam. Itaque compositum illud esset vivens in actu primo, quia haberet omnia principia, quæ ad vitam necessaria sunt: quoniam vero à Deo prohibitus erat motus ille, in quo vita actualis, seu vita exercitium in illis compositis consistit, ideo non viveret in actu secundo. Exemplum habes in plerisque in-

insectis suffocatis, quæ soli exposita reviviscunt, eo solum quia spiritus, qui ibi intra vasa adhuc integra remanserant, à calore Solis iterum ad motum concitantur. Sed de his suo loco.

Responderi potest 2. concessa minori, negando seqq. Ut enim forma illa in illis receptaculis corporeis inclusa, unita corpori dicatur, opus est ut cum eo unum principium adæquatum, & singulare operationum efficiat, quod in hoc casu non reperitur, cum à Deo prohibita sit operationes illas, & motus efficere: quid ergo mirum, quod unita corpori non dicatur; sed tantum eidem præsens, & in eodem inclusa: nos autem utrumque ad unionem requiri dicimus, & continentiam illam, & earum operationum esse unâ cum corpore adæquatum, & singulare principium.

PROPOSITIO LII.

In quo flet unio animæ rationalis cum corpore explicatur.

ASsero tandem unionem animæ rationalis cum corpore organico, præter coëxistentiam, & penetrationem illius cum corpore, includere concursum Dei paratum, per decretum scilicet, quo statuit non concurrere cum anima ad operationes humanas elicendas seorsim à corpore; sed tantum ad eas efficiendas simul cum illo, & dependenter ab illo. Ratio est, quia ut anima rationalis sit corpori organico unita, non sufficit ei coëxistere, & eidem compenetrari; totum enim hoc esse potest absque unione cum illo: ergo aliquid amplius dicere debet, nempe unum principium unâ cum corpore constitutum adæquatum, & singulare actionum humanarum, quod non aliunde provenire posse videtur, quam à concursu Dei, parato scilicet per decretum, quo non

non aliter ad illas operationes elicendas cum anima concurrere velit, nisi eas eliciat simul cum corpore; scilicet mediis organis, & facultatibus corporeis, quas moveat, aut cum quarum motibus concurrat, si hæc aliundè moveantur: eosdemque motus non modo exerceat, verum dirigat, cohipeat, &c.

Sed dices 1. Ex nostra explicatione sequi unionem prædictam dicere aliquid extrinsecum, nempe decretum Dei, quod dici non potest, cum unio sit ipsi toti intrinseca. Sed resp. decretum Dei prædictum non esse unionem, nec in ea includi; sed præsupponi ad illam, quatenus nempe vi illius paratur concursus, ut anima ita cum corpore operetur, ut efficiat cum illo unum principium adæquatum, & singulare operationum, in quo consistit unio, ut superius dixi.

Dices 2. Si unio nihil dicat præter ea, quæ à nobis pro ejus constitutivo physico sunt assignata, unio humana à genitore non efficietur; & consequenter hominis generatio, nullum terminum habebit, cum neque materia, neque forma ab agente producatur; sed potius à Deo per creationem: ergo nihil erit, quod ab ipsis parentibus producatur. Sed resp. Parentes efficere compositum; & in eo sensu, prædictam unionem; quatenus nempe efficiunt ut materia sit apta, & idonea organizata, ultimoque disposita ad animam recipiendam, quæ unâ cum ipsa modo explicato, efficiat unum principium adæquatum operationum peculiarium humani compositi: & ita, ac non aliter concurrent parentes effectivè ad prolis generationem. De quibus amplius suo loco.



καὶ τὸν πάντας τούτους τοὺς φυσικοὺς τόπους τοὺς οὐδὲν τοῦτον

LIBER II.

DE CORPORE NATURALI QUATENUS EST
CONTINUUM.

PRÆSENS dissertatio de continuo, ejusque compositione, ita inter Physiologicas difficilis est; ut merito labyrinthus possit nuncupari: in ejus enim recessibus, post inextricabiles penè semitarum flexus, ac reflexus, latet veritas, quam Philosophi, ut reperire possent, diversas tentavere vias, sed sine recursu: quamplurimos ductus, cæcos tamen, ac sine reditu. In tam arduo itaque indagine iter illud arripuisse sufficiet, quod planius appareat: quodque insequuti, proximius veritati nos accessuros fore videamur: quodlibet enim improbare facillimum est; securius autem arripere, nimium difficile.

Tanta autem difficultas inde oritur, quod nempe continuum, cum evidenter sit in partes, illud integraliter componentes, divisibile, certe vel hujusmodi partes sunt ulterius divisibiles, vel non: si divisibiles: ergo in alias partes; de quibus idem efformabitur argumentum: vel ergo sic procedendum erit in infinitum; vel tandem ad indivisibilia devenire oportebit. Hinc prisci Philosophi in duas partiti sunt sententias. Prima fuit Zenonis, & aliorum, qui ex indivisibilibus continuum coalescere asserebant. Secunda fuit Aristotelis, totiusque Peripatus, qui ex partibus in infinitum divisibilibus continuum componi dixerunt. Sic multis sculis gemina-

horum Philosophorum factiones invicem pugnavere; ita tamen æquali fato, ut nec ulla de alia victoriam reportare; nec difficultates sibi mutuo obiectas explanare potuerint: id cum alii Philosophi vidissent, alias tentavere vias, quibus medio quasi tramite incidentes, facilius possent difficultates complanare, arcemque veritatis descendere, tandemque possidere. Sed an omnino feliciter, ex dicendis patebit.

DEFINITIONES.

1. JUXTA Arist.lib.1.Phys.cap.1. Continua sunt, quorum extrema sunt unum. Contigua, quorum extrema sunt simul, seu qua se tangunt. Deinceps, seu consequenter dicuntur ea, inter qua nihil ejusdem generis mediat. Verba sunt Philosophi: sed uberiori explicatione indigent. Continuum itaque est illud, cuius partes inter se sunt unitæ; ita ut si una trahatur, trahatur etiam & alia, dummodo ipsa tractione non destruatur unio: ut lignum cuius una pars ita alteri copulatur, ut illa trahi non possit, altera immota. Contignum est, quod aliud tangit, eique non est unitum, ut cum due manus se tangunt. Deinceps vero esse dicuntur ab Aristotele ea, inter qua licet aliud corpus mediet; non est tamen ejusdem generis: ut cum inter Petrum, & Paulum mediat aëris.

2. Punctum est, cuius nulla est pars. Sic ab Euclide definitur lib.1.Element. Punctum duplex est, aliud Mathematicum, aliud Physicum. Punctum Mathematicum est illud minimum, quod excogitari potest: ita ut in illo nulla concipiatur extensio. Punctum Physicum est, quod nullas habet partes entitativas, suam tamen habet extensionem. Dari hujusmodi puncta dimicimus in Metaphysica lib.3. prop.33. ubi hęc latè sunt

exposita. Præterea punctum terminans est *extremum lineæ*, quia eam terminat, ut ait Eucl. def. 3. lib. I. Punctum *copulans*, seu commune, dicitur esse ab aliquibus, quod duas continui partes copulat inter se.

3. Partes sunt *ea ex quibus aliquod totum componitur*. Unde partes continui sunt illæ, ex quibus componitur continuum. Ad intelligentiam autem compositionis continui, quadruplicis generis partes solent à diversis Auctoribus aſignari: videlicet aliquotæ, aliquantæ, proportionales, & communicantes.

4. Partes aliquotæ, *qua aliquoties repetitæ exhausti præcisè totum*. Sic pes est pars aliquota Exapedæ, quia sexies repetitus, exapedam præcisè exhaustit.

5. Partes aliquantæ, *qua nunquam aliquoties repetitæ exhausti præcisè totum*; sed vel excedunt, vel ab eo deficiunt: sic pars quatuor pedes extensa, est pars aliquanta exapedæ; quia si bis summatur, excedit exapedam; semel vero sumpta ab eadem deficit. Pars aliquanta recte ab Euclide def. 4. lib. 7. non pars, sed *partes* appellatur, quia est aggregatum ex partibus aliquotis totius, cuius respectu dicitur pars aliquanta.

6. Partes proportionales sunt, *qua in continua proportione in infinitum procedunt*, sive crescentes, sive decrescentes; in praesenti tamen ab Auctoribus appellantur partes proportionales, *qua in continua proportione decrescent*: sic exapeda dividi potest in duas medietates; & qualibet ex his in alias duas, & sic in infinitum.

7. Partes communicantes sunt, *qua totaliter ab aliis partibus non distinguuntur, sed potius habent aliquid commune cum illis*. Ver. gr. Si exapeda in sex pedes concipiatur divisa, medietas primi pedis cum medietate secundi, constituit unum pedem communicantem:

simi-

similiter tres quartæ primi pedis cum una quarta secundi, efficit alium pedem communicantem. Quænam autem ex his, sive partibus, sive punctis, reperiantur in continuo corporeo, aut eidem inesse intelligantur, statim discutietur.

C A P U T I.

De iis ex quibus componitur continuum.

PROPOSITIO I.

Partes omnes continui in ipso actualiter existunt.

KENELMUS eques Digbæus tract. de nat. corp. cap. 2. ut sentes illas, & spineta vitaret, quibus semita, cum Zenonica, tum Aristotelica prout communiter exponitur, repleta est, aliam excogitavit, quam tandem ad Aristotelicam conatur reducere. Ait itaque partes continui non esse actu in illo, sed potentia: nec ab invicem esse actu realiter distinctas, sed potius quolibet continuum, & magnitudinem, esse unicam entitatem, qua verè divisibilis est; non tamen quod plures partes actu claudat, sed quatenus plures ex ea per divisionem ab agentibus naturalibus possint produci. Hanc viam insequutus est Thomas Anglus ex Albiis in tract. quem operi Digbæano præfix art. 1. & seq. Eam tamen magna saltim ex parte ab Aristotelica recedere patet: nam Arist. lib. 5. Metaph. cap. 13. tex. 18. ait continuum quantum esse id quod in ea, qua insunt, divisibile est. Partes igitur omnes, in quas dividi potest continuum, juxta Aristotelem, eidem actu insunt: quod & sequentibus rationibus convincitur.

Pro-

Probatur 1. Id in quod continuum dividi potest, actū in illo præexistit : at continuum in quamplurimas partes dividi potest : ergo hujusmodi partes actū in illo præexistunt. Minor experimento patet, quo panem frangimus, arborem in ramos, folia, virgultaque dividimus, &c. Major autem probatur : nam quis dicat, partes panis tunc de novo produci, cūm eas frangimus: ramosque arboris tunc de novo fieri, cum ab arbore divelluntur. Et confirmatur, nam continuum non aliter est divisibile, nisi quatenus est aliquod compositum actuale : ergo non est divisibile nisi in ea, quæ actū illud componunt : sed quæ actū illud componunt, actū in eo existunt : ergo partes in quas dividitur, ac dividi potest, actū in eo existunt. Dices, ut continuum sit in partes divisibile, sufficere partes in eo præexistere potentia; non verò opus esse, ut actū præexistant. Sed contra, nam si solum potentia præxisterent, certè cum actū dividuntur, reducuntur de potentia ad actum : ergo de novo producuntur ; & cum iterum unitantur, iterum desuntur, quod, ut dixi, est omnino incredibile.

Probatur 2. Ubi actū reperitur major, aut minor numerus partium, ibi actū reperiuntur partes : atqui in continuo actū reperitur major, aut minor numerus partium : ergo in eo actū reperiuntur partes. Min. probatur ; ubi est actū major, aut minor moles, ibi reperiatur actū major, aut minor numerus partium : sed in continuo est actū major, aut minor moles, ut ipsi oculis patet : ergo & major, aut minor numerus partium. Major probatur, nam inæqualitas molis actualis non aliudè provenire potest, nisi ab inæquali numero partium, eoque actuali : quis enim dubitet majorem aquæ molem actualē in mari, quam in pelvi, inde provenire, quod penè infinitè sint aquæ guttae in mari, plusquam in pelvi : ergo, &c.

Sed

Sed objicies 1. Si partes continui actū in eo existent, non esset tantum divisibile, sed actū in eas divisum : atqui continuum, ut supponimus, non est actū divisum : ergo partes in eo actū non existunt. Major probatur, nam continuum non aliter est divisibile, nisi in partes : ergo si jam actū continet suas partes, jam est in eas, non quidem divisibile, sed divisum : solum ergo ante divisionem habet partes in potentia; nullatenus verò in actū. Hic ut vides, tota quæstio ad voces revocatur, quatenus nempè Digbæus vult partes non esse verè actū tales, nisi cum ab invicem sunt divisæ : cum potius communis sensus sit in statu divisionis solum esse partes in potentia; cum verò actū componunt continuum, esse illius actū, & propriæ partes. Sed quidquid sit de modo loquendi, respondeo negans sequelam : ad ejus probationem concessò antecedenti, nego consequentiam : continuum enim esse actū indivisum, est habere actū partes inter se unitas : quoniam verò partes, quæ actū existunt unitæ, possunt, destructa unione, inter se separari, ideo continuum actū indivisum, est verè, ac proprie in predictas partes divisibile.

Objicies 2. Si partes continui essent actū in illo, essent actū plures : sed repugnat partes continui esse actū plures : ergo non sunt actū in continuo. Major est certa : minor prob. nam si partes continui essent actū plures, eadem in continuo perseveraret partium pluralitas, quæ in ipsis partibus erat ante unionem continuativam: sed hoc esse nequit, nam ante unionem non efficiebat unum, quemadmodum unum efficiunt postquam sunt unite, unum videlicet continuum : ergo partes quæ extra continuum erant plures, jam in illo non sunt plures: ergo in ipso non existunt actū, sed potentia. Respondeo negans min. ad cuius probationem nego min. non enim

enim partium pluralitas opponitur unitati continuui, vel compositi. Itaque partes ante unionem erant plures, nec efficiebant unum compositum; postmodum vero posita unione continuativa, sunt quidem plures, & efficiunt unum compositum, seu unum continuum: unde in continuo datur actu pluralitas partium, & unitas compositi. Exemplum habes in homine, in quo ejus partes, anima scilicet, & corpus, actu existunt, servantque suam pluralitatem, licet ratione unionis efficiant unum compositum.

PROPOSITIO II.

Partes continui sunt in eo realiter inter se distinctæ.

Et etiam contra Digbeum, & Thomam Anglum ex Albiis, qui ut dixi prop. præced. asseruerunt continuum esse unicam entitatem, ita ut ejus partes inter se non sint realiter distinctæ. Hujus autem positionis falsitas probatur 1. Nam ut ait Apostolus ad Rom. 12.v.4. *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent.* Quod & ipsa testatur experientia: oculus enim videt; auris non videt: autis audit; non vero oculus: pedes ambulant; non manus, &c. sunt ergo in eodem corpore hæc membra realiter distinctæ; tum juxta Apostolum factentem eorum pluralitatem in eodem corpore; quæ certè pluralitas distinctionem realem arguit. Tum quia si oculus ex. gr. ab aure realiter non distinguitur, certè unum quid cum aure erit: ergo de una, eademque entitate reali verificantur prædicta contradictionia, nempe videt, & non videt; audit, & non audit, quod est absurdum.

Respondet Digbeus, & cum eo Thomas Anglus ex

Al.

Albiis, totum hominem videre ope oculorum; non vero ope aurium: ambulare ope pedum; non vero ope manuum; ideoque non verificari de eodem secundum idem illa prædicta contradictionia. Sed contra, nam saltim verificantur hæc prædicta: oculus est realiter instrumentum visionis; auris realiter non est instrumentum visionis, quod sufficit, ut oculus, & auris dicantur realiter distingui. Imò & ipsis oculis patet, esse quid omnino diversum os à carne: quis enim credit os esse idem realiter cum carne: capitem cum pede, &c. Quis item credit Pyreneos montes à subiectis vallibus realiter non distingui: imò nec montes ullos à corpore Telluris, cum quo sunt continui.

Probatur 2. Illa qua successivè producuntur realiter sunt inter se distinctæ: atqui continui partes successivè, id est, una post aliam, sèpissimè producuntur, ut pater in animalibus, & vegetabilibus: ergo realiter inter se sunt distinctæ. Major constat, quæ enim successivè producuntur, non simul semper existunt, sed potius quod primo producitur, præcedit tempore illud, quod producitur posterius: sic in homine dentes posteriores sunt mandibulis: sic in arbore virgulta, ac folia, quæ in dies exrescant, sunt recentiora truncu: ergo qua prius producuntur distinguuntur realiter ab his, quæ productur posterior. Idem similiter convincitur ex successiva partium continui desitione.

Probator 3. Partes continui, facta earumdem ab invicem divisione, sunt realiter distinctæ: ergo ante divisionem jam erant realiter distinctæ. Anteced. est evidens, quæ enim mutuo realiter separantur, realiter distinguuntur: sed sic se habent partes continui post divisionem: ergo realiter sunt distinctæ. Consequentia itaque prima probatur. Nam si continui partes ante di-

visionem non essent distinctæ, neque post divisionem distinctæ essent: ergo ante divisionem jam erant distinctæ. Antec. probatur, nam qualibet res realiter ab alia distinguitur per suam entitatem, ut constat ex Metaphysica: sed eadem essentitas partium ante, ac post divisionem: ergo si post divisionem sunt realiter distinctæ, etiam ante divisionem. Sic duæ aquæ guttulæ, sive unitæ, sive divisa, ædem sunt: si igitur divisæ realiter distinguuntur, etiam unita realiter distinguuntur. Quæ aduersus nostram assertionem objici solent ad id tandem revocantur, ut difficile sit, inò implicitorum, continuum ex indivisibilibus componi: quæ certè melius solventur cum nostram sententiam exponemus.

PROPOSITIO III.

Continuum non componitur ex partibus in infinitum divisibilibus.

Quodlibet continuum quantumvis modicum, divisibile esse in partes proportionaliter minores, & minores in infinitum, ex eisque componi, tenent communiter Peripatetici, præcipue Thomista, & Scotista, quibus adhærent Cartesius, & omnes Cartesiani, aliique plures: candomque sententiam sequi tenent omnes Philosophi, qui atomos è Philosophia alvo excludere conantur, ut dixi lib. I. prop. 18. Assero itaque continuum nullatenus componi ex partibus in infinitum divisibilibus: licet autem hoc jam breviter pro loci opportunitate probaverim lib. I. prop. 16. nunc autem id amplius convincere conabor.

Probatur itaque 1. Nam progressus in infinitum in continuo divisibilitate in partes proportionaliter minores, & minores est impossibilis: ergo continuum non componitur ex partibus proportionaliter in infinitum di-

divisibilibus. Antec. probatur. Progressus in infinitum in aliis plerisque rebus, Peripateticis ipsis latenter, est impossibilis, ita ut ab eisdem tamquam solempne inconveniens habeatur, & ea ex quibus infertur, ex hoc solo capite falsa esse reputentur: ergo similiter rejiciendus erit in divisibilitate continui. Antec. est certum, ut statim videbimus. Consequentia vero probatur, nam iisdem rationibus, quibus prædictus progressus in aliis rebus rejicitur, ut impossibilis, convincitur etiam impossibilem esse in divisibilitate continui: ergo eodem jure erit in ea rejiciendus. Antecedentis veritas aliquibus exemplis adductis, sic probatur.

1. In moventibus, & mobilibus impossibilis est progressus in infinitum, ut expressè tenet S. Thomas 1. part. quest. 2. art. 3. ex quo primam, & manifestiore viam desumit S. Doct. ut ipse testatur, ad probandum existentiam primi motoris, seu Dei: sic enim dilcurrit. Experientia constat, aliqua in hoc mundo moveri: hæc autem non à se, sed ab alio moveantur necesse est: nihil enim potest se ipsum movere, ut ait idem S. Thomas: illud ergo quod movetur ab alio movetur: illud autem quod movet, si ut moveat, moveatur, etiam ab alio movetur: cumque in his procedere non possimus in infinitum, tandem sistendum est in aliquo movente, quod moveat immotum: & hoc erit primum movens, scilicet Deus. Hæc autem ratio stare nullatenus posset, si progressus in infinitum mobilium, & moventium foret possibilis: sicutque ab Angelico Doctore oportuit demonstrari. Ratio autem, quæ ab ipso adducitur, cur in prædicto casu non sit procedere in infinitum, est quia corpus motum A non moveretur, nisi illud moveret movens B: neque illud moveret A, nisi ipsum moveretur à C, & sic de cæteris: ergo si non esset primus mo-

tor, qui alia moveret immotus, nullum ens moveretur: sed si procederemus in infinitum nullus esset primus motor: ergo si procederemus in infinitum nullum ens moveretur, nullusque daretur in mundo motus, contra evidentem experientiam.

Vidisti certe rationem, cui implicet processus in infinitum in motoribus, & mobilibus. Vide nunc eandem prouersus rationem convincere impossibilem esse similem progressum in continui divisibilitate in partes proportionaliter minores: ad idque ostendendum assumam celebrem illam rationem, quā Zeno tot Philosophorum vexavit ingenia, referturque ab Arist. & Phys. tex. 19. & 8. Phys. tex. 68. quæ omnino similis est illi, quam nuperim ex S. Doctore retulimus. Experientia constat in mundo dari motum: sed si continuum ex partibus in infinitum divisibilibus constaret, nullus daretur motus: ergo, &c. Sequela probatur; implicat ut mobile attingat finem spatii, aut secundam ejus medietatem, quin prius primam ejusdem medietatem percorrat: nec potest hanc percurrere, quin prius hujus medietatis medietatem, seu quartam spatii partem conficiat: nec hanc quartam partem quin prius ejusdem medietatem primam decurrat, &c. ergo finem spatii non attinget, quin aliqua primo pertransatur, quæ orines loco præcedat, & à qua motus incipiat: sed si hujusmodi medietates procedunt in infinitum, numquam perveniri potest ad primam, non enim dabilis est hæc prima pars, à qua motus incipiat: ergo motus non posset incipere; & consequenter nullus esset. Hoc sic à Zenone proposito, sic nunc meum scopum convinco.

Si series moventium, & mobilium in infinitum procederet, ideo nullus daretur motus, quia cum omnia quæ moventur, supponant moventem, ablato primo

mo-

motore, qui immotus moveat, omnia moventia interjecta auferrentur: sed similiter spatii ultima medietas percurri non potest, quin præcedentes percurrantur, nec hæc, quin ipsas præcedentes: ergo si non sit aliqua prima pars, quæ primo percurratur, nulla ex interjectis inter illam, & ultimam poterit percurri: & consequenter neque dabitur motus. Urgeo: Quemadmodum motus corporis A, supponit moventem B: & hujus motus supponit moventem C, &c. Ita pars A, ut percurratur, supponit percurri prius partem minorem proportionalem B, illam præcedentem: similiterque hæc supponit C, &c. ergo quemadmodum ablato primo motore, auferuntur omnia mobilia: ita ablato cursu per primam partem ex prædictis, auferuntur cursus per cæteras omnes: ergo quemadmodum ablato primo motore, nullus datur motus; ita ablata prima parte, quæ poscit percurri, auferretur motus per omnes: & consequenter nullus daretur motus. Si igitur ratio Divi Thomæ convincit esse impossibile progredi in infinitum in motoribus, & mobilibus: similiter ratio Zenonis convincet, esse impossibile progredi in infinitum in continui divisione.

2. Juxta S. Thomam loco citato: *Impossibile est* (verba ejus sunt) *quod in causis efficientibus procedatur in infinitum, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa mediæ: & medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum tantum: remota autem causa, removetur effectus: ergo si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum, nec medium: sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens: ergo non erit nec effectus ultimus, nec causa efficiëtes mediae, quod patet esse falsum.* Hincque concludit Angelicus

Doctor existentiam primæ cause, seu Dei.

Eodem itaque modo ego arguam contra processum in infinitum in continui divisibilitate: nam quemadmodum effectus ultimus supponit causas medias, & iste alias, ita mobile, ut ultimam continui partem percurrat, debet prius percurrisse præcedentes; & ante istas alias: sed quia effectus ultimus supponit causas, & effectus præcedentes; & hi alios, & alias, ablata primâ causâ, omnes intermedia auferuntur, & consequenter etiam ultimus effectus: ergo similiter quia ultima pars nequit percurri, quin præcedentes partes proportionales percurrantur, si non sit prima, quæ percurratur, neque ceteræ intermedie, neque ultima poterit percurri: ergo quemadmodum ex progressu infinito in causis effectricibus infertur, nullum fore effectum: ita ex progressu infinito in continui divisibilitate infertur, nullum dari motum: non ergo admittendus est talis in infinitum progressus.

Sed dices, continuum componi ex partibus aliquotis finitis, & equalibus, quarum quælibet est in infinitum divisibilis in partes proportionales minores, & minores: cum itaque partes aliquotæ, ex quibus componitur continuum, finitæ sint, recte afsignatur principium motus, quo continuum pertransfeatur: & consequenter non sequitur absurdum illud, quod ex infinita serie successiva moventium, & mobilium, aut causarum efficientium sequeretur. Sed contra, nam licet diversitas illa partium aliquotarum, & proportionalium satis ineptè adstruitur, ut statim dicam; totum tamen argumentum supradictum in prima ex diëtis partibus aliquotis conficietur; ipsa enim quoddam continuum etiam est, suas habens medietates, ac medietatum medietates in infinitum, quarum prima, ex qua motus incipere oportebat, cum asci-

assignabilis non sit, certè nec motus initium: ergo prima illa pars aliqua non posset percurri: & consequenter nec continuum, nullusque esset possibilis motus.

Probatur 2. nostra conclusio: si continuum componeretur ex partibus in infinitum divisibilibus, daretur infinitum in actu, saltim secundum multitudinem: sed hoc communiter ab Adversariis non admittitur possibilis: ergo, &c. Major prob. nam partes in quas dividi potest continuum (*preced.*) sunt actu in illo: sed si continuum est in infinitum divisibile, est divisibile in partes infinitas: ergo essent in continuo actu infinitæ partes: & consequenter daretur infinitum in actu saltim secundum multitudinem.

Ut huic argumento respondeant adversarii, duo partium genera in continuo distinguunt, nempe *aliquotas*, & *proportionales*. Partes aliquotas appellant illas, quæ æquales sunt inter se, & quæ aliquoties sumptè exhausti totum: sic quatuor palmi sunt partes aliquotæ ulna, quia palmi æquales sunt inter se, & palmus quater acceptus, ulnam adæquat, seu exhaustit. Partes autem proportionales appellant eas, quæ inæquales quidem sunt inter se, decrescent autem in minores, & minores in eadem proportione: sic in ulna datur semiulna; in semiulna, medietas semiulna; in hac iterum alia medietas, &c. Afferunt itaque partes aliquotas, seu æquales, esse finitas in quovis continuo; partes vero proportionales esse infinitas, quatenus nempe divisio illa in infinitum progreditur, ita ut numquam ad aliquam ultimam partem possit devenire, quæ adhuc ulterius non sit divisibilis. Hoc supposito.

Respondent nostro argumento negantes majorem: ad ejus probationem, concessa majori, distinguentes min.

min. Potest continuum dividiri in partes infinitas aliquotas, negant: in partes proportionales, subdivisim-
guont: in proportionales actu infinitas, negant; infinitas in potentia, concedunt: unde asserunt non inferri dari in continuo infinitum in actu partium: sed solum infinitum in potentia, quatenus nempè, licet in prædi-
tas partes proportionaliter decrescentes semper dividatur, numquam tamen ad ultimam potest perveniri. Sed hæc solutio multas partitur difficultates, & ni fallor,
insolubiles.

1. Itaque supponendum est, hujusmodi Auctores intolerabilem pati equivocationem, dum partes proportionales ab aliquotis contradistinguunt: nulla est enim assignabilis pars proportionalis, quæ aliqua non sit. Ulna enim exempl. gr. dividitur in continua ratione subdupla in semiulnam; hæc in palmum: palmus in se-
mipalmum, &c. hæc, inquam, omnes sunt partes proportionales, in eadem nempè ratione decrescentes, ut est certum: sed omnes istæ partes, singulaque earum, sunt partes aliquotæ ulnae: ergo omnes proportionales sunt aliquotæ. Minor evidenter prob. Nam pars aliqua est, quæ aliquoties sumpta exhaustit totum; seu quæ aliquo numero multiplicata, facit perfectè totum: sed sic sed habent omnes prædictæ partes proportionales; nam semiulna bis sumpta, seu duæ semiulnæ faciunt ulnam: medietas semiulnæ, seu palmus quater sumptus ulnam efficit; medietas palmi octies sumpta, seu octo dimidia palmi ulnam faciunt, &c. certum ergo est omnes partes proportionales esse aliquotas.

Hoc supposito, sic prædictam adversariorum eva-
sionem impugno. Omnes partes proportionales reali-
ter sunt aliquotæ: ergo quidquid verificatur de ali-
quotis, verificatur de proportionalibus; & è contra: sed

con-

continuum potest dividi in infinitas proportionales: er-
go & divisibile est in infinitas partes aliquotas: sed jux-
ta adversarios, ex infinitis partibus aliquotis in conti-
nuo, sequeretur infinitum in actu: ergo ex infinitis proportionalibus etiam sequitur infinitum in actu. Pro-
bo conseq. nam ideo ex infinitis aliquotis sequitur infi-
nitum in actu, quia partes aliquotæ actu existunt in continuo: sed etiam proportionales actu in eo existunt:
ergo si sint infinitæ, sequitur infinitum in actu. Minor prob. quia ut probatum est, partes proportionales sunt aliquotæ: ergo actu existunt. Præterea partes propor-
tionales tales sunt, ut in eas dividi possit continuum:
sed hoc juxta Aristotelem, non est divisibile, nisi in
partes, quæ eidem insunt; non solum potentia, verum
etiam in actu: ergo partes proportionales infinitæ actu
existunt in continuo.

Dices partes omnes proportionales esse in continuo entitativerè, seu quoad entitatem: esse verò in potentia quoad divisionem infinitam; hæc enim numquam po-
test reduci ad actum, quia quacumque facta divisione, semper residuae sunt alia, & alia sine fine. Ceterum quis non videat id commune esse omnibus partibus, quæ ante divisionem sunt actu in toto quoad entitatem; suntque in potentia quoad divisionem. Quemadmodum ergo partes finitæ ante divisionem, quia actu existunt entitativerè, sunt actu finitæ; ita & partes infinitæ cum ante divisionem, actu entitativerè existant, erunt actu infi-
nitæ.

Præterea, licet divisio illa continuo in partes propor-
tionales minores, & minores ordine successivo, num-
quam esset terminabilis, cum tamen omnes sint entitati-
verè in continuo, possunt, præsertim à Deo, unico instanti
omnes ab invicem separari: nulla enim est inter illas
in-

indestructibilis unio : & consequenter potest Deus unico instanti omnes illas uniones destruere : quemadmodum si essent infiniti homines, possent unico instanti à Deo occidi , destruendo nempe unico instanti omnes uniones animarum cum corporibus : sed in hoc casu possibili, essent omnes partes continui, non solum entitative, verum & divisim, actu infinitæ; essent enim omnes divisæ : ergo ex predicta divisibilitate continui aperte infertur infinitum in actu, saltim possibile, quod Adversarii communiter non admittunt.

Si autem aliquis adhuc persistere velit, afferendo Deum non posse omnes illas partes proportionales continui unico instanti separare , sic impugnabitur , nam non est major difficultas, immo multo minor, in separandis continui partibus , quam in eisdem conjungendis: sed Deus potuit conjungere uno instanti omnes, & singulas cuiusvis continui partes : ergo & unico instanti potest illas separare. Dices ideo esse impossibilem predictam omnium partium separationem , quia qualibet pars separata designabilis, est materialis, ac proinde divisibilis. Sed contra, nam qualibet pars conjungenda, etiam erat materialis, & hoc non obstante , omnes potuerunt conjungi : ergo non obstante materialitate, omnes erunt à Deo unico instanti separabiles. Dices numquam fuisse prius separatas ante conjunctionem: permitto saltim quoad prioritatem temporis ; fuerunt tamen pro aliqua prioritate naturæ separatae ante conjunctionem : nec enim conjungi possunt partes , quæ separatae non presupponuntur, & hoc sufficit ad nostrum intentum. Præterea, nec materialitas divisibilitatem essentialiter importat : est enim materiale quidquid aut materia est, aut ex materia componitur, aut ad materiam ex sua natura ordinatur. Que itaque materialia sunt,

LIBER II. CAPUT I. 169
sunt, quia ex partibus materia componuntur , divisibilita sunt; secus verò illa,qua materia sunt, neque ex partibus componuntur, qualia sunt prima componentia, ut inferius patebit. Alia solutiones, seu potius effugia, que ab adversariis afferri possunt, in idem recidunt, possunt, que satis ex dictis refutari.

PROPOSITIO IV.

Hinc continuum componitur ex indivisibilibus.

Hæc conclusio infertur ex dictis : cum enim continuum (3.) non sit in infinitum divisibile , certè per continuas divisiones, ac subdivisiones, tandem deveniendum est ad indivisibilia : ergo componitur ex indivisibilibus.

PROPOSITIO V.

Puncta indivisibilia, ex quibus componitur continuum, non sunt mathematica.

Placuit Zenoni, Pythagore, alisque Stoicæ disciplinæ Alumnis, advocare ex Mathesi puncta indivisibilia, eaque in Physicam introducere, in eo prorsus sensu, quo à Mathematicis concipiuntur : unde dicunt continuum quantum ex indivisibilibus Mathematicis coalescere. Huic sententiae plerique etiam Peripateticæ adharent, Aristotelem in hoc deserentes. Affero tamen continuum ex predictis punctis Mathematicis non componi.

Probatur 1. Quia ut diximus in Metaphysica lib. 3. prop. 30. nulla entitas realis, & physica esse potest punctum Mathematicum : sed ea ex quibus componitur continuum, sunt entitates reales , & physicae : ergo ea ex quibus continuum componitur, non sunt puncta Mathematica.

Probatur 2. Ratione communis, nam ea quæ conti-

nuim' componunt, invicem addita, oportet ut faciant majus, & extensum: sed indivisibilia Mathematica invicem addita, nequeunt efficere majus, aut extensum: ergo continuum ex ipsis non componitur. Major est certa; minor probatur, nam ea, quæ cum invicem adiduntur, tanguntur secundum se tota, non faciunt, nec efficere possunt majus, aut extensum: sed quodvis indivisible Mathematicum, additum alteri, tangit illud secundum se totum: ergo nullum indivisible Mathematicum additum alteri potest cum illo efficere majus, aut extensum. Major in primis pater, nam ea quæ se tangunt secundum se tota, existunt in eodem loco: & consequenter compenetrantur: sed quæ compenetrantur, seu in eodem loco existunt, nec faciunt, nec efficere possunt majus, aut extensum: ergo quæ secundum se tota invicem tanguntur, nequeunt facere majus, aut extensum. Quod autem indivisible Mathematicum, additum alteri, tangat illud secundum se totum, probatur; nam si non tangit secundum se totum: ergo tangit secundum aliquam tantum partem: ergo habet partes, sicut quoad extensionem, & consequenter non est indivisible Mathematicum, contra suppositionem: ut enim dixi def. 2. in puncto Mathematico nulla est excogitabilis extensio.

Probatur 3. Puncta Mathematica non possunt constituere lineam: ergo à compositione continui sunt arcenda. Antec. prob. nam si prædicta puncta possunt constituere lineam, certè tria puncta lineam conficiunt: sed hoc nequit dici: ergo, &c. Major prob. i. Quia ut lineam efficiant, necesse est, ut primum punctum distet à tertio; aliter nulla in illa linea daretur longitudo; quod est contra ejus essentiam: sed primum punctum non distet à tertio: ergo tria puncta nequeunt conficiere

lineam. Minor prob. nam primum punctum non distet à tertio, nisi per distantiam indivisibilem, id est, per interjectum inter extrema indivisibile punctum: sed distantia indivisibilis non est distantia; hæc enim est spatium interjectum, quod ex suo conceptu est extensum: ergo primum punctum non distat à tertio.

Confirmatur; longitudo cuiusvis linea recta tanta est, quanta est distantia extreborum: sed lineæ trium punctorum extrema, tantum inter se distarent, unico illo indivisibili interfecto: ergo ejus longitudo esset indivisibilis: haberet ergo prædicta linea longitudinem indivisibilem, quod idem est, ac non habere longitudinem. Hinc ab unico puncto Mathematico non distinguetur: illud enim quod nullam habet longitudinem, neque latitudinem, indivisibile est: sed prædicta linea non haberet latitudinem, ut est certum: neque longitudinem, ob rationem prædictam: ergo esset punctum indivisibile. Hinc confirmatur præcedens argumentum, nempè duo, nec tria indivisibilia non facere majus, neque extensum.

Probatur 4. Nam neque Mathematici sub illa abstractione, qua quantitatem ab omni re physica, & sensibili præcissam concipiunt, possunt supponere continuum quantum ex prædictis indivisibilibus componi; alter enim in quâplurimas absurditates inciderent, à quibus Mathesis est prorsus immunis, quarum alias hic adducam.

i. Si circuli peripheria ex indivisibilibus prædictis componeretur, ex duobus sibi immediatis non possent duci duas rectas ad centrum, contra petitionem illam, à puncto ad punctum duci potest linea recta. Assumptum patet, nam cum illæ rectæ, quo magis ad centrum accedunt, minus distent inter se, statim ac à peripheria ver-

versus centrum tendunt, minus inter se distarent, quam in peripheria: sed in hac nihil inter se distant, cum amba proficiscantur à punctis indivisibilibus sibi immediatis: ergo statim ac à peripheria recedunt, coincident invicem; habebuntque illæ linea segmentum commune, quod est impossibile, seu potius erit una linea, ex parte centri habens unum terminum, & ex parte peripheriae duos, quod est absurdum.

2. Ob eandem rationem, peripheria circuli minoris intra majorem, ex eodem centro descripti, tot habet puncta, quot sunt in peripheria majoris; nam à quolibet puncto hujus, potest duci linea recta ad centrum: & quilibet ex his, in uno tantum puncto, secabit circuli minoris peripheriam: ergo tot erunt in minori, quot in majori: & consequenter utraque peripheria erit aequalis, quod est impossibile.

3. Similiter diagonalis quadrati erit commensurabilis, imò aequalis lateri ejusdem: à singulis enim punctis unius lateris ad singula lateris oppositi, duci possunt lineæ rectæ, quæ omnes in totidem punctis secabunt diagonalem: & cum inter predictas lineas nulla alia duci possit: neque inter puncta illa, in quæ diagonalis ab illis rectis secatur, aliquod punctum intercipi possit: tot erunt puncta in diagonali, quot in latere quadrati: ergo diagonalis aequalis erit, & commensurabilis lateri quadrati, quod est absurdum; ut enim demonstrat Euclides lib. 10. prop. ult. est cum dicto latere incommensurabilis.

4. Imò si linea ex indivisibilibus Mathematicis componeretur, nulla esset alteri aloga, seu incommensurabilis; quia cum quilibet ex certo numero predictorum indivisibilium integraretur, esset certè una ad aliam, ut numerus ad numerum: ut numerus sic illicet indivisibilium

lium in una contentorum, ad numerum indivisibilium contentorum in alia,

6. Tandem plurimæ essent lineæ, eaque satis magna, quæ non in alias partes æquales dividi possent, nisi in indivisibilia: illæ nempè omnes, in quibus indivisibilium numerus esset ex illis, qui numeri primi appellantur, quorum nempè nulla est alia pars aliqua, qua numerentur, præter unitatem: hujusmodi enim linea nullam aliam haberent partem aliquotam, nisi indivisible: ergo in sola indivisibilia possent æqualiter dividi. Vide quod absurdum: quæ omnia inevitabiliter sequuntur, si ex præfatis indivisibilibus continuum physicum componi asseratur. Impugnari etiam solet hæc sententia, quod in ea sit prorsus inexplicabilis velocitas, & tarditas motus: sed de hoc postea specialis erit sermo.

Objicies 1. Potissima ratio, ob quam puncta Mathematica à compositione continui physici rejiciuntur, est quia cum sint omnino inextensa, invicem addita, & unita, nequeunt facere continuum extensum: sed hæc ratio est nulla: ergo, &c. Minor prob. nam licet corpora simplicia non sint mixta, invicem tamen addita, & unita faciunt mixtum. Item licet unitas numerus non sit, multæ tamen unitates aggregatae, numerum constituant: ergo licet indivisibilia Mathematica non sint extensa, invicem tamen addita, & unita extensum sufficient.

Respondeo, concessa majori, negans min. Ad probationem respondeo, non opus esse, imò nec possibile, ut partes, illas proprietates, ac denominations habeat, quæ convenient composito sub hoc nomine compositi; aliter oporteret, ut partes in se essent compositum, ut compositum constituerent, quod est ridiculum: oportet

tet tamen ut habeant illas denominations, & proprietates, quas composito tribuere debent: sic compositum non erit materiale, nisi ex partibus materialibus componatur. Hinc ad paritates adductas respondeo, ex simplicibus invicem unitis coalescere mixtum, quia ratio mixti, ut potè compositionem importans, convenit mixto quà compositum est. Similiter ratio numeri compositionem importat ex unitatibus; ideoque convenit ei qua compositum est. Ratio verò extensi non convenit cuicunque aggregato; sed solum illi, quod ex extensis compaginatum est: sicut nec ratio quanti impenetrabilis convenit alteri composito, præter illi quod ex impenetrabilibus compositum est: cumque, ut probavi, indivisibilia Mathematica, eo quod extensa non sint, nequeunt invicem uniri, quin compenetrentur; inde sit continuum extensem ex ipsis componi non posse.

Objicies 2. Globus plano insidens, nec illud tangit, neque ab illo tangitur, nisi in puncto Mathematico omnino indivisibili: sed globus in quovis loco potest tangere planum, & ab isto tangi: ergo planum in quovis loco, & similiter globus, habet suum punctum indivisibile: ergo componitur ex punctis Mathematicis omnino indivisibilibus. Respondeo, distinguis majorem: globus prout mathematicè consideratur, tangit planum similiter consideratum, in puncto Mathematico, concedo: si globus, & planum considerentur prout sunt in se, & à parte rei ab Artifice sunt confecta, tanguntur in puncto Mathematico, nego: & similiter nego consequiam. Itaque assero, neque globum, neque planum, physicè spectata, tangi in puncto Mathematico: tale enim punctum realiter, & physicè non est in rerum natura: contactus igitur predictus fit in puncto physico, modo quo statim explicabimus.

PROPOSITIO VI. Continuum quantum componitur ex punctis physicis indivisibilibus, impenetrabiliter extensis.

Dari hujusmodi puncta entitative indivisibilia; extensa tamen impenetrabiliter, satis in Metaphysica probavimus lib. 3. à prop. 30. & in hoc tract. lib. 1. à prop. 17. Ex ipsis autem componi continuum quantum, tenent Gassendus *Phys. sc̄t. 1. lib. 3. cap. 6.* & 8. Fabri, & ex ipso Mousnerius in *Metaph. lib. 10. prop. 27.* & aliis in locis. P. Francisc. Tert. de Lanis in *Magisterio Nat. & Art. tract. 1. cap. 2. prop. 25.* P. Maignan *Phil. nat. cap. 7. prop. 4.* P. Saguens *Phys. disp. 5. art. 4.* Auctor Phil. vet. & nova, *Phys. gen. tract. 2. cap. 2. prop. 25.* citatur etiam pro hac sententia Eminen. Card. de Lugo, & alii. Assero cum ipsis, continuum quantum, seu corporeum componi ex punctis actu, & entitative indivisibilibus, extensis tamen impenetrabiliter, prout ea jam explicui locis supra citatis.

Probatur 1. ex dictis, nam continuum physicum ex aliquibus actu in eo existentibus componitur, ut constat ex prop. 1. & 2. Sed non componitur ex partibus in infinitum divisibilibus, ut prop. 3. ferè demonstratum est: neque ex indivisibilibus Mathematicis omnino inextensis, ut prop. 5. probatum est: ergo constat ex punctis physicis entitative quidem indivisibilibus, extensis tamen impenetrabiliter.

Probatur 2. eisdem rationibus, quibus lib. 1. hujus tractat. prop. 19. probavimus hujusmodi punctorum in rebus corporeis existentiam, que hic non repeto. Ex his autem punctis, sive minimis corpusculis, sive atomis, sive quocumque alio nomine appellare volueris:

ex his, inquam, tamquam ex prima materia, primisve componentibus cuncta corpora naturalia coagmentata sunt, ut prop. 20. stabilivimus: ergo hujusmodi corpora quatenus quanta sunt, & continua, ex prædictis punctis sunt composita. Ultimò non modicum roborabitur nostra assertio obiectorum solutione, quant loco citato ad præsentem distulimus, ut vel hinc pateat, admissis hujusmodi punctis, non ea pati incommoda, quæ, ut vidimus, in aliis sententiis non, nisi difficultimè, posse sunt vitari.

Et primò quidem adversus nostram conclusionem objicere possunt adverfarii diversas Sanctorum PP. autoritates, in quibus afferere videntur hujusmodi atomos, seu puncta physica, esse fictitia, & fabulosa: licet autem possem in communi respondere prædictorum PP. dicta suam habere probabilitatem; & quidem, ob eorum sanctitatem, & intelligentiam, maxime commendabilem; in re tamen pure philosophica, nos nullatenus cogere à nostra sententia recedere, qua etiam probabilitissima est; licet, inquam, id respondere possem, satius mihi visum est ostendere, prædictos Patres nostram sententiam minimè improbare; neque ex eorum dictis aliquatenus enervari posse. Si enim attente legantur, statim patebit, ideo ipsos cuncta fermè priscorum Philosophorum dogmata contemnere, ac exprobare, ut primis illis Ecclesiæ sculis, fideles ab eorum lectione removerent, ne fortè sciendi sit, avidius, quam par esset, adducti, infectos illos ethnicorum latices adirent, simulque cum Philosophia errores, quibus scatabant, eiberent. Postmodum verò, Ethnicismo prostrato, Idolisque penitus contritis, doctissimi simul, ac pienissimi homines, infectas gentilium erroribus artes, ita defacare curarunt, ut Christo militare, ejusdemque ex-

lesti

lesti doctrinæ ancillari cœpissent.

Hinc quemadmodum materia illa informis Aristotelia, si non afferatur improducta, & ab æterno; sed potius à Deo in tempore ex nihilo creata, sustineri valet: ita & Democritæ, seu Epicureæ Atomi optimè possunt retineri, dummodo à Deo ex nihilo factæ afferantur, ex ipsisque cuncta, singulaque corpora coalescere, abjurato tamen insaní illo, ac detestabili errore, quo nempè ex fortuito earum concursu cuncta fieri ethnici illi asserebant. His jam pro generali solutione præmissis, præcipua Sanctorum dicta, quæ nobis objiciuntur videamus.

Objiciunt 1. Clementem Alexandrinum lib. i. Stromatum adversus Epicureos, sic declamantem: *Principia ponunt individua Philosophie nomen suscipientes, impii quidam humunculi, & voluptati dediti.* Si ex his quid, amabò, contra atomos, seu puncta indivisibilia? an ex eo quod ethnici illi eorum assertores essent homunculi impii, & voluptati dediti, ideo prædicta puncta implicatoria sunt? certè si hoc licaret inferre, etiam idem de continuo divisibilitate in infinitum inferre possemus, cum primùm asserta sit ab Aristotele, homine scilicet impio, versato, ac voluptati dedito. Solùm ergo prædictis verbis Clemens suadere conatur, nullatenus Philosophi nomen mereri illum, qui scientiam absque morum probitate profitetur. Hinc idem Clemens Alexandr. lib. etiam i. Strom. Logicos acriter insectatur, dum super illud Pauli i. Tim. 6. Superbus est nihil sciens; sed languens, &c. ait: *Vide quomodo in eos invectus sit, quæ in sermone versatur eorum artem, morbum appellans, propter quam se efferunt, & magnificè circumspiciunt, quibus cordi est hac ars garrula, & improba.*

Objiciunt 2. Basiliū Magnum hom. 1. in Hexae-
meron, hęc dicentem: *E diverso alii minutissima quæ-
dam, & imparitibilia corpora, moles item, ac meatus
naturam continere omnium, quæ oculis quaqua versum
subjacent, vecordi imaginatione delusi, adstruxerunt.*
Opinati enim sunt, nunc quidem illis insectilibus cor-
pusculis inter se coalescentibus, & agglutinatis, nunc
contra, eisdem se junctis, generationes fieri rerum, &
corruptiones: simul & tenaciorem atomorum inter se
complicationem causam præbere diuturnioris persisten-
tia longissimè duraturis corporibus. Prorsus istius
generis scriptores, quid aliud dicas, quam stamen flac-
cidum araneoli pertexere, dum pertenes adē commi-
niscuntur rerum causas, dum cali, terræ, mariisque
principia supponunt, nuspian consilientia. Haec tenus
S. Doctor, asserunt adversarii; sed eorum pace, non ha-
ctenus; legant, quæſo, quæ immediate sequuntur, &
aperte conficieni, non alla ratione supradictas ato-
mos, ex eisque mundi structuram rejicere, nisi quia mi-
rabilem hanc mundi machinam ex fortuito illarum ato-
morum concursu exortam dicebant: addit enim: *Ne-
que enim didicerant illud depromere: In principio
fecit Deus celum, & terram; eoque factum est, ut uni-
versam hanc mundi molem, citra ullam moderatricis
providentia, ac rerum dispensatrixis operam, nimirum
temere, ac fortuna nusquam consilientis impetu fieri
arbitrati sint.*

Quid? quod & compositionem continu ex partibus
in infinitum divisibilibus eadem homil. aperte rejicit;
nostramque sententiam adstruit his verbis: *Impartibile
quiddam est principium, nec ulla intervallari di-
mensione a se toto dispescitur. Quemadmodum enim
principium via nondum est: domus quoque prin-*

cipium neutiquam censetur domus: itidem & princ-
pium temporis adeò tempus non est, ut ne ejus quidem
sit minima portio. Quod si unus aliquis contentione
pervicaci adstruat temporis principium esse tempus:
is neverit ipsum principium oportere juxta banc posi-
tionem deduci in multifidas temporis partes, nempe in
principia, media, atque finem. Atqui res prorsus de-
ridicula videtur, vel mente concipere principium prin-
cipii. Quisquis enim principium bipartito fecat, is duo
principia pro uno efficiet, verius per quam multa im-
d infinita, quando id quod semel dissecueris in alia rur-
sus segmenta intercidit possit.

Objiciunt 3. S. Augustinum, qui lib. de immort. ani-
ma, cap. 7. ait: *Omnis pars, que remanet, corpus est:*
& quidquid hoc est, quantolibet spatio locum occupat,
neque id posset, nisi haberet partes, in quas identidem
cederetur. Sed responderi potest 1. Non assere S. Do-
ctorum divisionem illam posse procedere realiter in infi-
nitum; sed ad summum intellectualiter, aut per designationem.
Quod non obscure colligi potest ex verbis,
quæ immediate ante illa, quæ nobis objiciuntur, appo-
nit, ait enim: *At nulla præcisio perducit ad nihilum;*
omnis enim pars, que remanet, &c. Sed ut præciso,
seu diviso in nihilum non perducat, sufficit, ut in pun-
cta realia, & physica, intellectualiter semper divisibilia
tandem deveniat: non ergo cogimus ex prædictis ver-
bis assere, mentem Augultini fuisse divisionem progre-
di posse realiter in infinitum. Imò oppositum sentire
videtur epist. 146. ubi super illud Pauli 1. Cor. 15. In
ictu oculi, &c. ait Sanctus August. *In atomo inquit,*
hoc est, in puncto temporis, quod dividi non potest.
Id autem quod de atomo, seu puncto temporis dicit,
consequenter de atomo spatii sensisse, seu de atomo

continui locati, non incongruè judicamus. Et licet lib. 2. de Genes. ad lit. cap. 4. divisionem continui in infinitum afferere videatur, eam tamen non tam ex propria, quām ex aliorum sententia adstruere videtur, ut ex ipsis S. Doct. verbis est satis apertum; ait enim: *Ipsi quippe subtilissima ratione persuadent nullum esse quamlibet exiguum corpusculum, in quo divisio finiatur: sed infinitè omnia dividuntur, quia omnis pars corporis corpus est.* *Omnis corpus habeat necessariè est dimidium quantitatis sua.*

Responderi potest 2. Sanctum Doctorem, si in predictam sententiam de divisibilitate corporum in infinitum aliquando inclinari videatur, id quasi renuens, & coacte fecisse, ut patet ex his, quæ in epist. 151. ait: *Nebridium enim ipsius Augustinum beatum appellantem, sic admonet.* Sed ubi est ista vita beata? ubi ubinam? *O si ipsa esset repelleret atomos Epicuri.* Et post pauca: *Aut quomodo non mibi diceretur, immo non cogemur confiteri, corpora in infinitum secari, ut à certa velut basi in quantitatem certam, certus corpusculorum numerus surgeret.* Ubi vides tum Epicuri atomos; tum divisibilitatem corporum in infinitum, pariter putasse se relieturum; si certa, ac indubitabilis veritas appareret, quæ omnino beatitudinem comitatur.

Quoniam vero adversarii totum mundum contra nos concitari vellent, etiam Ciceronem nobis opponere contendunt, dum lib. 1. de natura Deorum, ait: *Ista enim flagitia Democriti, sive etiam ante Leucippi, esse corpuscula quedam levia, alia aspera, rotunda alias, partim autem angulata, curvata quedam, & quasi adunca.* Sed licet de ethnici auctoritate parum curesmus; constat tamen ejusdem testimonio illud tantum reprehendere voluisse, quod fideles omnes prorsus rejici-

cimus, ac reprehendimus; nempe *ex his* (verba ejus sunt) *effectum esse cælum, atque terram, nulla cogente natura; sed concursu quodam fortuito.*

Objiciunt 4. In Concilio Constantiensi damnari videatur nostra sententia, *sef. enim 15.* resertur sequens propositio Joannis Hus: *Linea aliqua Mathematica continui componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut solùm ex punctis simpliciter finitis: vel tempus est, sicut, vel erit compositum ex instantibus immediatis.* Item non est possibile quith tempus, *& linea, si sint, taliter componantur.* Additur autem immediatè censura his verbis. *Prima pars est error in Philosophia; sed ultima errat contra divinam potentiam.* Resp. tamen cum P. Arriaga disp. 6. *sef. 8. subsef. 6. num. 132.* illam censuram præfatæ propositioni inflictam non esse Concilii; sed cuiusdam Henrici de Piro, Promotoris Fiscalis Joannem Hus accusantis, ut luce clarius patebit legenti: in illa enim sessione habetur prædicti Promotoris petitio, continens articulos, quos ab Ecclesia damnari petebat, inter quos præfatam propositionem, ut in Philosophia erroneam propositum. Concilium vero illam nulla iniussit censura, nec inter errores recenseri voluit, ut patet in errorum ferie, quæ in eadem illa sessione refertur. Immo, quod caput est, nec in Cathalogo Martini V. qui Concilium approbavit illius propositionis fit aliqua mentione: nec mirum, est enim res merè philosophica, quæ ab Ecclesia Philosophis disputanda relinquitur. Videatur P. Arriaga loco citato.

Objiciunt 5. Quantum ex Aristotele divisibile est in ea, quæ insunt: sed puncta physica sunt quanta, igitur extensa: ergo sunt divisibilia in partes, quæ eisdem insunt: ergo constant partibus realiter distinctis. Respi-

distinguens primam consequentiam : puncta sunt divisibilia per designationem in partes, quae eisdem per designationem insunt, concedo : sunt divisibilia realiter, & physicè in partes, quæ eisdem realiter, & physicè insint, nego; & ultimam consequentiam. Solum itaque puncta dici valent divisibilia, quatenus habent partes; cumque eas solum per designationem, & cogitationem habeant, solum per designationem, & cogitationem sunt divisibilia. Exemplum habes in Angelo per exapedam ver.gr. extenso; hujus enim extensionis designabile est dimidium, aliæ pars ; cum tamen Angelo nullum insit dimidium, nullave pars, sed sit entitas indivisibilis.

Hæc autem divisio per designationem appellari solet *Mathematica*; Mathesis enim quemadmodum quantitatem considerat ab omni affectione sensibili praescissam; ita etiam omnino præscindit ab eo, quod à parte rei existat eo modo, quo ab ea concipitur; concipitur autem ut extensa; & consequenter ut capax divisionis; ideoque Mathesis partes in quantitate qualibet considerat, & designat, sive illas realiter habeat, sive non; ab hoc enim præscindit. Similiter etiam dum punctum considerat, signum quoddam supponit, nullam in eo extensionem agnoscens, idque sive illam habeat à parte rei, sive non. Cum itaque Mathesis tum punctum, tum quantitatem, solum sub hac hypothesi consideret, ab omnibus difficultatibus, quibus scrutandis Philosophia naturalis infudatur, est immunis : & quidquid de continuo quanto demonstrat, que demonstratum est de quolibet quanto, sive hoc entitatè sit divisibile, ut exapeda; sive non sit entitatè divisibile, ut Angelus extensus. Hinc patet Mathesin minimè fingere tuum obiectum ; sed potius præscindere ab ejus existentia phy-

physica, & reali ; non enim considerat, nec scrutatur, an ita physicè se habeat, quemadmodum ab ipsa concipiatur.

Objiciunt 6. Nos confundere res spirituales cum materialibus : nam hujusmodi res ex duplice capite distinguntur. 1. Quia res spirituales carent partibus; nequaquam verò materiales. 2. Quia res quævis spiritualis est tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci; res verò materialis; è contra ; ita enim est tota in toto suo loco, ut alia ejus medietas in medietate una loci totalis existat; alia verò medietas in alia; ita ut singulæ illius partes singulis loci partibus commensurentur, & insint : sed puncta physica, prout à nobis admittuntur, sunt 1. indivisibilia, & consequenter carent partibus; & 2. cum extensa sint, oportet ut totum punctum sit in toto loco, quem occupat; simulque totum in qualibet parte illius loci : aliter enim partes distinctas in distinctionis illis locis haberet : ergo confundimus res spirituales cum corporeis, quod est ingens inconveniens.

Respondeo cum P. Saguens nullum esse inconveniens in eo, quod res materiales convenienter in aliquibus attributis cum spiritualibus; dummodo in aliis attributis diversificantur. Convenient itaque puncta physica corporea cum rebus spiritualibus in hoc, quod partibus entitativis careant, in quas possint realiter, & physicè secari : convenient iterum in hoc, quod sint extensa : cum maxima tamen differentia, quod puncta physica extensa sint suaptè natura impenetrabiliter; secus verò res spirituales. Præterea quia Angelus exempl. gr. ad ejusdem nutrum extendi potest, vel ad totum aliquod spatium, vel ad ejusdem tantum partem restringi. Quod quam ingens sit discriminari, satis patet.

Sed instabis cum P. Gervasio Brisacensi *Phys. part. i. quest.*

quaest. 2. art. 2. Si punctum indivisibile extensum est, quemadmodum Angelus, vel anima, certe quemadmodum anima humana toti eo extenditur corpori, & sicut Angelus potest occupare ingentem locum, ita & unicum punctum poterit ita extendi, ut ejus extensio aequalis sit, immo major extensione corporis humani: sed hoc est absurdum; dari enim possit gigas unico constans indivisibili puncto: ergo, &c. Respondeo. Nullam me invenire repugnantiam in eo quod possit a Deo unicum punctum ita extendi, ut magnum locum occupet: standum enim mihi videtur pro divina omnipotencia, quoties evidens, aut quasi evidens contradictione non appareat. De facto tamen ita non rem se habere, constat ex dictis, praesertim lib. 1. rectus enim naturae ordo exposcit ingentem corpusculorum exilitatem, ut ope accessionum, & separationum præfatorum corpusculorum, tot fierint in mundo generationes, ac corruptiones, quot fieri conspicimus.

Objiciunt 7. Si puncta physica essent extensa, essent figurata: sed si figurata sint, nequeunt esse entitative indivisibilia, sed habere debent partes entitative distinguetas: ergo repugnare puncta physica indivisibilia, & extensa. Major patet, nam si extensa sint, eorum extensio est terminata, seu termino, aut terminis circumscripta: sed ex Euclide, quantitas circumscripta figura est: ergo si essent extensa, essent figurata. Minor itaque prima probatur, nam si figurata sint, eorum termini, seu latera ab invicem realiter distant: sed quæ realiter distant entitative distinguuntur: ergo termini, seu latera puncti distinguuntur entitative, & consequenter punctum non est entitative indivisibile.

Respondeo concessa majori, negando min. Ad ejus probationem concessa majori, distinguo min. Ea quæ rea-

realiter distant entitative distinguuntur, si unum destrui possit alio non destruendo, concedo; aliter, nego. Non enim sufficit locorum distantia; ut inde colligatur locata entitative distinguiri; sed insuper requiritur, ut uno non destruendo, aliud destrui possit. Quod patet 1. In probabilissima opinione afferente idem corpus posse divinitus bilocari, quin inde sequatur corpus illud distinguiri a se ipso. 2. Patet in anima humana, quæ simul est in pede, & in capite: & licet inter pedem, & caput realis intercipiatur distantia; anima tamen eadem est in capite, & in pede. Similiter itaque licet in puncto, exempli gratia cubico, una superficies ab altera realiter distet, non inde infertur entitatem in una superficie existentem, realiter ab ea, quæ in alia est, esse diversam; sed potius quemadmodum anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet illius parte: & Angelus in toto spatio, cui extenditur, & totus in qualibet illius parte: ita similiter entitas puncti tota est in tota illa extensione, & tota in qualibet illius parte: seu ut cum P. Honorato Fabri loquamus, entitas illa puncti est quidem tota in qualibet parte assignabili suæ extensionis; sed non est in illa totaliter, cum sit ulterius extensa. Factor quidem vix posse mentem omnino concipere entitatem illam indivisibilem figuratam, & extensem; cum quoties diversas partes in extensione locali concipiatur, tales diversas entitatis locatae partes concipiatur: ceterum cum id satis corrigere possimus exemplo ab Angelo, & anima humana desumpto, nullatenus nos præfata difficultas a predicta sententia recedere cogit.

Objiciunt 8. Punctum additum puncto non facit majus: ergo continuum non constat ex punctis. Anteced. probatur, nam punctum additum puncto tangit illud secundum se totum, & consequenter cum illo pen-

ne tratur: ergo non facit majus. Resp. negans utrumque antecedens, si loquamur de puncto physico: punctum enim physicum aliud tangens, non tangit illud adaequatè, seu quoad totam suam extensionem; sed tantum terminative, & inadæquatè, seu quoad partem illam suę superficię, qua alteri jungitur, coheret, &c. Tota itaque entitas unius puncti tangit aliud, sed non totaliter, seu secundum totam suam extensionem: analogiam habes in Angelis per exapedam extensis, quorum unus est extra locum alterius, nec invicem penetrantur, licet sibi sint immediati, se sequent tangent. Dices: ergo superficies puncti distinguitur à puncto; tangent enim se se invicem puncta secundum totam eorum entitatem; non tamen secundum totam superficiem. Resp. Non distingui entitative; distingui tamen modaliter, est enim extensio, & figura modus puncti, nihil aliud addens ejusdem entitati, quam talem terminationem, seu negationem ulterioris extensionis. Oportet tamen imaginationem castigare, que corporibus sensibilibus assuetam, solet diversas corporis facies, ut partes distinctas concipere.

Objicies 9. Omnis linea potest dividii bifariam æqualiter: sed si nostra sententia vera sit, non omnis linea bifariam æqualiter dividi posset: omnis enim linea, quæ ex punctis numero imparibus constat, bifariam dividi nequit, cum punctum medium dividi non possit: ergo nostra sententia admittenda non est. Resp. distinguens majorem, omnis linea potest dividi bifariam mathematicè, concedo; physicè, nego; & consequentiam. Dupli itaque modo est divisibilis linea, mathematicè scilicet, & physicè. Physica divisio est, quæ unum segmentum ab alio realiter separatur, & hujusmodi divisionis modo, linea, quæ ex punctis physicis numero im-

paribus constat, bifariam dividi nequit, saltim si puncta sint æqua lia; oportet enim punctum medium bifariam dividi, quod est impossibile, ut dixi: divisio autem Mathematica est divisio in potentia, seu per designationem, & considerationem: & hac divisione, omnis linea bifariam est divisibilis: nullam enim lineam considerant Mathematici, cuius subduplicum non sit assignabile; præscindunt quippe ab eo quod physicum est, & à rerum quantitativarum physica compositione.

Objiciunt 10. Adversum nos difficultates illas, quas ex Matheſi desumptas, adversus puncta Mathematica proposuimus. Nam à quolibet puncto majoris circuli duci potest linea recta ad ejusdem centrum, quæ necessario secabit circulum minorem concentricum: tamen ergo erunt puncta in circulo minori, ac in majori, quod est absurdum. Resp. antecedens esse verum in præcisione, & hypothesi Mathematica: non verò in contractione, & actualitate physica. Matheſis enim considerat punctum absque ulla prorsus extensione: & lineam absque ulla latitudine: & sub hac consideratione, & hypothesi, lineæ que à quovis punto peripherię circuli majoris ducuntur ad centrum, peripheriam circuli minoris secant in partes proportionales iis, in quas major peripheria secatur ab eisdem lineis: numquam enim considerat Matheſis, nec considerare potest, à duobus punctis immediatis peripherię majoris duas ad centrum proficiunt lineas: semper enim inter punctum, & punctum peripherię predicta aliquem arculum considerat: unde linea, ab hac peripheria ad centrum ducta, circulum minorem concentricum in arculos proportionales minores secare considerat; in eadem, in qua ratione minores, in qua tota peripheria minoris, à ma-

jore deficit; seu in ratione diametrorum, ut dixi in *coll. 2. prop. 2. lib. 12. Eucl.* considerat enim *Mathesis* lin-
eam quantumvis minimam in partes proportionales indefinitè dividì posse: nec propterea fingit, aut fallitur *Mathematicus* ita cogitans, neque enim ita continuum se habere asserit; sed abstrahit ab eo, quod physicè, & realiter est; hoc enim ad suas demonstrationes, quæ hypothetica sunt, perficiendas sufficit.

Si verò loquamur physicè, & prout res se habet à parte rei, à duobus punctis peripheriarum majoris non possunt duci linea ad centrum, si prædicta puncta sint sibi immediata; non, inquam, duci possunt, quia una alteri ex parte saltim incumbat; linea enim physicæ latitudinem habent: sicque cum à duobus immediatis punctis proficiuntur versus centrum, ut in eo coéant, necesse est alteram alteri ex parte superinduci; ut patet in filis, quæ si à punctis immediatis peripheriarum se tangentibus ad centrum producantur, altera alteris eo magis superincumbunt, quo magis ad centrum propinquius accedunt. Cum itaque linea physica prædicta à singulis peripheriarum majoris punctis ad centrum delata, partim superinducantur, non sequitur tot ab eisdem designari puncta in circulo minori, quæ sunt in majori; imò si prædicta puncta supponantur æqualia, quodlibet punctum minoris pluribus majoris circuli punctis respondebit. Hinc patet solutio ad ea, que objici solent de diagonali quadrati; & aliis ex *Mathesi* desumptis.

Objicies 11. Cum puncta physica, ut supra diximus, diversimodè sint figurata, ponamus unum esse perfectè sphæricum, aliud autem perfectè planum, quæ se tangant. Hoc itaque posito, punctum sphæricum tangit physicè punctum planum: ergo in aliquo physico illud tangit: sed illud, solum tangit in puncto Ma-

thematico omnino indivisibili, ut ex *prop. 16. lib. 6. Euclid.* aperte colligitur: ergo punctum Mathematicum physicè reperitur in punto physico: cumque prædicta puncta physica possint se se tangere in diversis sua extensionis punctis, certè in punto physico plura reperiuntur physicè puncta Mathematica, ideoque in ea divisibile erit, ex eisque physicè erit compositum: non ergo dantur puncta physica prout à nobis concipiuntur.

Resp. Punctum physicum sphæricum tangere totum punctum physicum planum, non quidem adæquatè, sed solum inadæquate: id est, tangit quidem totam entitatem puncti plani, sed non secundum totam suam extensionem; tantummodo enim illud tangit secundum in divisibile Mathematicū in illa extensione assignabile, idque ad summum convincit obiecit: ex quo minimè infertur, plura illa indivisibilia, quæ in extensione puncti plani possunt assignari, esse inter se entitativè distincta. Dices, separat Deus id quod tantum tangitur. Respondeo hoc esse impossibile, nam cum punctum unica entitas sit, licet extensa, certè illud in quo tangitur, à toto puncto realiter non distinguitur, ut satis constat ex dictis.

Objiciunt 12. In nostra hac hypothesi, quantitatum alogiam explicari non posse. Si enim quantum ex punctis constat finitis, certè omne quantum erit ad aliud, ut numerus ad numerum: sed quæ se habent ut numerus ad numerum, aloga non sunt, seu incommensurabilia, saltim enim unicas est eorumdem mensura communis, & pars aliqua: ergo ex nostra hypothesi sequitur nullas magnitudines esse alogas. Quod est contra id quod ab Euclide demonstratum est.

Resp. hoc argumentum, rem quidem omnino con-

vincere contra eos, qui ex punctis Mathematicis numero finitis continuum quantum componunt, ut suprā videntur; adversus nostram verò sententiam nihil prorsus evincere. 1. Enim asserere possumus puncta physica non esse omnia aequalis extensionis: unde unum punctum potest esse aequale lateri quadrati; aliud verò diagonalis ejusdem, quæ certè incommensurabilia, & aloga erunt inter se: non enim assignabilis erit pars aliqua extensionis unius, quæ simul alterius extensionem metiri possit. Hinc licet tam diagonalis, quam latus quadrati, ex punctis numero finitis componantur; cum tamen sint diversæ extensionis, eaque incommensurabilis, rectè componitur diagonalē, & latus esse incommensurabilia in extensione, licet entitates punctorum componentium se habeant, ut numerus ad numerum. Quoniam verò si puncta physica sint extensio inæqualia, innumera ex ipsis fieri possunt conjugations, poterit diagonalis continere plura puncta, quam latus quadrati, aut pauciora, aut totidem; semper tamen extensio totalis, quæ ex ipsis in diagonali consurgit, incommensurabilis erit cum extensione lateris quadrati; aut certè quadratum non erit mathematicè perfectum, sed physicè tantum, & sensibiliter.

Dicere 2. possumus omnia puncta physica esse in extensione aequalia; nullum autem esse posse hujusmodi punctorum numerum, qui vel adequare ipsum diametrum, si latus adæquet; vel latus, si diagonalē perficiat; nisi forte omnia puncta quadrata essent, hoc enim in casu totidem essent in diagonali puncta, quot in latere; ita tamen ut diagonales punctorum, diagonalē quadrati totalis conficeret; latere verò eorumdem, latus prædicti quadrati totalis: ut patet in quadrato ABCD (fig. 1.) ex novem quadratulis constans, quorum

tria

tria sunt in latere CD; totidemque in diagonalē CB; latus tamen CD suis lateribus integrant; diagonalē verò CB, suis diagonalibus conficiunt. Cum itaque singulæ diagonales punctorum incommensurabiles sint cum eorumdem lateribus: similiter & omnium diagonalium aggregatum, scilicet tota CB, incommensurabilis erit cum aggregato laterum, seu cum totali latere CD, ut est evidens ex prop. 12. lib. 5. Eucl. Rectè itaque in nostra hypothesi explicatur alogia, seu incommensurabilitas magnitudinum. Impugnari insuper solet nostra assertio, quod in ea nequeat explicari motus velocitas, aliaque ejusdem phænomena: verum hæc planè dissolventur in tractatu de Motu locali.

CAPUT II.

De Nexus partium continuo.

COMMUNIS est Peripateticorum sententia, nemum, seu unionem partium continuo esse modum quemdam, quo prædictæ partes ita inter se vinciuntur, & copulantur, ut faciant unum, unum videlicet continuum. Quidquid tamen sit de hujusmodi modis, de quibus satis in Metaphysica egimus; contendō hanc unionis continuativæ explicationem, merè metaphysicam esse; certum enim est, partes continuo, cum unitæ sunt, peculiari modo se habere, quem, illa unione semota, non habent. Quærimus itaque nunc, quid physicè sit id, quo partes continuo ita necuntur, ut unum continuum efficiant: quod breviter sequentibus propositionibus exponam.

PROPOSITIO VII.

Unio partium continui non consistit in punctis individuabilibus copulantibus.

Plerique ex Peripateticis, ut explicarent unionem partium, ex quibus coalescit continuum, ex Mathematicis advocarunt in Physicam puncta illa indivisibilia, quae ex munere, quod gerere afferunt, *continuativa*, & *copulativa* appellantur: Dixerunt itaque, partes continui his indivisibilibus uniri: unde ex punctis copulativis, & partibus, continuum componebant. Verum haec sententia communiter rejicitur: 1. quia juxta illam, puncta praedicta indivisibilia Mathematica sunt omnino inextensa: hec autem in rerum natura non reperiri, diximus in Metaphys. Non ergo ipsis possunt partes continui copulari. 2. Quia haec puncta cum partibus, quas uniuert, penetrarentur: ergo nihil inter partes praedictas mediaret: ergo immediate inter se unirentur: ad quid ergo praedicta indivisibilia? Si autem contendere velint, inter partes unitas mediare indivisibile illud copulativum: ergo partes illae, catenus solam erunt inter se unita, quatenus cum puncto illo intermedio uniuertur: solum ergo mediatè sunt inter se unitæ: & consequenter earumdem extrema non sunt unum, contra id quod ait Arist. i. *Phys. cap. I.* Præterea, si partes unitæ sunt cum illo puncto, vel uniuertur cum illo immediate, vel medio aliquo alio: non secundum, nam procederemus in infinitum: si autem dicatur primum, certè nulla erit assignabilis ratio, cur partes, quæ immediate puncto uniuertur, non possint etiam per se, & immediate invicem uniri: eliminanda igitur sunt praedicta indivisibilia copulantia à compositione continui.

PROPOSITIO VIII.

Partes continui non uniuntur per solum contactum immediatum, cum quiete.

Est contra Cartesium, qui *Princip. Philosoph. part. I. num. 54. & part. 4. num. 127.* afferit corpora dura ideo talia esse, quod illorum particulae, mutuo juxta se positæ, omnino quiescant, nec quemadmodum in fluidis evenit, motibus à se mutuo diversis agitentur: ubi aperte constat eum afferere, in corporibus duris, non aliam esse inter partes unionem, præter earumdem conjunctionem, cum quiete: Cartesium sequuntur communiter Cartesiani, quibus non parum adhærere videtur P. Lanis *Magisterii Nat. & Art. tract. I. cap. 2. prop. 35.* Huic discurrendi modo nullatenus acquiescere possum, ideoque affero nullatenus id ad continuatatem sufficere.

Prob. i. Si contactus immediatus cum quiete sufficeret ad unionem partium in continuo, ubicumque praedictus contactus, & quies reperiretur, ibi similiter esset continuitas: sed hoc est falsum: ergo, &c. Min. prob. Sint enim duæ tabulæ exempli, gr. marmoreæ perfectè explanatae, quarum una alteri superponatur, certè hujusmodi tabulæ se se tangent immediate, & juxta se invicem quiescent: sed nulla est inter eas continuitas: ergo, &c. Poterit fortè respondere adversarius, praedictas tabulas numquam ita complanari, ut sibi mutuo tam perfectè cohærent, quin aliquid sive aeris, sive alterius materię subtilis inter ipsas intercipiatur. Sed contra i. quia si non Artifices nostri, saltim Angelus, aut Deus prædictam complanationem poterunt ita perficere, ut omnem aeris, aut alterius materię, etiam subtilissima, interceptio excludatur: ergo in hoc casu essent conti-

nuæ. Præterea licet tabulae prædictæ non ita perfectè complanatæ sint, neque secundum omnem earum superficiem se tangent, tangent tamen se in quibusdam partibus, quæ simul juxta se invicem quiescent: ergo saltim inter eas partes admittenda erit a Cartesio continuitas: quam tamen non adesse, inde patet, quod una tabula ab alia faciliter separetur; licet enim si una elevetur, aliquoties etiam sequatur, & alia ob metum vacui, ut aliqui dicunt, seu verius ob pressionem aëris, facillimè tamen se junguntur, si ita ducatur una, ut repat in alia. 2. Quia si in prædictis particulis, contactus, cum quiete ad continuitatem sufficeret, etiam lapis quilibet, imò & globus, supra mensam appositus, & quiescens, esset cum illa, non modo contiguus, sed continuus, quod à némine admittitur: non ergo prædicta sufficient ad continuatatem.

Probatur 2. Nam per solum contactum cum quiete explicari nequit cur ferrum exempl. gr. durius sit ligno, cur tenacius, curvè plus fractioni resistat, quam lignum: ergo continuitas non stat in illo contactu cum quiete. Anteced. probatur, nam neque immediatio contactus potest esse major, aut minor: neque quies suscipere potest magis, & minus: immediatio enim contactus consistit in negatione omnis medii: & quies in privatione omnis motus: & neque illa negatio, neque hæc privatio suscipere possunt magis, & minus: si ergo in his continuitas consistit, nequit explicari, cur ferrum durius sit ligno, plusque scissioni, & fractioni resistat: non ergo sufficient prædicta ad continuatatem constitutandam: sed ulterius requiritur ut partes continui se invicem irretiantur, ac aliquo modo completantur: hoc enim sublato, non continuum, sed acervum tantum efficient; nec plus divisioni resisterent, quam are-

na, quæ in acervum cumulatur. Et cum nihil à Cartesianis contra nostram conclusionem objiciatur, quod speciem difficultatis habeat, nihil aliud deficit, nisi ut nostram in hac re sententiam exponamus.

PROPOSITIO IX.

Unio partium continui phisicè consistit in earum texitura, & mutua complicatione, cum commissura insensibili.

Explicatur. Ut partes continui corporei dicantur unitæ, ita ut ex eis unum continuum consurgat, duo requiruntur. 1. Ut earum commissura sit insensibilis: illa enim quorum commissura sensibilis est, quantumvis invicem adferrumentur, aut glutine conjungantur, non continua, sed contigua esse dicuntur: ut patet in duobus lignis, annulis ferreis ita invicem adstrictis, ut divelli non possint. 2. Requiritur, ut partes continui invicem contexantur, mutuò capiantur, ac complicentur: quod quam optimè præstare possunt ob insignem figurarum varietatem, quam habent: sunt enim hamatæ, striatae, asperæ, læves, ramosæ, contortaæ, hispidæ, prominulaæ, excavatae, & aliis prope innumeris figuris variatae; quo facile est intelligere, alias aliis capi, constringi, irretiri, contexi, conclavari, ac complicari, in his autem duobus consistere dico unionem continuativam.

Probatur 1. Nam his solum positis, explicitur optimè præcipua, ac veluti characteristica continuatatis attributa, qualia sunt. 1. Commissura insensibilis, qua deficiente, duo corpora non unum continuum, sed diversa conjuncta, aut contigua dicuntur. 2. Concomitantia motus, qua nempè cum una pars ligni exempl. gr. movetur, sequitur & alia: si enim partes ligni compli-

catē sint, invicemque convoluta, ac fibrarum more intertexta, ac colligata, nequit una trahi, quin alia etiam pari motu trahantur: analogiam habes in rebus colligatis. 3. Resistentia, qua fractioni corpora continua resistunt; quæ enim intertexta, ac colligata sunt, sui divisioni resistere experimur: non enim frangi, aut dividī possunt, quin eo loci, ubi sit divisio, textura illa destruatur. 4. Optimè intelligitur in quo stet major illa resistentia, qua ferrum plus, quam lignum, sui fractioni, ac divisioni resistit, quo enim partes continua strictius invicem veluti hamulis capiuntur, aut aliae intra alias colearum more inseruntur, eo major vis requiritur, ut ab invicem separentur, ac divellantur, in quo nulla apparet difficultas.

Prob. 2. Nam experimento constat, pleraque corpora ex hamatis particulis, miro naturæ artificio, confertis coalescere. Si enim volucrum penna, adhibito præsertim microscopio, attentè examinentur, non sine oblectatione patebit, capillamenta illa, quæ hinc inde tubuli comam efficiunt, non aliter inter se uniri, quam per villiculos, qui ex utraque intermedie cujusdam glabellæ parte, hamulorum instar, se se capiunt, ac complectuntur, quo etiam fit, ut divulgioni non parum resistant; & si divellantur, statim ad pristinum complexum redeant. Hoc etiam alia experimenta testantur, lappa enim non aliter vestibus adhærescit, quam ope particularum, quæ hamatis capitolis sunt instructæ, quibus inter filamenta vestimentorum, aut lanuginis animalium irretitis, ita eisdem adhærent, ut non sine difficultate divelli possint.

Prob. 3. Paritate desumpta ex artefactis, quæ naturæ opera, licet non omnino pertingant, maximè saltim emuluntur, Ars itaque cum corpora invicem nectere,

ac

ac consociare conatur, ita ea secat, ac configurat, ut facile alia aliis inseruntur, & ita mutuò adhærescant, ut in ea dispositione multis annis, aut etiam saeculis perseverent; & non nisi maxima vi ab ea divellantur. Idcirco aliquas artefactorum partes, veluti hamulos disponit; alias striatim, & in cochleas contorquet: alias cuneatas, alias uncinatas instituit, eo solum fine, ut invicem facile capiantur, nec ab ea positione facile divellantur: quin ad id muneric modales illas uniones Aristotelicas requirat; aut Cartesiana quietis cum mero contactu debile subsidium exoptet: ut enim ait doctissimus P. Saguenus ubi suprà *affect.* 2. experimento concluditur plus ad validitatem funis conferre filorum complicationem, ac contorsionem, quem quidquid ex philosophicis illis commentis adduceretur: non igitur aliter partes continua copulantur, quam modo à nobis exposito.

Objicies 1. Si partes continua unirentur ope figurarum, quas præferunt, se se capiendo quasi hamulis, aut uncis recurvis, &c. sequerentur corpus continuum nulla vi posse disrumpi, aut divelli: sed hoc est contra experientiam; nam corpora etiam metallica, quæ eximiæ sunt duritici, assiduis tensionibus, abrasionibus, aut scissionibus quotidie excedunt, ac divelluntur: ergo, &c. Major prob. Nam si partes continua per hamulos, uncos, & similia unirentur, non possent ab invicem divelli, nisi per ruptionem illorum hamulorum: sed hamuli illi, unci, &c. rumpi nequeant, sunt enim juxta nostram sententiam puncta physica entitatibꝫ in divisibilia: ergo si ita se haberet unio continuativa, prout à nobis asseritur, nullum esset continuum, quod disrumpi, aut revelli posset.

Resp. negando sequelam majoris. Ad ejus probationem nego etiam majorem; satis enim est ad corporis

ris

ris continui divisionem faciendam, ut hamuli, seu uncii illi laxentur, seu flectantur ope tensionis; hoc enim positio, jam figuram ramosam, aut hispidam, aut recurvam, quam habebant, in rectam, aut ferè rectam com-mutant: unde jam non se ultra capiunt, ac stringunt; & consequenter fit eo loci divisio continui, absque fra-ctione aliqua, aut divisione alicujus puncti. Sed hæc amplius patebunt, cum de corporum tensione pertra-ctabimus.

Objicies 2. Si nostra hypothesis vera esset, possibilis esset catena, eaque supra nostram cogitationem subtillissima, & in longitudinem 20. exempl.gr. ulnarum producta, quam nec ipse Deus posset disrumpere, quod videtur absurdum. Sequela autem probatur: cum enim atomi, seu puncta physica diversimode sint figurata, certè plurima ex ipsis figuram annuli habere possunt: conficiat igitur Deus ex ipsis invicem insertis catenam: hæc certè à Deo disrumpi non poterit: non enim aliter potest frangi, nisi excludendo unum annulum ex alio: hæc autem exclusio fieri nequit, nisi aliquis annulus dividatur, aut rumpatur: sed hoc esse nequit; sunt enim in nostra hypothesis physicè, & entitative indivisibles: ergo catena illa tam exilis, neque à Deo dividi, aut frangi posset.

Resp. Posse à Deo catenam illam dividi , non quidem annulum aliquem frangendo , sed illud ex alterius complexu eximendo ope penetrationis cum illo , quæ divinitus in corporibus est possibilis. Alio verò modo nempe per fractionem annulorum, fateor non posse à Deo disrumpi : neque aliquod vel leve apparet absurdum in eo quod Deus non posset solvere illo modo catenam, cui indissolubilitatem liberè contulisset. Hæc autem de continuo corporeo dicta sufficient.

LIBER III.

DE CORPORE NATURALI QUATENUS EST IN
LOCO : UBI DE PLENO , ET VACUO.

REM esse in loco ita perspicuum est, ut nec indo-
etis lateat: quid verò sit locus, non ita facile
à doctissimis etiam Philosophis intelligitur, ut
Aristoteles ipse fatetur. In re itaque difficulti à faciliori-
bus incipere opòret: ideoque frquentes definitiones
præmitto.

DEFINITIONES.

- L**ocus est id ubi res esse dicitur. Sic quia nunc in cubiculo sum, dum hæc scribo, cubiculus est meus locus.
 - Locatum est id quod in loco esse dicitur. Sic ego nunc locatus in cubiculo dicor.
 - Ubi, seu Præsentia localis est correspondentia rei ad locum : seu id quo res formaliter dicitur esse in loco. Sic dum interrogamur , ubi res sit, respondemus assignando correspondentiam rei ad talem locum , seu asserendo esse præsentem tali loco.
 - Ubicatio, aut si ita loqui licet, locatio , seu collocatio , est determinatio rei ad locum . Seu id quo determinatur, ut potius sit in hoc loco , quam in alio : seu ut potius habeat hoc ubi , quam aliud : seu ut potius hic , quam alibi ubicetur : sed communiter pro eodem sumi video ubicatione, & ubi; sed ea oportere distingui inde patet, quod quemadmodum res producta existit for-

formaliter per existentiam, determinatur tamen ut existat per productionem: similiter locatum est formaliter in loco per ubi, seu localem presentiam; determinatur tamen ad illam per ubicationem. Sed hæc infra patetebunt.

CAPUT I.

De quidditate, & notione loci.

PROPOSITIO I.

Loci quidditas juxta Aristotelis mentem explicatur.

DISPUTAT de loco Aristoteles, & quidem latè, lib.4. Phys. à cap.1.ad 10. inclusivè, illum autem definit cap.7. & 8. dicens esse: *Primum superficiem corporis ambientis immobilem.* Explicatur hæc definitio. Dicit 1. Locum esse primam superficiem corporis continentis. Ad cuius intelligentiam supponendum est, locum continere locatum: cum enim corpus locatum in loco existat, certè à loco debet contineri; si enim à loco non contineretur, extra locum esset, & consequenter locus ille non esset illius corporis locus, nec tale corpus in illo esset. 2. Vult Aristoteles non corpus ambiens, seu continens esse corporis contenti locum; sed solum primam illius superficiem; illam nempè, quæ superficie convexæ corporis locati contigua est. *Exemplum.* Globus terraqueus undique ab aëre circumscribitur: ubi tria consideranda sunt, & aëris ipse, & ejusdem concava superficies; & globi terraquei superficies convexa, quæ superficie concavæ aëris contigua est: ait itaque Aristoteles, Telluris locum non esse aërem illam ambientem, & circumscibentem; neque

Tel-

Telluris convexam superficiem, sed concavam illam aëris superficiem Tellurem abientem.

Ratio autem est, quia si totus aëris, quod per plures leucas Tellurem undequaque ambit, esset proprius Telluris locus, certè ablata aëris parte, ita ut qui Tellurem ambit soluminòd digitali crastifem haberet, locus Telluris diversus esset, quod nemo dicet: non ergo totus aëris est proprius Telluris locus; sed tantùm illa ejus superficies, quæ superficiem Telluris immediatè contingit, totamque Tellurem ambit. Dixi non esse proprium Telluris locum, nam ut rectè notat S.Thomas in 4.Phys. leç.6. & 7. Totus aëris dicitur locus communis terræ: & totus fluvius locus communis navis: est enim aëris locus communis tum terræ, tum avium, nubium, &c. similiter & fluvius locus est tum navis, tum piscium, &c. non verò locus proprius; hic enim solum est superficies illa corporis ambiens immediatè locatum, ut diximus.

Addit præterea Aristoteles, prædictam superficiem corporis ambientis, quæ locum constituit, debere esse immobilem respectu corporis locati: certum enim est locum debere immobiliter se habere ad locatum. Cum enim corpus locatum quandoque quiescat, quandoque moveatur; nihil autem aliud sit quiescere, quam eundem retinere locum; moveri autem nihil sit aliud, quam de uno loco in alium migrate: necesse est ut quamdiu corpus locatum non movetur, tamdiu persistat in eodem loco; & quoties movetur, toties unum locum deserat, & aliud adquirat: sed si locus non esset immobilis respectu locati, posset corpus illud mutare locum absque ullo motu; posset enim locus à prædicto corpore recedere, aliasque locus subsequi, eique adesse: necesse igitur est locum immobiliter se habere ad locatum.

Hinc

Hinc maxima oritur difficultas circa prædictam loci explicationem ab Aristotele adlatam. Certum enim est, ut dixi, locum esse immobilem respectu corporis locati: sed superficies illa prima corporis ambientis sèpissimè non est immobilis respectu locati: ergo neutquam in ea consistit notio loci. Min. patet, nam navis exempli gr. quæ in medio fluminis ancoris firmata consistit, in loco est: sed superficies aquæ navis ambientis non est immobilis respectu navis: cum enim continuo flectatur, continuo mutatur: ergo in dicta superficie locus navis non consistit: aliter mutaretur continuo locus navis, immota navi, quod est absurdum.

Ob hanc rationem aliqui cum Gassendo *sect. 1. Physic. lib. 2. cap. 6.* definitionem hanc Aristotelicam loci omnino rejiciunt: sed immerito, potest enim, nihil obstante obiecta difficultate, loci immobilitas explicari. Aliqui quidem, ut eam tueantur, recurrunt ad spatia imaginaria; alii ad Dei immensitatem, de quibus postea. Ego vero eam expono cum S. Thoma loco nuperim citato. Dico itaque superficiem aquæ navis ambientis, non esse locum navis, quatenus est hæc superficies hujus aquæ sumptæ in ratione entis, seu quatenus est hujus aquæ, quæ fluit; sed (verba sunt S. Thomæ) *secundum ordinem, vel situm, quem habet ad totum fluvium, qui quidem ordo, vel situs idem remanet in aqua succedente; ideoque licet aqua materialiter præterfluat; tamen secundum quod habet rationem loci; prout scilicet consideratur in tali ordine, & situ ad totum fluvium, non movetur.* Illa ergo superficies ambientis corpus est ejusdem locus, quæ servat eundem situm, & ordinem distantiarum respectu fluminis, sive sit hujus, sive alterius aquæ; hæc enim aquæ circumstantis diversitas, perinde se habet ad rationem loci. Genera-

tim

tim itaque dicere, corpus esse in tali loco, nihil aliud est, quam dicere illud contineri in superficie prima corporis talis habentis determinatum situm, respectu alterius corporis, quod supponatur immobile, sive sit respectu terræ, sive cœli: in tali gradu longitudinis, & latitudinis, &c. Totum autem hoc in eo fundatur, quod ad questionem *ubi res sit*, respondet per ea, quæ illam ad talen situm determinant; id est, per corpus, quod proximè, & immediate locatum ambit, prout est, & cognoscitur esse in certo, ac stabili situ ad partes mundi determinatas, & quæ fixæ supponuntur: sic dicimus navem esse in medio fluminis: Pyrineos, in Hispaniæ, Galliæque confinibus, &c.

Ex dictis colligitur 1. Ultimam spharam, seu supremum cælum propriè non esse in hujusmodi loco Aristotelico, cum à nullo alio corpore ambiatur, quod expressè tenet Aristoteles ipse *4. Phys. cap. 9.* dicens: *Cælum autem, sicut dictum est, non est alicubi totum, neque ullo in loco est, si quidem nullum corpus ipsum continent.* Dixi propriè: nam in aliquo sensu esse in loco prædicto, docet S. Thomas, ut prop. 10. patebit.

Colligitur 2. Locum ab Aristotele expofitum, esse extrinsecum locato, ut ex ipsa definitione constat; est enim superficies corporis ambientis immediatè locatum, quæ locato extrinseca est. Præter hunc autem locum extrinsecum, dari etiam locum intrinsecum, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO II.

Omne quod est, alicubi est.

Hæc conclusio communiter ab omnibus admittitur, licet P. Oviedo cum paucis illam neget. Dico itaque nullam rem posse existere, & nullibi existere.

Probatur 1. Auctoritate; ait enim Arist. 4. Phys. cap. 1. tex. 1. *Etenim quæ sunt omnes existimant alicubi esse, quod verò non est, nusquam esse: ubi enim est Hircocervus, aut Sphinx?* Præterea S. August. epist. 5. ad Dard. ait: *Tolle spatia à corporibus, & nusquam erunt; quod si nusquam erunt, neque erunt.*

Prob. 2. ratione, quam adserit P. Arriaga: non potest res esse, & nonquam esse: ergo neque potest res esse, & nusquam esse: item nequit aliqua res esse, quin aliquando sit: ergo neque potest esse quin sit alicubi. Antecedens mihi verissimum appareat; probabitur autem lib. seq. Sed quoniam à simili res non demonstratur; & solent adversarii, aliquali disparitate adhibita, argumentum eludere, ideo alii est rationibus confirmanda conclusio.

Prob. 3. ratione Eminent. Cardinalis de Lugo: nam quando Deus aliquid producit, tollitur aliqua illius rei negatio: ergo ponitur alicubi. Probatur conseq. Nam si res illa produceretur ubique, tolleretur omnis ejus negatio: ergo extra ubique nulla potest concipi illius rei negatio: ergo si tollitur aliqua illius rei negatio, alicubi tollitur: sed negatio rei non aliter tollitur, quam per positionem rei: ergo res alicubi ponitur.

Prob. 4. Res illa, quam adversarius nullibi esse dicit, est præsens Deo: sed quod præsens est Deo est in aliquo loco: presentia quippe est relatio localis: igitur res illa est in aliquo loco. Confirmatur, nam quod est præsens Deo, est intra sphæram immensitatibus divinè: atqui quod est intra sphæram immensitatibus divinè, non est nullibi: illud enim nullibi est extra sphæram divinè immensitatibus: ergo quod præsens est Deo, non est nullibi: sed quælibet res, eo ipso quod sit, est præsens Deo: ergo eo ipso quod sit, non est nullibi: ergo est alicubi.

Pro-

Prob. 5. Supponatur, si possibile sit, ut adversarii tuerintur, corpus aliquod, quod nullibi sit; certè hoc corpus posset à Deo moveri; nec enim haberet infinitam resistentiam: si autem moveretur, transferretur à loco in locum; hoc est enim, & non aliud, localiter moveri: ergo corpus illud esset in loco.

Prob. 6. Creet Deus perticam sex pedes longam nullibi: certè hujusmodi pertica haberet duo extrema A, & B sex pedibus distantia: ergo utrumque extremum esset in loco; quæ enim distant, in diversis sunt locis: idem dico de aliis punctis, aut partibus: ergo omnes pertice partes sunt in loco: ergo & tota pertica est in loco. Quidquid ergo est, alicubi esse necesse est.

Obijcies: Ubicatio est modus ab entitate rei ubicata distinctus: ergo potest res ubicata sua ubicatione à Deo spoliari: ergo potest esse sine aliquo ubi; ergo & nullibi. Resp. concessio antecedente, distinguens consequens, potest res omni ubicatione spoliari, nego: hac vel illa in particulari, concedo: & nego consequentiam. Quemadmodum enim licet actio in probabilissima sententia distinguatur modaliter à termino, non potest tamen terminus esse sine hac, aut illa actione disjunctivè; ita similiter neque potest res esse sine hac, aut illa ubicatione disjunctivè. Neque in hoc est aliqua difficultas.

PROPOSITIO III.

Potest aliquid existere; & non existere in loco Aristotelico, seu extrinseco.

Probatur: nam locus Aristotelicus, seu extrinsecus (1.) est superficies corporis ambientis primò, id est, immediate continentis locatum: ergo ut aliquid sit

in

206 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
in loco extrinseco, necesse est ut continetur, & ambiatur ab aliquo corpore: sed aliqua esse possunt, immo & sunt, quæ à nullo corpore ambiuntur: ergo aliqua esse possunt, quæ non sunt in loco extrinseco. Min. probatur, nam ultima, ac suprema Mundi sphæra, teste ipso Aristotele, propriè, & per se non est in loco, extrinseco scilicet, de quo est illi fermo. Tum etiam Deus non est in aliquo loco extrinseco: ipse enim cuncta continet, & à nullo potest contineri, & ambi: immo nec Angelus est propriè in prædicto loco Aristotelico, & extrinseco: nec Christus in Eucharistia circumscrimitur præfato loco. Multa ergo existunt, quæ non existunt in loco extrinseco ab Aristotele adducto. Alias rationes omitto, de quibus postea: nunc enim prædictæ sufficiunt ad Theorematis veritatem ostendendam.

PROPOSITIO IV.

Hinc datur alius locus præter Aristotelicum, seu extrinsecum.

Patet: nam (2.) omne quod est, alicubi, seu in aliquo loco est: sed (3.) aliqua sunt, quæ in loco extrinseco non sunt: ergo in alio loco sunt ab extrinseco diversum: datur ergo alius locus, qui extrinsecus non est: voco *locum intrinsecum*.

PROPOSITIO V.

Nostra circa locum rei intrinsecum idea, licet imperfeta explicantur.

Oncipimus communiter locum corporis esse spatiū illud, quod ab ipso occupatur: unde nomine loci communiter non superficiem illam primam corporis ambientis locatum intelligimus; sed potius spatiū, quod à prædicta superficie continetur, & clauditur,

LIBER III. CAPUT I. 207
ditur, hoc locum esse corporis existimamus: cumque spatiū istud jam uno, jam alio corpore occupetur, prædictū spatiū immobile esse asserimus. Quoniam verò dum spatiū istud, præciso omni corpore, concipiimus, nihil in eo reale agnoscimus, idcirco illud idem spatiū vacuum esse, & inane imaginamur: & tandem quia intrinsecus corpori adhæret, eidemque juxta trinam dimensionem veluti penetratur, idcirco locus corporis *intrinsecus* dicitur, ad distinctionem illius loci Aristotelici, qui superficie tenus, & extrinsecus corpus circumscrabit, & ambit.

Juxta hanc autem loci ideam, duplex distingui solet spatiū, aliud *reale*, & est illud, quod realiter in hoc mundo est, quodque realiter à corporibus occupatur, licet præciso corpore, inane sit, & vacuum. Aliud verò spatiū dicitur *imaginarium*, quod nempè extra celos imaginamur in infinitum diffusum, in quo potest Deus novos mundos in infinitum creare; cum verò de facto nulla corpora in eo existant, non reale, sed imaginarium appellatur. Unde juxta hunc concipiendi modum, locus intrinsecus corporum est spatiū illud ex se inane, quod adventu corporis occupatur. In hac autem explicatione, licet primo intuitu videatur intellectus acquiescere; si tamen attentiū, ut Philosopho decet, introspectiatur, vacua omnino, & inanis statim apparebit: ideoque eam rejicit Aristoteles 4. Phys. tex. 37. & merito quidem, si nihil eidem addatur. Ideoque sit.

PROPOSITIO VI.

Locus intrinsecus non est spatiū aliquod reale, à corpore locato distinctum, & ab ipso occupatum.

Hæc positio est Aristotelis loco citata; sed ratio-

nēs,

208 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
nes, quas ad eam stabilidam adducit, parum roboris habere videntur, ideoque ipsis omis. Probatur; nam vel prædictum spatum, quod corporis est intrinsecus locus, est quid possitivum, vel quid negativum: sed neutrum: ergo, &c. Quod non sit quid positivum, probatur, nam si tale sit, erit corpus; est enim triplex dimensum: ergo corpus erit in corpore: & consequenter penetrabitur cum illo. Scio aliquos ex antiquioribus dixisse, spatum esse ens reale penetrabile cum omnibus corporibus, & undique diffusum; verum hoc iniungibile est, & ab omnibus exploditur. Præterea si prædictum spatum est quid reale positivum, certè à Deo creatum est; nulla est enim entitas increata positiva, nisi Deus: sed prædictum spatum creatum non est: ergo, &c. Min. prob. nam hoc spatum etiam esset extra celos extensum: sed Deus præter ea, quæ in mundo continentur, nihil creavit: ergo tale spatum à Deo creatum non fuit. Deinde si hoc spatum creatum est, certè in tempore creatum est: quero itaque ubi nunc est hoc spatum, quid nam erat: certè erat aliqua capacitas hujus spatii: hec autem capacitas etiam esset spatum; ergo ante spatum daretur spatum; essetque spatum spatii, quod est absurdum: idem enim argumentum de spatio spatii in infinitum deducere: non ergo spatum, in quo corpus locatum est, seu locati concipitur, est quid positivum.

Præterea neque est quid negativum: nam 1. ut in Metaphysica probatum est, negationes nullum habent esse reale, sed tantum obiectivum. 2. Si hoc spatum negatio aliqua est, quid negat? Si assertas negare corpus, quod ibi potest poni. Contra, nam inde aperte sequitur, rem poni in negatione sui: si enim locus negatio locati est, certè cum corpus in eo ponitur, ponitur

in

LIBER III. CAPUT I. 209
in negatione sui: quod quam sit ridiculum, tu videris; re enim adveniente, perit ejusdem rei negatio: ergo posito corpore in loco, periret locus. Neque valet dicere spatum illud non esse negationem; sed privationem corporis: nam idem adversus privationem militat argumentum. Præterea omnis privatio est in subiecto capaci: quodnam ergo erit hoc subiectum, in quo sit prefata corporis privatio? certè tale subiectum, quid esset reale positivum; & dum adversarius ab hac parte dilematis fugam sibi parat, in primam recedit: nullum itaque est spatum reale, sive positivum, sive negativum à corpore locato distinctum, quod ipsius locus intrinsecus esse possit.

Hinc sit nulla dari spatia realia in mundo; præter ipsa corpora in eo existentia: hoc est, intra mundum nulla dantur alia spatia realia, præter corpora ipsa, intra supremi celi sphæram producta; quæ quidem cum extensis sint, recte spatia possunt appellari.

Similiter colligitur, extra mundum nulla dari spatia imaginaria infinitè diffusa, quæ omnia rationibus prædictis planè convincuntur. Nulla autem extra mundum dari spatia; nec ante mundi constitutionem, ullum fuisse locum, aut spatum, non solum reale, verum nec quod vacuum possit appellari, tenet S.Thomas 1. part. quest. 46. art. 1. ad 4. dicens: *Ad rationem vacui non sufficit, in quo nihil sit; sed requiritur quod sit spatum capax corporis, in quo non sit corpus, ut patet per Aristot. in 4. Phys. tex. 60.* Nos autem dicimus non fuisse locum, aut spatum ante mundum. Opinionem autem Cartesij de mundi indefinita extensione, alibi impugnabimus.

PROPOSITIO VII. *Locus intrinsecus non est sola entitas corporis locati.*

Probatur 1. Nam res, etiam quae non sunt in loco extrinseco, cum moventur, mutant locum: sed non mutant entitatem, ut est certum: ergo locus intrinsecus non est idem cum entitate sola locati: quod locum mutant, cum moventur, est certum: locus enim semper supponitur immobilis. Probatur 2. Nam res potest esse hic; & non esse hic: ergo potest esse sine hoc loco, etiam intrinseco: sed esse non potest sine sua entitate: ergo haec distincta est à loco intrinseco. Probatur 3. Res est indifferens ad hunc, vel illum locum: sed non est indifferens ad suam entitatem: ergo locus intrinsecus quid distinctum est à sola entitate locati. Dixi locum intrinsecum non esse solam entitatem corporis locati; nam an ipsa entitas cum aliquo superaddito esse possit locus intrinsecus, statim aperiam.

PROPOSITIO VIII. *Locus intrinsecus corporum explicatur: quidve sit corpus esse in loco intrinseco.*

Non aliter melius locum intrinsecum explicari arbitramur, quam consequenter ad ea, quæ in expositione loci extrinseci juxta Aristotelis, & S. Thomæ mentem adduximus prop. 1. hujus libri. Diximus itaque locum extrinsecum esse superficiem illam corporis ambientis, quidquid tandem istud sit, quæ eundem servat situm, & ordinem distantiarum, respectivè ad partes fixas, & determinatas mundi: corpusque esse in tali loco intrinseco, nihil aliud esse, præterquam contineri in superficie illa cuiusvis corporis ambientis, quod ad pre-

fatas mundi partes talem habeat situm, & distantiarum ordinem. Similiter itaque dico, locum intrinsecum nihil aliud esse, quam corpus, quodecumque illud sit, indifferenter acceptum, prout talem habet situm, & ordinem distantiarum ad puncta, seu partes mundi fixas, si intra mundum sit; aut ad partes, seu corpora possibilia, si extra mundum concipiatur, modo quo postea explicabitur. Corpusque esse in loco intrinseco, nihil aliud esse, quam hoc corpus determinatum, taliter esse extensum, taliterque distans, hac scilicet, aut illa distantia, à predictis partibus stabilibus mundi, si intra mundum sit; vel à possibilibus, si extra illum concipiatur. Quoniam verò id quod diximus de loco intrinseco corporis extramundani, specialem habet difficultatem, idcirco specialem etiam exposcit explicationem, quam dabimus post expositionem loci intrinseci intramundani.

PROPOSITIO IX.

Locus intrinsecus corporum intramundanus est quodcumque corpus, sive hoc, sive illud, disjunctivè, cum tali situ, ac distantiarum ordine ad stabiles mundi plasgas; corpus verò intrinsecè locatum, est illud determinatum corpus cum predicto situ, ac distantiarum ordine.

Probatur, nam locus intrinsecus est spatium immobile à corpore locato occupatum, in quo modò hoc corpus esse posuit, modò aliud: & ratione cuius corpus locatum dicitur esse hic potius quam alibi: sed totum hoc convenit loco intrinseco, modo quo à nobis accipitur, & exponitur: recta igitur est nostra explicatio. Major est certa, min. probatur. Nam primò locus intrinsecus est spatium; quolibet enim corpus extensem, spatium est, nec aliud est excogitabile spatium, ut

diximus. 2. Est immobile; licet enim hoc corpus determinatum mobile sit; cum tamen corpus non sit locus intrinsecus, quatenus hoc corpus est, & acceptum, ut ajunt, in ratione talis entis; sed solum quatenus talem habet situm, talemque distantiarum ordinem ad mundi plagas, certè immobile est, cum statim ac hunc ordinem mutat, jam non corpus illud, sed aliud subintrans, locum illum constitutus, ut patet à pari ex his, quæ de superficie, locum extrinsecum constitutive, dictum est prop. 1. Undè licet corpus mutetur, & moveatur, aliudque in eo situ constitutus, non mutatur locus, cum hoc, quod noviter subingreditur, ut potè eundem situm, & ordinem habens, eundem locum constitutus; non enim constituitur ab hoc, vel illo corpore, sed à quocumque, quod situm illum, & ordinem servet: rectè igitur immobilitas loci in nostra sententia explicatur. 3. Dicitur corpus aliquod esse in tali loco intrinseco determinato, seu esse potius hic, quam alibi, quia hunc determinatum situm, & ordinem distantiarum habet ad stabiles mundi plagas.

Sed dices, qui distinguetur juxta hunc nostrum explicandi modum, locatum à loco intrinseco. Resp. locatum esse hoc corpus determinatum, dum illud servat situm, & ordinem, quem potest amittere, aliumque adquirere; locum verò non esse corpus determinatum, sed quodlibet disjunctivè, sive hoc, sive illud, in illo tamen situ, ordineque constitutum ad fixas mundi plagas, seu quæ fixæ supponuntur, quod ni fallor, facilissime concipi potest.

Sed dices iterum, essentiæ consistunt in indivisiibili, ita ut aliqua parte essentiali mutata, altera licet remanente, mutetur essentia: sed corpus est pars constitutiva loci intrinseci, ut constat ex dictis: ergo mutato

cor-

corpore, mutatur locus intrinsecus, licet in eo, quod subtilitetur, idem remaneat situs, & distantiarum ordo. Resp. concessa majori, distinguens minorem: corpus est pars constitutiva loci intrinseci; corpus, inquam, determinatum, tale, aut in ratione talis entis, nego: corpus hoc, aut illud disjunctivè acceptum, & prout habet situm, & ordinem prædictum, concedo, & nego consequiam. Quod patet ex his, quæ diximus de loco extrinseco, qui nullatenus mutatur, licet superficies illa corporis ambientis mutetur; non enim hæc determinata, sed quævis eundem habens situm, locum extrinsecum essentialiter constituit.

PROPOSITIO X.

Idem locus intrinsecus explicatur in vacuo, casu quo corpus aliquod in ipso esset constitutum; tum etiam in spatiis, que extra mundum imaginamur.

Destruat enim Deus totum aëra, intra hujus aulae parietes inclusum, atque alterius cuiusvis corporis ingressum prohibeat, meque intra illud cubiculum conservet: certè à circumstantibus parietibus eodem modo disto, eundemque situm, tum respectu eorum, tum respectu plagarum mundi retineo, quem ante vacuum inductum, possidebam: ergo eundem locum intrinsecum teneo in prædicto vacuo, quem antea habebam in pleno. Ubi vides, me tunc forè in loco intrinseco; non verò extrinseco, cum nullius corporis superficies me circumdet, ac contineat.

Sit jam corpus aliquod à Deo positum extra mundum: certè potest à Deo constitui in majori, aut minori à mundo distantia, modo scilicet à nobis postea exponendo: ergo corpus illud cum illa determinata di-

distantia à mundo, quem immobilem supponimus, erit in loco intrinseco : & si à Deo poneretur in alio situ, aut distantia à mundo, eo præcisè corpus illud esset in diverso loco intrinseco : & si aliud corpus B constitueretur à Deo in illa prima distantia, quam primum corpus A reliquit, diceretur ingredi in locum illius. Similiter mundus respectu corporis in tali ab eo distantia positi, esset in loco intrinseco, quia respectu illius talem haberet distantiam, & situm, quam quodvis aliud corpus haberet, si remoto mundo, in eodem situ, & distantia constitueretur.

Sed quid dicendum de ultima sphera prout nunc est; nunc enim nullum est corpus extra caelos, respectu cuius, ejusdem locus intrinsecus possit designari : unde videtur dicendum, non esse in aliquo loco intrinseco; cumque neque in loco extrinseco propriè sit, ut cum Aristotele diximus prop. i. in nullo loco erit; & consequenter nullibi. Respondeo tamen i. Supremam spharam, licet propriè non sit in loco extrinseco; in aliquo tamen sensu in illo est juxta S. Thomam; in 4. enim *Phys. lect. 7.* approbat opinionem Themistii, qui dixit ultimam spharam esse in loco per suas partes; cum enim omnes ejus partes sint in loco; est enim una extra locum alterius; certè tota sphera rectè dici potest esse in loco, ratione suarum partium: quod inde confirmatur, nam si ponatur prædictam spharam circulariter moveri, omnes ejus partes mutant locum, dum una in alterius locum ingreditur, licet tota sphera in eodem loco totali moveri dicatur: sunt ergo omnes illius partes in loco: ergo & tota sphera, sicut ratione suarum partium, est in loco extrinseco: videatur S. Thomas loco citato.

Respondeo 2. Supremam spharam, & consequenter

totum mundum esse in loco intrinseco; licet enim nullum sit actu corpus extra mundum, respectu cuius taliter actu situm, talemque distantiam habere dicatur; est tamen possibile ponи prædictum corpus, atque ita ubicari, ut respectu illius mundus, prout nunc est, taliter esset tunc situatus, talique distantia ab eo remotus: quod sufficit, ut etiam nunc esse dicatur in loco intrinseco. Verum hæc, quæ aliquam difficultatem continere videntur, ex statim dicendis amplius patebunt.

PROPOSITIO XI.

Hinc rectè colligitur quid sit ubi, seu praesentia localis.

EX dictis colligi satis potest, quid sit ubi, & praesentia localis. Generaliter enim si loqui velimus, est id quo res formaliter dicitur esse hic, seu tali loco præsens: est enim id, quo respondetur ad interrogatum *ubi sit res*: cui tunc rectè respondetur, cum ratio, seu causa formalis assignatur, qua res in tali loco est constituta, eique præsens. Quemadmodum itaque, ut dictum est, duplex datur locus, extrinsecus nempe, & intrinsecus, duplex etiam ubi assignandum est; unum extrinsecum, aliud intrinsecum. Ubi extrinsecum est ipsa correspondencia rei ad suum locum extrinsecum: esse nempe intra ambientis illam superficiem, quæ ad mundi plagas immobiles, talem ordinem, situmque conservat. Ubi verò intrinsecum consistit in eo, quod corpus, ejusdemque extensio, talem determinat situm, & ordinem habeat ad prædictas mundi plagas; præcipue si corpus prædictum intra mundum sit; si enim interrogetur, ubinam sit navis, rectè respondetur esse exemplum. in media distantia Majoricam inter, & Valentiam; in quadragesimo gradu latitudinis; & in vegeſimo pri-

mo circiter longitudinis : en locum intrinsecum : tum etiam dicetur, cœlē in ea maris parte, qua prædictas similiiter ab eisdem punctis distantias servat : en locum extrinsecum.

Si verò quæstio fiat de loco primæ sphæræ, respondebitur rectè, si dicatur esse in majori à centro universi orbis distantia, hicque est ejus locus intrinsecus ; extrinsecum verò propriè nullum habere, ut jam sèpius diximus. Si verò de mundo quæratur ubinam sit, non aliter respondere possumus, quam esse in tali loco intrinseco, quem nos designare non possumus ; sed solus Deus, qui cum possibilia cuncta cognoscat, corpora illa determinare valet, qua si ponerentur, mundus taliter, ac tanta distantia ab eis esset dissitus, talemque situm respectu eorumdem haberet.

Hinc apertè colligitur *ubi* esse tantum quid respectivum; est enim corporis locati situs, & ordo ad præfatas mundi plagas, ratione quarum rectè concipitur esse hac ambientis superficie comprehensum ; talique spatio commensuratum : frustraque aliquod accidens positivum adderetur, sive entitativum, sive modale, ut corpus in loco positum, seu ubicatum dicatur, cum ad id solùm prædicta sufficiant. Dices tamen non fore prædictum accidens frustra, imò necessarium esse, ut corpus sub illo potius situ, & distantiarum ordine, quam sub alio constitutatur : ceterum hanc determinationem à sola actione, sive productiva, sive conservativa corporis, eidem provenire, convincere conabor propositiōibus sequentibus.

PROPOSITIO XII.

Corpus determinatur ad tale ubi per ubicacionem.

Ratio

Ratio est, quia ubicatio est determinatio rei ad locum, (def.4.) seu id quo determinatur, ut potius in hoc ubi sit, quam in alio, seu ut potius huic loco correspondat, quam alteri : determinatur igitur ad tale ubi, per ubicationem : quemadmodum enim res creata exiit formaliter per existentiam, determinatur tamen ut existat, seu ad existentiam, per productionem : ita res est in loco per *ubi*; determinatur tamen ad ubi, per ubicationem, in quo nulla est difficultas.

PROPOSITIO XIII.

Ubicatio est ipsa actio rei ubicate productiva.

Probatur 1. Nam (def.4.) ubicatio est determinatio rei, ut sit in tali loco : sed res per eandem actionem, per quam fit, determinatur ut sit in tali loco : ergo, &c. Min. probatur, nam (2.) res nequit esse, & nullibi esse : ergo nequit determinari ad esse, quin determinetur ad alicubi esse : ergo per illud idem, per quod determinatur ad esse, determinatur ad alicubi esse; sunt enim omnino inseparabilia : sed determinatur ad esse per actionem : ergo & determinatur ad alicubi esse per eandem actionem : & consequenter ipsa actio rei productiva est illius determinatio ad locum, seu ubicatio.

Probatur 2. Nequit causa agere, quin alicubi agat: (2.) ergo agere, & alicubi agere sunt prorsus inseparabilia; & consequenter nullo fundamento distinguenteruntur : ergo per id alicubi agit, per quod agit : sed agit per actionem : ergo per eandem actionem alicubi agit: sed effectus per id agitur, seu producitur, per quod causa agit, nempe per actionem : ergo effectus producitur alicubi per actionem : ergo per eandem actionem per quam producitur, ponitur alicubi.

Pro-

Probatur 3. Causa ut agat, debet esse determinata ad agendum hoc, hic, nunc, &c. Neque enim potest esse determinata ad agendum hoc, nisi etiam sit determinata ad agendum hic, nunc, &c. aliter enim adhuc illa maneret indeterminata : causam enim esse determinatam consistit in indivisibili : ergo cum actio sit actualis determinatio causae ad agendum hoc, certe actio erit ejusdem causae determinatio ad illud agendum hic, nunc, &c. si enim vel unum istorum deesset, determinata non esset : actio igitur est determinatio causae ad hunc effectum producendum ; tum ad hunc locum, seu ubi; tum ad hoc tempus, seu nunc : ipsa igitur actio rei productiva est ejusdem ubicatio.

Omnia ferè, quæ contra nostram assertionem objici solent, contra illos tantum militant, qui actionem rei productivam, ejusdem esse ubi, seu id quo res formaliter est in loco, defendunt ; quive, ut initio dixi, ubi, & ubicationem omnino pro eodem usurpant : mihi vero, ut ad definitionem 4. adnotavi, satius vissum est, ea distinguere : assero enim cum P. Calimiro Tolosate *Phys. part. 1. disp. 3. art. 1. quest. 2.* Hunc terminum *ubicatio* dupliciter posse sumi, nempe vel activè, vel passivè : ubicatio activè sumpta, est id quo res efficienter, & activè determinatur ut sit in tali loco, & hanc absolute *ubicationem* appello, asseroque esse ipsam actionem productivam : per hanc enim efficienter, & activè determinatur res, ut sit, tum & ut sit hic potius, quam alibi. Ubicatio vero passivè sumpta, est id quo res formaliter, & passivè est in tali loco ; & hanc non ubicationem appollo; sed *ubi*, quod in prop. præced. consisterre dixi in correspondentia rei ad locum, sive intrinsecum, sive extrinsecum ; quodque formaliter non est ipsa actio productiva rei; sed potius terminus illius actionis,

qua-

LIBER III. CAPUT I. 219
quatenus est ubicatio. Hoc autem adnotato satis perspicua fit nostra assertio, & ab iis, quæ objici possunt, nullo negotio liberatur.

COROLLARIA.

1. **H**inc tria saltim munera continent actio rei aliquæ cuius productiva, tum respectu cause, tum respectu effectus : respectu cause sunt, determinare causam ad agendum hoc : determinare illam ad agendum hic : determinare illam ad agendum nunc : respectu autem effectus sunt, determinare rem ut sit : determinare illam ut sit hic ; determinare illam ut sit nunc : ratione primi munera dicitur actio : ratione secundi dicitur ubicatio : ratione tertii dicitur nunc, seu instans. Quæ tria munera in eadem actione existentia, formaliter solum, seu logicè distinguuntur. De tertio autem munere agemus libro sequenti.

2. Quotiescumque aliquod istorum mutatur, mutatur actio : nempe si sit eadem causa, & diversus effectus, vel idem effectus, at diversa causa : vel utrumque idem, at diversus locus : vel tria eadem, at diversa duratio, aut tempus : in quolibet ex his casibus est diversa actio. Hinc mutatur actio quoties mutatur locus : tum & quoties diversum est instans, duratio, seu tempus, ut suo loco patebit.

3. Hinc etiam sit, ubicationem esse immobilem, id est, huic loco, & huic ubi essentialiter affixam : si enim ita non esset, certe locum mutaret : si autem locum mutaret, indifferens esset ad hunc locum, vel illum : ergo indigeret alia ubicazione, alia nempe actione, ut ad hunc locum pre illo determinaretur : sed hoc dici non potest : tum quia actionis non datur actio, ut ex his, quæ de actione in Metaphysica diximus, constat :

tum

tum quia daretur processus in infinitum: ergo ubiq*ue* immobilis est, & ita huic loco affixa, ut in alio esse non possit. Hinc ubicatio*n*, per quam aliquid ponitur hic, est essentialiter hic, seu in hoc loco; id est, esse non potest, quin sit in hoc loco: hinc quilibet ubicatio*n* non potest rem ali*b*, nisi in hoc determinato loco constitui*r*. Hinc licet duo corpora, quatenus tales habent ubicatio*n*es A, & B, distent inter se 10. palmis; hoc tam*en* prae*d*icatum inest dictis corporibus accidentaliter, cum possint inter se, vel plus, vel minus distare; at ver*o* ubicatio*n*es prae*d*ict*e* A, & B, non possunt esse, nisi cum tali distantia, ob rationem dictam.

4. Hinc per eandem actionem nequit idem corpus produci hic, & alibi: nam eadem illa actio, seu ubicatio*n* posset esse hic, & alibi, quod, ut dixi, est impossibile, cum huic loco sit essentialiter affixa, quatenus nemp*er* est determinatio rei ad hunc locum.

5. Hinc Ubicatio*n* est modus, est enim ipsa actio productiva, qua*m*odus est, ut ex alibi dictis constat.

PROPOSITIO XIV.

Hinc explicatur distantia corporum, tum in pleno, tum in vacuo, & in spatiis ultramundanis.

Corporum distantia dupliciter considerari potest; vel in pleno, vel in vacuo: vacuum autem possibile esse nunc suppono, postmodum probatur. Et quidem corpora in pleno constituta inter se distare, sensibus ipsis satis percipitur: nec difficilius eorumdem distantia concipi*re*, cum inter ipsa aliud corpus sit extensum, quod spatiu*m* est reale. Qualiter ver*o* corpora in vacuo constituta, possint inter se distare, non ita facile intelligitur, cum reale nihil inter ipsa sit intercep*tu*m:

ptum: ut autem id facili*s* percipi possit, attentius inquire oportet, in quo distantia essentialiter constat, quod sequentibus assertionibus expono.

Affero i. Distantiam corporum in eo essentialiter consistere, quod inter ipsa, etiam immota, spatiu*m* reale intercip*re* possit: ita ut ea magis inter se distent, inter qu*e* maius spatiu*m* reale possit intercip*re*: cumque spatiu*m* reale non sit quid distinctum ab ipsis corporibus extensis, distantia inter duo corpora consistet in eo, quod inter ipsa immota, possint tanta, aut tanta corpora collocari. In pleno quidem inter corpora, qu*a*e distant, spatiu*m* illud reale actualiter intercip*re*itur; in vacuo vero non actu, & realiter intercip*re*itur; sed intercip*re* potest. Addidi inter corpora etiam immota: nam certum est, inter corpora invicem conjuncta, aut contigua, etiam posse a Deo constitui spatiu*m* reale; sed non prefatis corporibus immotis, seu in eisdem locis remanentibus: sed potius ipsa removendo, aut saltim per reproductionem eadem constituendo in diversis locis separatis. Hoc autem probatur, nam si corpora ita sint ubicata*n*, ac in suis locis constituta, ut absque eorumdem remotione, possint inter ipsa pon*re* corpora, seu spatia realia, certe distant inter se: si enim non distarent, nullatenus corpora realiter extensa inter ipsa possent constitui; verum aut in eisdem locis cum eis collocarentur, aut certe ipsa separari oporteret, ut nova corpora inter ipsa intercip*re* possent: quod, ni fallor, est factis apertum.

Sed confirmatur. Distent in pleno duo corpora, ita ut aeris tractus inter ipsa per exapedam intercip*re*atur: defractus insuper Deus totum illum aerem, ipsis corporibus immotis, certe eodem modo distabunt ac antea, idque non ob alien rationem, nisi quia Deus inter ip-

sa, etiam in eodem statu immobilitatis persistentia, eundem aërem, aut aliud ejusdem dimensionis, & molis, reponere potest: ergo distantia non in corpore, seu spatio reali actuali interjecto essentialiter consistit, sed in spatio prædicto possibili: hocque sufficit, ut corpora realiter inter se distare dicantur.

Affero 2. Totum hoc habere corpora prædicta ab actionibus eorumdem productivis, quatenus ipsorum sunt ubicationes. Ut enim dixi prop. præced. actiones illæ, ita sunt peculiaribus locis affixa, ut actio, quæ rem in hoc determinato loco constituit, in alio ipsum constituere non posset: cumque locus, sive extrinsecus sit, sive intrinsecus, essentialiter dicat determinatum distantiarum ordinem, reique locata situm, respectu alterius immobilis, seu quod immobile supponitur; certè qualibet actio, seu corporis ubicatio, eidem tribuit hanc determinatam distantiam ab illo alio corpore: distantiae itaque, quibus corpora inter se distant, non aliunde quam ab actionibus eorumdem productivis, seu eadem ubicantibus hauriuntur: ab his enim eas hauriunt, à quibus habent, ut sint in dictis locis taliter distantibus: sed sunt in prædictis locis ope actionum productivarum: ergo ab eisdem actionibus peculiares illæ distantiae hauriuntur. Hinc obiter aliqua explicari posunt.

Producat Deus, ut potest, extra mundum aliquod corpus uno milliari ab eo distans: hoc itaque ideò à mundo unico milliari distabit, quia mundum inter, & ipsum, etiam immota, spatium reale constitui potest: hoc autem ideò haberet corpus illud, quia per talem actionem producitur, quæ essentialis est determinatio illius ad prædictam constitutionem, & quæ non alibi eum producere potest: si verò corpus illud remotius

sta-

statueretur, id per aliam actionem diversam adipisceretur: aut certè mundus per alias actiones, ab eis quibus nunc conservatur, à prædicto corpore removendus esset, si hoc immotum persistere velimus. Hinc jam, ni fallor, apparet, qualiter etiam in vacuo motus localis esse posse: sed hoc melius pertractabitur, cum de motu locali erit nobis sermo.

PROPOSITIO XV.

Hinc determinatur, quid videatur sentiendum de spatiis ultramundanis.

EX dictis colligitur, nulla extra mundum dari spatia realia: ut enim diximus prop. 6. nulla sunt spatia realia præter corpora ipsa existentia: sed extra mundum nulla sunt corpora existentia: ergo extra mundum nulla sunt spatia realia. Præterea; si extra mundum esset aliquod spatium reale, certè esset infinitè diffusum; aliter enim idem, quod nunc inquirimus de spatiis ultramundanis, inquireremus de spatiis ultra illa spatia realia existentibus: si ergo spatia ultramundana sint infinitè diffusa, si realia sint, actuque existentia, dabitur infinitum in actu, quod communiter non admittitur.

Tandem; si illa spatia sunt realia, vel sunt creata, vel increata: hoc secundum dici nequit; nihil enim extra Deum assignabile est, quod creatum non sit, & ab eo dependens: ergo spatia illa essent creata, & ad mundum, ut ejusdem partes, pertinerent: cumque sint infinitè diffusa, mundus esset actu infinitus, aut saltim indefinitus, ut velut Cartesius, quod communiter rejicitur, & à nobis in tractatu de mundo impugnabitur: nulla ergo sunt spatia ultramundana realia, & actu existentia.

Qua-

Quapropter quemadmodum antequam Deus mundum crearet, nullum erat spatium reale, ubi nunc mundus existit, ut cum S. Thoma diximus prop. 6. sed solus erat Deus in se ipso essentialiter existens : ita extra mundum nullum est spatium reale. Dices, non esse quidem spatium reale positivum, sed reale negativum; sed hoc, ut recte ait P. Honor. Fabri, implicat in adjecto; illud enim negativum omnem realitatem negat. Dices iterum, spatio illa esse solùm imaginaria : recte quidem; sed hoc nihil aliud convincit, præterquam esse in nobis imaginationem spatiorum, quæ certè nihil ponit in re. Verum quidem est, nos dum extra mundum nostram cognitionem extendimus, spatio quædam extramundana imaginari: non enim quicquam cogitare extra mundum valemus, nisi quid extensem, trinèque dimensum, speciem desumentes à corporibus extensis, nostris sensibus obviis; sed hanc imaginationem seria reflexione castigemus oportet, ita ut afferamus nihil extra mundum esse, quod taliter se habeat prout à nobis imaginatur.

Id tamen certum est, esse extra mundum possibilia, sicut syncategorematice infinita spatia; possunt enim à Deo infinita corpora extra ipsum produci, quæ spatia realia essent, & extensa, licet actū nihil sint: & hoc, nihilque aliud, intelligi volumus nomine spatiū ultramundani. Hinc colligi potest, qualiter Deus sit in spatiis ultramundiis, quæ imaginaria appellantur. Non enim Deus coexistit illis spatiis: coexistentia enim importat duorum existentiam; illa autem spatio, ut dixi, nullam habent realem existentiam. Neque existit in illis propriè loquendo; cum in se predicta spatio nihil sint, neque existant extra imaginationem nostram; Deus autem in nihilo non existit. Dicitur tamen Deus ex-

stere, non solùm in mundo, verum & extra mundum, & infinitè, quatenus Deus extra illum infinita corpora producere potest, in quibus ratione sua imminutatis existeret; non enim ita in hoc mundo existit, ut infinita ejus immensitas eidem coarctetur. Hinc, ut hęc propositio: *Deus est in spatiis imaginariis*, habeat bonum sensum, sic intelligi debet: immensitas Dei taliter est infinita, ut cucumque corpori producibili, sit se ipsa essentialiter præsens absque ulla sui mutatione: in quo sensu verissima est præfata propositio: sed de his latius in Metaphysica reali, ubi de divina immensitate, & præfentia Dei in rebus erit sermo.

CAPUT II.

De possibilitate penetrationis, & bilocationis corporum.

DEFINITIONES.

1. **P**ENETRATIO est simultanea existentia duorum, aut plurium corporum in eodem loco.
2. Penetrabilitas est id, quo aliquid dicitur penetrabile, seu potens cum alio existere in eodem loco.
3. Impenetrabilitas est id, quo aliquid dicitur impenetrabile, seu impotens esse simul cum alio in eodem loco.

(* * *)

(* * *)

PROPOSITIO XVI.

Corpora juxta exigentiam naturae, debent esse actu impenetrabilia.

A ssero; hujus adspectabilis mundi compagem, ejusdemque harmoniam, & ordinem, omnino requirere, ut ea quæ ipsum componunt, sint actu impenetrabilia. Ratio autem est 1. Quia præfata mundi dispositio, juxta fines à suo conditore sapientissimè constitutos, necessariò exposcit corporeas moles, quibus constat, ita esse suis quasque locis extensas, ut una in diverso loco existat, ac alia: nisi enim sibi ratione loci resistenter, penetrationique adversarentur, omnes in unum punctum confluissent: quod ita est contra naturę corporeę institutum, ut nihil ei magis adversari posse videatur.

2. Si corpora, quæ mundum componunt, impenetrabilia non essent, illa, quæ gravitationis ope versus commune centrum feruntur, globum aliquod totale compingere non possent; omnia enim in illo communī centro confluissent, ac compenetrarentur; & consequenter ad unicum punctum reducerentur: unde nec Tellus consisteret, nec ulla viventibus esset habitatio: frustraque omnino esset gravitatio, quæ ad eum tantum finem instituta est, ut ex gravitantibus undique corporibus, globus totalis compaginetur, ut suo loco patet.

3. Si corpora penetrabilia forent, nullus in mundo esset corporum motus, nullumque daretur corpus, quod ab alio corpore posset moveri: si enim corpus movens cum mobili penetraretur, non illud moveret, aut ab eo loco, in quo est, in aliud pelleret: ut enim patet cum de motu locali erit sermo, idèo unum cor-

pus

LIBER III. CAPUT II.

227

pus loco amovetur ab alio, quia huic resistit; si autem ambo penetrarentur, non resistet motori, cum ambo in eodem loco ope penetrationis possent coexistere: ablata itaque impenetrabilitate corporum, aufertur motus localis: unde totam naturam corpoream ruere necesse est; cum nihil ferè in ea fiat ab agentibus naturalibus, quod non per motum localēm perpetretur, ut alibi diximus.

4. Nisi corpora impenetrabilia essent, non possent corpuscula, seu corporum particulae invicem intexi, impletici, neceti, ac complicari: in quo nimur complexu tanta diversorum corporum, diversas proprietates habentium, soboles exurgit, ut lib. 1. hujus tract. dictum est: hinc si penetrabilia essent, nullum esset corpus durum, grave, molle, flexibile, ductile, &c. cum haec sine particularum corpora componentium impenetrabilitate consistere non possint.

Tota igitur natura corporea impenetrabilitatem exposcit in singulis corporibus eam componentibus, ut nempè finis ille assequatur, quem naturae opifex in condenda corporea natura sibi præfixit. Neque ideò intelligentias velim, hanc impenetrabilitatis exigentiam tantum existere in natura corporea in communi, aut sumpta pro tota hujus mundi compage; singula enim corpora etiam illam habent: tam quia natura corporea, seu tota hujus mundi visibilis fabrica, à corporibus eam componentibus, non est entitative distincta: tam etiam, quia singula corpora id essentialiter exigunt, quod ad finem illum, ad quem fuere condita, essentialiter requiritur: cumque ad prædictum finem necessaria sit, ut nuperrimè diximus, impenetrabilitas, certè singula hanc impenetrabilitatem siapte natura requirunt, & exigunt, nec aliud, ni fallor, nomine decantata illius exigentia

P 2

im-

impenetrationis, quæ communiter corpori extenso tribuitur, intelligi potest. Hinc iterum colligitur corporis naturam non in sola extensione trinè dimensa consistere, ut putavit Cartesius, sed insuper in prædicta exigentia impenetrabilitatis, seu in eo quod ei debita sit cum aliis corporibus actualis impenetratio.

PROPOSITIO XVII.

Hinc duo corpora nequeunt naturaliter esse simul in eodem loco.

PAtet hoc evidenter plusquam quotidianis experimentis, quibus ostenditur, corpora se se mutuò è suis locis extrudere, quoties nempè unum alterius locum invadit. Ratio autem est, quia actualis impenetratio est naturaliter ita debita corporibus, ut totus naturæ ordo periret, si corpora penetrarentur: nullum igitur est agens naturale, quod corporibus actualem impenetracionem adimere posset: ergo nulla vi naturali possunt corpora penetrari, seu simul in eodem loco constitui. Sed in hoc nulla est difficultas.

PROPOSITIO XVIII.

Corporum penetratio est miraculosè possibilis.

Corporum penetrationem adhuc divinitus esse impossibile, non improbatum judicavit Durandus lib. 4 sent. dif. 44. quaest. 6. Cui opinioni citra omnem contumaciam ita adhæsit, ut in ea exponenda non modicum religiosæ humilitatis specimen exhibeat: calvinistæ verò, aliquique hæretici enormi pertinacia id ipsum defendere contendunt, ut nempè aliquid ex Philosophicis habeant, quod opponere possint catholicae veritati de vera, & reali existentia corporis Christi Domini sub quovis minimo sacratissimæ hostiæ fragmendo.

Op-

Oppositum tenent communiter omnes Philosophi, & Theologi, ita ut prefatam opinionem, non solum falsam, verum & erroneam esse jure contendant. Videatur Cardin. Bellarminus lib. 3. de Euch. cap. 5. Assero itaque, duo, vel plura corpora posse divina virtute penetrari, ideoque esse in eodem loco.

Probatur 1. Quia quoties de re aliqua divinitus possibili agitur, standum est potius pro divina omnipotenti, quoties manifesta non appareat contradicatio: ut enim ait S. Augustin. multò plura sunt quæ Deus facere potest, quam quæ intellectus noster valeat intelligere: sed in corporum penetratione nulla contradicatio appareret: ergo fatendum est divinitus esse possibilem. Minor probatur, nam si aliqua esset contradicatio, foret quia corpora penetrata essent corpus, & non essent corpus: essent quidem, ut supponitur; & non essent, quia corpora sunt essentialiter impenetrabilia, & consequenter eisdem desiceret propria essentia. Ceterum, ut suprà ostensum est, actualis impenetratio non est de essentia corporum; sed tantum prædicta impenetrationis exigentia: non enim ideò impenetrata esse requirunt, ut corpora sint, ut dixi, sed ut ad fines illos inservire possint, ad quos suaptè natura sunt constituta: non itaque corporis essentiam dependent, licet actualiter à Deo compenetrentur: nihil enim prohibet, à summo naturæ Opifice aliqua corpora dirigi ad alios fines superiores, præter illos, ad quos naturali sua constitutione sunt ordinata, quibus assequendis eorumdem penetratio convenire judicetur. Ut patet in corpore Christi sacramentaliter sub speciebus panis constituto, quod sub minima earumdem particula integrum contineri voluit, ut sub illa totum suum corpus ineffibili dignatione nobis summendum exhiberet; sed de his adhuc postea.

Pro-

Probatur 2. ratione, qua id possibile esse juxta nostra principia convincitur. Corpora enim penetrari, est coéxistere in eodem loco, sive intrinseco, sive extrinseco : sed nulla est implicantia in eo , quod corpora diversa in eodem loco sint, sive intrinseco , sive extrinseco : ergo nulla ex corporum penetratione sequitur contradic̄tio. Min. prob. Nam si loquamur de loco extrinseco, hic neque est de essentia corporum, neque corpora ad loci hujus essentiam spectant : ergo non ex eo quod diversa sint corpora, loca etiam extrinseca diversa futura esse, essentialiter colligitur : neque ex eo quod unius sit locus extrinsecus, unum tantum esse corpus locatum, essentiali consequitione debet inferri. Si vero loquamur de loco intrinseco, cum istud (9.) non in hoc, aut illo corpore extenso consistat; sed in quolibet quodcumque illud sit , dummodo talem situm, ac distantiarum ordinem observet: certe licet duo , aut plura corpora in eodem situ , ac distantiarum ordine constitui supponantur, nulla supponitur contradic̄tio : non enim ex eo quod duo sint corpora, duplex debet esse distantiarum ordo, cum hic in corporis essentia non includatur : neque ex eo quod plura sint corpora cum eodem distantiarum ordine, inferre licet duo esse intrinseca loca ; cum neque ex positione novi corporis cum eodem distantiarum ordine, locus ullen̄ mutari dicatur : similiter neque ex eo quod unus sit prefatus ordo , seu unus locus, unum solum inibi esse corpus, essentiali , ac metaphysica consequentia colligere licet : nulla ergo ex corporum penetratione sequitur contradic̄tio.

Confirmatur, nam licet corpus A juxta proprię naturę exigentiam , conservari debeat per actionem eum ubicantem in loco distinto ab eo , in quo existit corpus B ; nulla tamen assignari potest contradic̄tio in eo,

quod

quod conservetur per actionem eum ubicantem in eodem loco, in quo existit corpus B , simulque cum illo: licet enim corpus A exigat illam aliam actionem , qua nemp̄ consituatur extra locum corporis B; hæc tamen actio terminus tantum est illius exigentie ; non vero predicti corporis essentia : potest ergo conservari à Deo per actionem illud constituentem in loco corporis B, simulque cum illo : & consequenter nulla est contradic̄tio in coéxistentia simultanea prædictorum corporum in eodem loco : est ergo divinitus possibilis.

Probatur 3. Ex ven. Eucharistia Sacramento , in quo ita Christus Dominus continetur , ut sub singulis facratisimè hostia particulis totum , & integrum ejus corpus existat : sed hoc esse non posset,nisi omnes , & singulae partes corporis Christi invicem penetrarentur, ita ut ubicunque una, vel minima pars, reperitur , ibi & cæteræ omnes collocentur : ergo partes omnes corporis Christi actu sunt in Sacramento Altaris compenetratae : est ergo miraculosè possibilis partium ejusdem corporis compenetratio : & consequenter cujuslibet corporis cum alio corpore. Huic tamen argumento forte posset aliquis respondere, negando minorem ; simulque assignando modum, quo totum Christi corpus sub minimo fragmento specierum panis continetur, seclusa ejusdem partium compenetratio : sed circa hoc vide quæ diximus in Metaph.lib.3.prop.43.

Probatur 4. Nam communiter omnes catholici tenent Beatissimam Virginem Mariam mundo edidisse Salvatorem, illæsa virginei claustrí integritate. Communis item est eorumdem sententia , Christum egredsum fuisse è Sepulchro, lapide obserato. Item ut refertur Joann. cap.20. ingressus fuit Christus ad discipulos cum foræ essent clausæ : ergo Christi Domini corpus fu-

supernaturaliter fuit penetratum cum sigillo virginali corporeo : cum lapide obserante Sepulchrum; ac cum foribus inapertis, cum discipulis apparuit : possibilis igitur est divinitus corporis cum corpore penetratio. Aliquas his argumentis solutiones adhibet Durandus, quas nunc impugnare non vacat, quibus ostendere conatur omnia prædicta contingere potuisse absque ulla corporum penetratione. Ceterum cum communis Sanctorum Patrum intelligentia, his qua à Durando assertur, aduersetur, ea absque temeritatis nota defendi non posse putandum est. Videatur Card. Bellarminus loco suprà citato.

Objicies. Nequeunt ejusdem corporis partes, exem gr. lapidis, adhuc divinitus penetrari : ergo neque corpora diversa. Antec. prob. Tam essentialis est lapidi habere partes extra partes, seu in distinctis locis parallibus constitutas, quam motui habere partes in temporibus diversis : ergo quemadmodum nec divinitus possunt partes motus constitui simul in eodem tempore: sic nec partes lapidis poterunt divinitus constitui simul in eodem loco. Resp. negans anteced. Ad ejus probationem nego similiter antecedens, quod facile non probabunt adversarii : non enim est essentialia corporis habere partes actu in diversis locis constitutas : sed tantummodo exigere eas habere in distinctis locis : motus verò, cum sit ens successivum, essentialiter successionem includit, qua in eo solum stare potest, quod ejus partes in diversis existant temporibus : sique nihil mirum, quod nec divinitus in eodem tempore simul existere possint.

Sed instabis. Ens continuum permanens, & continuum successivum, etenim solum essentialiter diversificantur, quatenus nempè successivum partes habet in-

diversis temporibus; permanens verò in diversis locis: ergo quemadmodum illud nec divinitus potest habere partes simul in eodem tempore, neque istud poterit eas habere in eodem loco. Sed resp. negans anteced. Ens enim successivum, & permanens in hoc solum essentialiter diversificantur, quod nempè partes entis continui successivi non sint simul tempore; partes verò continui permanentis simul sint tempore. Quapropter ex oppositione essentiali continui permanentis, & successivi, id tantum concludi poterit, quod quemadmodum nec divinitus potest fieri, ut partes continui successivi sint simul tempore, ita nec divinitus fieri possit, ut partes continui permanentis non sint simul tempore: repugnat enim eas permanere, & non esse simul tempore.

Instabis iterum. Eodem modo constitui oportet ens extensem respectu loci, ac successivum respectu temporis: sed successivum ita essentialiter requirit diversa tempora, ut ejus partes nec divinitus esse valeant in eodem tempore: ergo & continuum ita requiret diversa loca, ut ejus partes nec divinitus esse possint simul in eodem loco. Resp. negans maiorem; successio enim essentialiter includit diversa tempora; extensio verò non includit essentialiter diversa loca; nam juxta nostra principia, in uno puncto physico reperitur extensio, cum tamen in unico tantum loco existat: unde si cuncta puncta lapidis compenetrarentur, omnia simul suam extensionem servarent, licet essent in eodem puncto loci. Verum quidem est non habiturum tunc lapidem actualiter extensionem illam, quam exigit, qua videlicet ejus partes constituta sint extra partes, singulè nempè in suis locis diversis, sed hoc minimè tollit singula lapidis puncta propriam retinere extensionem, licet omnia, in unico, & eodem loco.

Dices tandem, si hoc possibile sit, ut nempè omnes lapidis partes in unius tantum puncti physici locum reducantur, certè eodem modo totus globus terraqueus, imò & omnia, quæ in adspectibili mundo existunt, corpora, ad unius puncti physici locum poterunt divinitus reduci, quod omnino incredibile videtur. Sed mihi nullatenus hoc apparet incredibile, nec cuiquam ita poterit apparere, qui attentè concipiatur, innumera esse, quæ Deus sua infinita virtute efficere potest, quæ nostri ingeniorum capacitatem excedunt: præcipue cum satis supra fuerit ostensum, nullam ex corporum penetratione sequi contradictionem. Sed jam ex corporum diversorum penetratione, ad unius ejusdemque corporis bilo-
cationem transeamus.

PROPOSITIO XIX.

Explicantur varii modi, quibus res esse possunt in loco.

Res communiter ab Auctori bus assignari solent modi, quibus aliquid esse potest in loco. Primus est *immensè, seu indefinitè, & incircumscrip- tivè*: & hic soli Deo convenit, qui ratione sua immensitatis est ubique, nullisque potest definiri spatiis, aut terminis circumscribi. Secundus est *definitivè*, quo nempè res ita existit tota in toto spatio, in quo continentur, seu definitur, ut tota sit etiam in qualibet illius spatii parte: hocque modo dicuntur esse in loco Angelus, & anima rationalis, quia cum indivisibilis sint, non possunt, nisi per entitatem suam omnem, occupare singulas partes illius loci. Tertius modus existendi in loco est *circumscrip- tivè*: quo nempè aliqua res tota est in toto loco; non tamen est tota in qualibet parte loci; sed habet singulas partes in singulis partibus loci: sic cor-

pora

pora dicuntur esse circumscrip- tivè in loco, quia partes ex quibus constant, singula existunt in singulis partibus loci, quod à toto corpore occupatur. Unde colligitur hunc modum existendi in loco nullatenus spiritibus posse convenire, supponit enim multitudinem partium, quas spiritus non habent.

Modus tamen existendi in loco definitivè, non ita rebus spiritualibus convenit, ut supernaturaliter rebus corporeis convenire non possit. Sic de facto totum Christi Domini corpus in venerabili Sacramento continetur, ut totum sit sub tota specie panis, & totum sub singulis eius partibus etiam minimis. Hæc tamen existentia corporis Christi sub speciebus eucharisticis id habet singulare, quod videlicet non perinde, ac angelica, ad unum locum limitata sit; sed insuper multiplicantur in penè infinitis pro numero Altarium, in quibus conficitur, ac pro numero sacrarum pyxidum, in quibus hoc Sacramentum asservatur: unde modus iste, quo Christus est in Eucharistia, *Sacramentalis* appellatur.

Sic, ut dixi, exponuntur ab Auctori bus modi, quibus res esse possunt in loco; verum quia circumscribi, & finiri, aut definiri idem sonant, placuit P. Honorato Fabri, & ex ipso Mousnerio, prefatos modos aliter explicare. Ait itaque quatuor modis posse dici aliquid esse in loco. 1. *Penetrabiliter indivisibiliter*: & hic convenit Deo, Angelo, & anima rationali, tum & corpori Christi Domini in Eucharistia, quod idcirco ibi esse dicitur ad modum spirituum. 2. *Penetrabiliter divisibiliter*: quod convenit corporibus se per miraculum penetrantibus. 3. *Impenetrabiliter divisibiliter*: quod convenit corporibus naturaliter. 4. *Impenetrabiliter indivisibiliter*: quod convenit suapte natura-

pun-

puncto physico; & etiam Angelo ad ejus libitum. Hic autem modus clarius rem exponere videtur.

PROPOSITIO XX.

Nequit idem corpus naturaliter esse simul in duplice loco.

ID ita notum est ipsa experientia teste, ut à nemine dubitari possit. In assignanda vero ratione hujus naturalis impossibilitatis, aliqua potest esse difficultas. R.P.Saguens *Phys. disp. 6. art. 5. num. 3.* illam assignat, quæ petitur ex limitata extensione cuiuslibet corporis: cum enim locus, & locatum sibi necessariò adæquentur, certè extensio loci nequit esse major extensione locati: sed extensio locati est limitata: ergo & loci extensio debet esse limitata: sed locati extensio unica est: ergo & unicus locus eidem naturaliter competit: non ergo potest naturaliter esse simul in diversis locis.

Huic rationi aliam insuper addo similem illi, qua prop. 16. & 17. probavi, duo corpora naturaliter non posse esse in eodem loco. Quemadmodum enim tota natura corporea impenetrabilitatem exposcit in singulis corporibus, ut scopus ille assequatur, quem Deus in illa condenda sibi præfixit, ut ibi satis ostensum fuit: ita eadem natura corporea exigit, ne corpora possint simul esse in duplice, aut multipli loco: ex hoc enim sequeatur nullum in mundo dari corporum motum: hic enim eo solum fine suapte natura institutus est, ut corpus à loco in quo est ad alium, in quo non est, transferatur: si ergo in hoc, ope bilocationis, esse naturaliter posset, ut quid primum relinqueret? nulla ergo esset corporum translatio à loco in locum: & consequenter, nec ullus motus: hinc nulla gravitatio; hinc tandem totius naturæ corporeæ deordinatio, ac ruina.

Præ-

LIBER III. CAPUT II.

237

Præterea nequit corpus aliquod, saltim ingentis magnitudinis, qualis est Tellus, simul poni in diversis locis, quin detur corporum penetratio: sed hæc (17.) est naturaliter impossibilis: ergo & naturaliter impossibilis erit prædictorum corporum bilocation. Maj. prob. nam in locis illis, in quibus Tellus constitueretur, alia ingentis extensionis existunt corpora, quibus nullus esset ad locum à Tellure relictum recursus, cum nullum relinqueret: neque ope compressionis, aut condensationis, quæ suos habent in natura limites, ad minorem locum reduci valerent; ut tam ingenti corpori localiter multiplicato, liberum spatium relinquerent: ergo tanti corporis in pluribus simul locis circumscriptiva positio, sine penetratione fieri non posset: ergo saltim tanta bilocatione evidenter convincitur naturæ viribus impossibilis. Ex quo generaliter concludi potest, omnem bilocationem esse contra naturæ institutum, & exigentiam, sive naturaliter impossibilem.

PROPOSITIO XXI.

Potest divinitus unum, & idem corpus esse simul in pluribus locis, etiam distantibus.

Negant hanc propositionem Hæretici, nolentes cedere corpus Christi Domini verè, & realiter esse in Eucharistia Sacramento: eam tamen defendunt omnes Catholici, quibus certum omnino est, Christum de suo corpore fuisse loquutum, cum in ultima cena dixit: *Hoc est corpus meum:* ubi totum suum corpus sub panis speciebus contentum, manibus suis tenuit, siveque discipulis sumendum porrexit. Probatur etiam conclusio: nam, ut Actorum 9. & 22. refertur, Christus Apostolo Paulo apparuit: sed tunc fuit simul in celo, & in aëre terra vicino: ergo unum corpus virtute

te divina simul esse potest in diversis locis. Minor prob. nam Christum Dominum tunc in celo fuisse constat ex illo Actor. 3. *Quem oportet celum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium.* Fuisse item Christum, & non Angelum, qui prope terram Paulo apparuit, patet nam Paulo eidem interroganti, quis es, respondebat: *Ego sum Jesus quem tu persequeris.* Fuit ergo simul in celo, & in aere prope terram. Sed de his videatur Card. Bellarm. lib. 3. de Euch. cap. 3.

Probatur insuper nostra conclusio ratione. Nam predicta bilocatio nullam involvit contradictionem: ergo est divinitus possibilis. Anteced. probatur: nam non implicat ex parte Dei, qui omnipotens est: neque ex parte corporis, quod semel productum, capax est novae productionis: aliter resurrectio mortuorum esset impossibilis, quia fit per reproductionem: neque ex parte loci: quod enim corpus locatum in hoc loco, sive extrinseco, sive intrinseco existat, quid est accidentale ipsi loco: multo ergo accidentalius ipsi erit, quod illud idem corpus in alio distanti loco simul existat: ex nullo ergo capite bilocatio repugnat: ergo divinitus est possibilis.

Probatur iterum eadem conclusio: potest enim Deus corpus idem saepius successivè producere, & corruptum reproducere. Christus enim Lazarum, aliasque mortuos revocavit ad vitam, omnesque in die novissimo sumus resurrecturi, quod utique fieri per reproductionem certum est: ergo etiam potest Deus eodem tempore idem corpus in diversis locis producere. Probatur conseq. Nulla est enim ratio, quia Deum cogat, ut desinat Petrum conservare Valentiae, si velit eum iterum producere Romae: ergo potest idem corpus simul constituere in diversis locis. Confirmatur, nam non

apparet major dependentia corporis à loco, quam à tempore: ergo si potest Deus diversis temporibus, etiam morte interruptis, idem corpus reproducere; poterit etiam in diversis locis, etiam distantia realiter distitis, idem corpus per reproductionem constituere. Sed videamus nunc, ut ait August. lib. 22. de Civit. Dei, cap. 11. *Qualibus argumentis omnipotentię Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.*

Objiciunt 1. Non potest aliquid adhuc divinitus simul esse in duobus temporibus: ergo nec in duobus locis. Sed respondeo notissimam esse disparitatem: nam eandem rem non posse esse simul in duobus temporibus, non oritur ex ipsa re, sed ex temporibus, quae cum essentialiter fluant, non possunt esse simul; loca verò cum permanentia sint, simul existunt: unde nec ex parte rei, nec ex parte loci, aliqua oritur impossibilitas, ut idem corpus possit bilocari.

Objiciunt 2. Si idem corpus sit in diversis locis, erit unum, & multa: sed hoc est impossibile: ergo & ejus bilocatio. Maj. prob. Nam 1. Eset unum, ut supponitur, deinde esset multa, nam esset divisum, & distinctum à se ipso: ergo esset multa. Antec. prob. Nam ea quae realiter separata sunt, realiter sunt divisa, & distincta: sed corpus bilocatum, prout existens in uno loco, esset realiter separatum à se ipso, prout existente in alio loco: ergo esset realiter distinctum, & divisum à se ipso. Resp. negans majorem: ad probationem nego secundam partem maj. Ad ejus probationem distinguo majorem; quae realiter separata sunt entitativè, realiter sunt divisa, & distincta, concedo: quae solum localiter, nego: hoc enim solum arguit multiplicitatem loci, seu ubicationis; non verò entitatis rei locatae: idque inde probat Card. Bellarm. Quod unitas essentialis rei non pen-

pendet ab unitate loci : cum prius sit rem esse unam, quam esse in uno loco : licet autem nostra imaginatio concipere non possit idem corpus in diversis locis ; castiganda tamen est , & à falso intellectu corripienda. Instantiae , si quæ sint , adversus hanc solutionem , sequenti propositione dissolventur.

PROPOSITIO XXII.

Potest unum, & idem corpus esse simul divinitus in pluribus locis circumscriptivè.

Licet omnes Catholici unanimiter sentiant , posse divinitus unum , & idem corpus esse simul in multiplici loco ; non tamen omnes convenient in modo , quo id sit possibile. Nam S. Thomas in 4. dīst. 44. quæst. 2. art. 2. quæstione . 3. aliisque in locis , & cum eo omnes Thomistæ , asserunt posse quidem divinitus idem corpus esse sacramentaliter in multiplici loco : tum & in uno loco circumscriptivè ; & in aliis plerisque sacramentaliter , prout de facto contingit in corpore Christi Domini , quod in celo est circumscriptivè ; & simul sacramentaliter in omnibus hostiis consecratis : negant tamen possibile esse adhuc divinitus , idem corpus posse simul existere in diversis locis circumscriptive. Huic etiam sententia adharet P. Vazquez , Lorca , & alii. Oppositum tamen tenent Card. Bellarm. lib. 3. de Euch. cap. 3. P. Suarez , Conimbricenses , Lugo , Hurtado , & communiter Doctores Societatis Jesu ; Scotus , Scotista , Nominales , Maignan , Casimirus , Saguen , aliique quamplures. Afferro itaque cum istis , posse divina virtute idem corpus simul existere circumscriptivè in multiplici loco.

Probatur 1. Nam in hoc nulla involvitur contradictione : ergo est possibile. Anteced. satis probatur solutio-

tione obiectionum postea tradenda : nihilominus sic ulterius probatur. Nam Petrum eodem tempore existere circumscriptivè Romæ , & Valentia , idem est ac existere circumscriptivè Romæ tempore A ; & existere similiter Valentia eodem tempore A : sed hæc prædicta non sunt contradictoria , ut est certum : neque secum trahunt prædicta contradictione : ergo ex bilocatione circumscriptiva nulla sequitur contradictione. Secunda minoris pars probatur : nam ex eo quod Petrus sit circumscriptivè Valentia , nihil aliud sequitur , quam Petrum per ubicationem Valentinam determinari , ut modo circumscriptivo sit Valentia : & rursus ex eo quod Petrus sit circumscriptivè Roma , nihil aliud sequitur , quam per ubicationem Romanam determinari ut modo circumscriptivo sit Romæ : sed ubicatio Valentina determinans præcisè Petrum ut circumscriptivè sit Valentia , non excludit contradictione à Petro ubicationem Romanam , qua nempè Romæ circumscriptibatur : ergo nulla inferuntur prædicta contradictione.

Nec audiendus esset qui diceret , requiri essentialiter ad existentiam localem circumscriptivam , ita corpus commensurari , ac circumscribi loco , ut nullatenus sit extra istum locum. Non , inquam , audiendus esset , nam si hoc necesse foret , certum est , fore omnino impossibilem bilocationem circumscriptivam , nullusque esset questioni locus. Præterea quia gratis , & sine fundamento id diceretur requiri : ut enim corpus circumscriptivè existat in loco , id solum requiritur , quod nempè singula ejus partes , singulis partibus loci corraspondent , seu sint extra alias partes : hoc enim sufficit ut presentia circumscriptiva à definitiva , & sacramentali distinguatur : sed hoc non dicit negationem existendi simili-

liter in alio loco : totum enim hoc habebit corpus existens circumscriptivè Valentia, licet eodem modo Roma existat : non ergo in præsentia circumscriptiva includitur prædicta negatio. Aliæ implicantia solent ab adversariis assignari, quas apparentes solummodo esse inferius patebit.

Prob. 2. Nam nihil aliud opponitur bilocationi circumscriptivæ ejusdem corporis, præter aut corporis limitatio, aut naturæ corporeæ exigentia, ut diximus prop. 20. Sed potentia infinita nihil cuncta hæc possunt obstat, quominus corpus etiam circumscriptivè bilocare possit ; potest enim agere ultra corporis limitationem, & contra ejusdem, totiusque naturæ exigentiam : ergo, &c.

Prob. 3. Difficilior est corpus aliquod esse in uno loco circumscriptivè, & in alio definitivè, quam in duobus locis esse circumscriptivè : sed Christus Dominus est in calo circumscriptivè, in sacra autem hostia est definitivè, seu sacramentaliter : ergo multò potius poterit esse in duplice loco circumscriptivè. Minor est fide certa. Major verò probatur, nam ad positionem definitivam, seu sacramentalē unius corporis, in alio loco simul circumscriptivè existentis, duo occurrent impedimenta naturalia superanda, quæ ex parte corporis objiciuntur : primum nempè corporis limitatio, ejusdemque naturæ exigentia, quæ naturaliter bilocationi repugnat. Secundum verò corporis ejusdem naturalis impenetrabilitas : modus enim existendi definitivè, seu sacramentaliter in loco, partium corporis sic existentis penetrationem includit : ad positionem autem circumscriptivam ejusdem corporis in duplice loco non exigitur hæc penetratio : non ergo superandum occurrit nisi primum impedimentum ex supradictis : facilior igit-

tur est simultanea positio ejusdem corporis in multiplici loco circumscriptivè, quam in uno circumscriptivè, & in alio definitivè, seu sacramentaliter ; aut etiam in pluribus sacramentaliter, seu definitivè : ergo, &c.

Respondent adversarii, præsertim Illuſtr. Palanco, negantes majorem : afferunt enim multò difficilior esse, corpus existere simul in duplice loco circumscriptivè, quam in uno circumscriptivè, & in alio definitivè, aut sacramentaliter, retenta nempè in utroque loco eadem quantitate ; implicat enim contradictionem multiplicari effectum formalem quantitatis, non multiplicata quantitate : cumque præsentia circumscriptiva, seu occupatio loci sit effectus formalis quantitatis, certè non poterit idem corpus duplē locum occupare, seu duplē habere præsentiam circumscriptivam. Sed contra, nam quantitas non est ratio formalis existendi circumscriptivè in loco : aliter ubicumque reperiatur quantitas, esset corpus circumscriptivè locatum ; implicat enim esse causam formalem sine effectu formalī, sed hoc est falsum ; in Eucharistia enim est quantitas corporis Christi, cum tamen ibi non sit circumscriptivè Christi corpus : non ergo quantitas est causa formalis existendi circumscriptivè in loco. Quantitas itaque solum exigit corpus esse extensem circumscriptivè, seu habere ubicationem circumscriptivam, à qua tamquam à causa formalī, provenit partem corporis extra aliam, seu in diversa parte loci, collocati : unde licet posito corpore in duabus simul locis, eadem sit in utroque loco quantitas ; cum tamen sint duas ubicationes circumscriptivæ, numquam sequitur duos esse effectus formales ab unica causa formalī provenientes ; sed à duplice, à duabus nempè ubicationibus : nulla itaque est hæc nostri argumenti solutio.

Prob.4. Nam nulla est contradic̄tio in existentia circumscriptiva duorum corporum simul in eodem loco ope penetrationis, ut ipsi adversarii fatentur: ergo nec illa sequitur contradic̄tio ex positione circumscriptiva ejusdem corporis in dupli loco, ope bilocationis. Respondent communiter adversarii ex doctrina S.Thomae, negantes consequentiam, hancque reddentes disparitatem: corpus enim, individuum cum sit, necesse est esse indivisum in se, & divisum à quolibet alio: ex his autem duabus conditionibus, priorem nem̄p̄ esse indivisum in se, dicunt esse corpori individuo essentialem; & consequenter ab eo omniō inauferibilem; posteriorē verò, nimirū esse divisum à quolibet alio, accidentiarē esse, ac separabilem: cum itaque duo corpora ponantur in eodem loco, tollitur tantum secunda conditio; cum enim ambo simul sint, non sunt inter se divisa; at verò si idem corpus circumscriptivè bilocaretur, tolleretur prima conditio, esset enim divisum à se; & consequenter non indivisum in se: unde destrueretur tota essentia individui.

Sed contra r. Quia tam essentialis est individuo indivisio in se, quam diviso à quolibet alio: quodlibet enim individuum per illud idem, per quod est hoc unum, per illud idem non est quidquam aliud à se distinctum. Ut itaque tollatur equivocatio, distinguenda est duplex indivisio in se, & divisio ab alio; alia nem̄p̄ entitativa, alia localis: & prima quidem, cum divisio, tum indivisio, est rei essentialis; secunda verò, cum divisio, tum indivisio, est eidem accidentalis. Quando itaque corpora sunt in uno, eodemque loco, non tollitur divisio à quolibet alio entitativa, sed solum localis; corpora enim penetrata, quo diversa sunt, & distincta, licet non sint divisa quoad locum. Similiter etiam licet

unum

unum corpus esset circumscriptivè in diversis locis, non idē tolleretur indivisio entitativa, sed solum localis. Praterea, quia si per bilocationem auferretur indivisio entitativa, ita ut corpus circumscriptivè bilocatum, à se ipso entitativè esset divisum, profecto eodem modo auferretur prefata indivisio per bilocationem sacramentalē, sicque nec divinitus posset sacramentaliter bilocari, quod est contra fidem.

PROPOSITIO XXIII.

Objectiones contra nostram sententiam dissolvuntur.

Obijec̄tus r. S. Augustinum lib.20.contra Faustum, cap.11. asserentem, Christum secundum præsentiam corporalem simul & in Sole, & Luna, & in Cruce esse non posse: ergo nequit esse corpus adhuc miraculose simul circumscriptivè in diversis locis. Resp. Ex hac Augustini auctoritate nihil contra nostram sententiam colligi posse: ut enim ait Card. Bellarminus, loquebatur S. Doctor de corpore Christi juxta sententiam Manichaeorum, quam impugnabat. Manichei enim, ut ibidem testatur Augustinus, non arbitrabantur Christum esse unum hominem, sed lucem quandam expansam per Solem, Lunam, & alia loca; illum verò qui informa humana suic crucifixus, dicebant phantasma fuisse, non verum hominem. Quare Augustinus adversum ipsos uituit hoc dilemata: Si Christus est spiritus, seu phantasma, crucifixi non potuit: si autem est corpus expansum per Solem, Lunam, & alia loca, non potuit totus simul esse in Sole, & Luna, & in Cruce, quia corpus expansum per tota loca, non potest totum esse in singulis locis; si enim locus ejus adiquatus est aggregatum predictorum locorum, cer-

te

246 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI:
tē quilibet ex illis non potest esse ejusdem locus adaequatus, sed inadæquatus. Quod si Augustinus loqueretur de corpore Christi, ut est re vera, & non secundum sententiam Manichæorum, respondere possumus, eum loqui de corpore secundum ordinarium cursum naturæ, & non secundum id quod potest in illo facere omnipotens Creatoris. Hæc Bellarminus.

Sed adversus hoc ultimum instat Illustr. P. Palanco. Si Augustinus solum loqueretur de impotentia naturali, possent respondere Manichei, prædictam extensionem Christi in diversis locis, non naturaliter, sed miraculose contigisse: unde argumentum Augustini effet inefficax. Sed contra, nam si id ita esset, posset, imo teneretur asserere Illustr. Palanco inefficax etiam esse argumentum, quo ibidem Augustinus adversum Manicheos probat, eum qui crucifixus est, spiritum esse non posse, quia, inquit, spiritus nullo modo pati posset in Cruce; quod certè intelligit, non posse contingere naturaliter, nam certum est divinitus pati potuisse spiritum in Cruce, cum teste ipso Augustino lib. 21. de Civit. Dei, cap. 10. pati possit ab igne corporeo miris, sed veris modis: quemadmodum itaque hic loquitur juxta vires naturæ, sic & cum de positione corporis in multiplici loco: quod sufficit ad evertendum Manichæorum errorum putantium Christi corpus esse juxta ordinarium ipsius naturæ cursum in illis diversis locis.

Objicies 2. Corpus esse in duplici loco circumscriptive, est nullibi esse circumscriptive: ergo nostra positio implicantiam involvit. Anteced. probatur, nam esse in loco A circumscriptive, est ita esse in loco A, ut non sit in loco B, neque in alio: item esse in loco B, est ita in eo esse, ut non sit in loco A, neque in alio: ergo existere simul in utroque loco circumscriptive, est ne-

que esse in loco A, neque B, &c. & consequenter nullibi esse circumscriptive. Anteced. patet, nam esse in loco circumscriptive aliquod corpus, est esse ita in illo tamquam in loco adæquato, ut neque secundum omnem, neque secundum aliquam sui partem sit extra locum illum: ergo, &c.

Resp. Hoc argumentum instantiam pati gravissimam: nam corpus Christi esse circumscriptive in celo, est ita ibi esse tamquam in loco adæquato, ut neque totus Christus, neque aliqua ejus pars sit extra celum: ergo Christus non est verè, & realiter in Altari? Quod est contra fidem. Respondeo itaque negans anteced. Ad probationem nego anteced. Ad cujus probationem, nego similiter anteced. Verum quidem est, corpus quod est in loco A circumscriptive, esse in illo tamquam in loco adæquato: hoc autem solum significat, ita esse in illo loco A totum corpus, ut nulla sit ejus pars, qua non sit intra illum locum, & neque sit aliqua pars in eodem loco alterius partis: hoc autem totum habetur, licet idem corpus existat in loco B, sive definitivè, sive circumscriptive: cum esse in loco B, non sit non esse totum in loco modo supradicto: quod sanè videtur satis perspicuum.

Sed instabis; ubicatio determinans essentialiter Petrum, ut sit in loco, determinat illum formaliter, & essentialiter ad non existendum in loco B, aut alibi: ergo nulla est nostra solutio. Anteced. probatur: nam ubicatio in loco A est ratio formalis tollens formaliter à Petro indifferentiam ad esse vel in loco A, vel in B: ergo ita determinat illum ut sit in loco A, ut eundem determinet ad non existendum in loco B. Resp. negans anteced. Ad cujus probationem concessio anteced. nego consequentiam. Nam ubicatio Petri in loco A de-

terminat quidem illum ut sit in loco A, ita illum in praedicto loco constituens, ut ex vi illius ubicationis nequeat existere in loco B, aut quovis alio; non vero excludit aliam ubicationem, per quam Petrus collocetur in loco B: ut patet ex his, qua de ubi, & ubicatione diximus.

Objicies 3. ex Illustr. P. Palanco. Si corpus bilocaretur, retineret in utroque loco eandem quantitatem, est enim juxta nostram sententiam quantitas realiter idem cum substantia corporis: sed nequit corpus bilocari circumscripтивè, retenta eadem quantitate: ergo, &c. Minor prob. Nam implicat contradictionem multiplicari effectum formalem quantitatis non multiplicata quantitate: sed praesentia circumscripтивa est effectus formalis quantitatis: ergo repugnat multiplicari praesentiam circumscripтивam, non multiplicata quantitate. Resp. distinguens majorem, si corpus bilocaretur retineret utrobique eandem quantitatem intrinsecam, concedo; extrinsecam, nego. Et distinguo minorem: nequit circumscripтивè bilocari, retenta eadem quantitate intrinseca, nego; extrinseca, concedo. Ad probacionem, concessa majori, distinguo minorem: praesentia circumscripтивa est effectus formalis quantitatis intrinsece, nego; extrinsecæ, concedo: & nego consequentiam. Quantitas enim intrinseca exigit quidem quantitatem extrinsecam; id est, corpus quantum esse impenetrabiliter extensem, quod habet ope quantitatis extrinsecæ, seu ubicationis passivę, à qua formaliter habet, ut ejus partes ita sint ubicatae, & extensem, ut alia sit extra aliam: habeantque ubicationes activas diversas, seu actiones, eas in diversis locis conservantes, ut alibi diximus.

Objicies 4. Si idem corpus positum esset simul circum-

circumscripтивè in duplice loco, esset realiter divisum, & distinctum à se ipso: sed hoc evidenter implicat contradictionem: ergo & poni circumscripтивè simul in duplice loco. Major prob. nam ea, quæ realiter separantur, & inter se distant, realiter distinguuntur: sed in praedicto casu, corpus existens in loco A, realiter distaret, ac separatum esset ab eodem existente in loco B: ergo esset realiter divisum, & distinctum à se ipso. Min. prob. nam inter corpus existens in loco A, & idem existens in loco B, esset distantia realis, & positiva, nempe aer, aut aliud corpus interceptum: ergo in praedicto casu distaret idem corpus, ac separatum esset realiter à se ipso.

Hoc argumentum fecerit Calvinus, ac Petrus martyr ad omnis bilocationis impossibilitatem tuendam, ut refut Bellarminus loco citato: ideoque ipsum tenentur solvere adversarii: & ostendere, qualiter Christus circumscripтивè existens in celo, non distinguatur, nec dividatur realiter à se ipso existente in Altari sacramentaliter: cum inter Christum prout in celo, & ipsum prout in Altari ingens sit distantia realis: item inter Christum in uno Sacrario, & ipsum in alio Sacrario sacramentaliter existentem. Respondere solent adversarii juxta doctrinam S. Thomæ, corpus Christi esse quidem in celo circumscripтивè in Sacramento vero nullatenus esse in loco secundum se, aut ratione proprię quantitatis: unde non sequitur quod à se ipso localiter distet; ad hoc enim opus erat, ut esset localiter in partibus distantibus.

Contra tamen, quia licet corpus Christi in Sacramento, secundum se, & ratione proprię quantitatis, non dicatur, ut volunt adversarii, esse in loco; ratione tamen quantitatis, & dimensionis panis, sub qua existit ad

ad modum substantiarum, est circumscripтив in loco, in eo nempe, in quo existunt species sacramentales, ut ipsi factentur: ergo corpus Christi vere est simul in duobus locis, nempe in caelo circumscripтив ratione propriæ quantitatis; & similiter in Sacramento ratione quantitatis panis: sed inter cælum, & locum specierum panis ingentia corpora intercipiuntur: ergo inter Christum in caelo, & in Sacramento datur distantia realis, quin ex hoc inferatur Christi corpus esse à se ipso divisum, & distinctum.

Respondeo itaque ad argumentum, ut in prop. 21. respondi: Negans majorem: ad ejus probationem distinguo maj. Ea quæ entitatib separantur, & distant, realiter distinguuntur, concedo: quæ tantum localiter, nego. Hoc enim solum arguit locorum distantiam; non verò rei locatæ à se ipsa; hæc enim semper esset una, & eadem realiter, & entitatib, quamvis distaret localiter à se ipsa. Quod confirmari posse videtur: nam si duo corpora in eodem loco penetrata constanter, licet sint unum localiter; non tamen entitatib: semper enim in eodem loco servant realem distinctionem; ergo similiter, si idem corpus in multis locis constitutatur, licet sit localiter multiplex; non tamen erit multiplex entitatib, sed suam essentialē conservabit unitatem.

Objicies 5. Si idem corpus posset esse circumscripтив simul in diversis locis, posset esse ubique: nulla est enim ratio assignabilis, cur potius esse posset in aliquibus, & non in omnibus: cur in his, non autem in cæteris: sed hoc repugnat; esset enim immensum, quod est Dei proprium: ergo, &c. Hoc argumentum eodem modo militare videtur contra bilocationem definitivam, ut quisque facile poterit applicare. Nego itaque

se-

sequelam, quia ut dixi in Metaph. repugnat infinitum in aeternum; ideoque repugnat ex hoc capite corpus esse ubique; licet possit divinitus esse in pluribus semper, & pluribus locis in infinitum. Quid? quod si corpus posset ubique ponî, adhuc non sequitur esse immensum, immensitate scilicet independenti, & essentiali, quæ propria est Dei; sed tantum immensitate participata, & à Deo dependenti.

Objicies 6. Ex constitutione simultanea ejusdem corporis circumscripтив in diversis locis, quamplurimas sequi contradictiones: posset enim idem corpus in uno loco moveri; & in alio non moveri: item in uno loco moveri versus ortum; & in alio versus occasum: posset similiter in uno latere; in alio affici maiestitia: in uno infirmari; in alio bene valere: in uno vivere; in alio mori; & similia: quæ omnia aperiè repugnare videntur: ergo, &c. Sed respondeo cum Card. Bellarm. & aliis, duo oportere distinguiri genera accidentium; alia nempe, quæ se tenent ex parte loci; alia vero quæ ex parte locati. Quantum itaque ad ea, quæ se tenent ex parte loci, citra omnem contradictionem convenire possunt, simulque non convenire corpori circumscripтив bilocato; è contra vero quæ se tenent ex parte locati, illudque intrinsecè afficiunt. Hinc concedimus corpus bilocatum posse in uno loco moveri, & quiescere in alio: & in uno moveri ad ortum, & in alio versus occasum, quia hec, & similia accidentia se tenent ex parte loci; si tamen ex motu sequuta fuerit sensibilis latitudo, hanc in utroque loco sentiret: item si in uno loco latetur, in alio similiter latetur; nec poterit latari in uno, & in alio tristari: item nec in uno mori, & in alio vivere; nec in uno infirmari, & in alio bene valere. Hæc enim accidentia ita se tenent ex parte

te

te locati, ut eum intrinsecè afficiant. Alia minoris momenti, quæ objici posunt, ex dictis facile dissolvuntur.

CAPUT III.

De possibiliate, & actualitate Vacui, seu inanis.

DEFINITIONES.

1. **I**NANE, seu vacuum in communi est absentia corporis, vel alterius rei corpori equivalentis. Sic spatio, quæ vulgo imaginaria appellantur, vacuum quoddam sunt, & inane; nihil enim sunt aliud præter omnis corporis absentiam, ideoque ut diximus, nihil sunt reale. Addidi, vel alterius rei corpori equivalentis, seu vices corporis gerentis, quia si Angelus se se impenetrabilem reddat, ut pro libitu potest, spatium illud, quod occupabit, vacuum non erit: licet enim ibi nullum sit corpus; est tamen Angelus, qui ob impenetrabilitatem, quam habet, vices corporis gerit, quatenus nempè corpori spatium illud invadenti, non minus, quam corpus aliquod resistit.

2. Hinc duplex considerari potest vacuum, seu inane: nempè & totale, & partiale. Totale est ubique vacuum: seu absentia ubique omnis corporis, seu equivalentis: tale erat ante mundum conditum. Partiale est absentia corporis, non ubique, sed alicubi. Hoc que est propriè vacuum, de quo in praesenti est nobis sermo. Hoc autem communiter à Philosophis definitur locus inanis, seu in quo nullum est corpus, aut corpori equivalentis: id est, locus sine locato: ut enim ait

Arist.

Arist. 4. Phys. tex. 57. Vacuum videtur esse locus, in quo nihil est. Tale esset vas quod à Deo conservaretur, omni ablato corpore, quod illud repleat. De hoc itaque vacuo aliqua sunt in sequentibus propositionibus expoundenda, quæ difficultate vacua non sunt.

PROPOSITIO XXIV.

Possibile est divinitus vacuum, seu inane.

Non defuerunt Autores aliqui, qui dixerunt, nullo modo posse dari vacuum, etiam supernaturæ, aut divinitus: sic censent Thomas Anglus, & Dibæus, quibus assentit Cartesius Princip. Phil. part. 2. art. 16. tum Epistolarum tom. 2. epist. 4. Communis autem Philosophorum sententia oppositum tenet. Assero itaque posse virtute divina induci vacuum. Probatur 1. Nam potest Deus annihilare totum aërem intra hoc conclave contentum, conservatis parietibus, & teeto, simulque impedire ne corpus aliud in destructi aëris locum subingrediatur: sed hoc posito, conclave maneret inane: ergo inane potest à Deo induci. Major prob. Nam è diabolo rebus realiter entitatibꝫ distinguitur, potest Deus annihilare unam; aliamque conservare: sic potest annihilare Petrum, conservato Paulo, ut est certum: sed aët intra conclave existens realiter entitatibꝫ dislinguitur à parietibus, & teeto: ergo potest Deus illum annihilare, conservatis parietibus, & teeto: potest insuper impedire, ne corpus aliud eo loci succedat; quæ enim esse potest vis, quam virtus divina superare non possit? Potest igitur Deus absque alla implicantia reddere hoc conclave vacuum.

Responderi potest cum Cartesio, in prefata hypothesi, totum illud inane, quod nos intra conclavis parietes, omni corpore sublatu, concipiimus, verè esse corpus, esset

esset enim, nec minus quam antea, trinè dimensum, suam enim haberet longitudinem, latitudinem, & profunditatem: unde quantumvis aërem in conclavi contentum Deus destruat, & cujuscumque alterius corporis ingressum prohibeat, vacum tamen inducere non poterit. Sed contra 1. quia ut sèpè dixi, confundit Cartesius corpus physicum cum Mathematico, cum tamen sint valde diversa: corpus enim physicum quid reale est; secus verò Mathematicum, quod solum est corpus per suppositionem, & intellectus nostri considerationem, à materia sensibili abstrahentem: licet itaque intellectus concipiatur inane illud trine dimensum, quasi verum corpus; re tamen nihil est: & consequenter inane est, & vacuum.

Contra 2. Nam si, ut vult Cartesius, spatium illud quod in predicta hypothesi, intra conclave necessariò relinqueretur, esset corpus reale, certè vel de novo produceretur, quando destrueretur aëris; aut aliundè à Deo ibi adduceretur; aut jam ibi erat. Non primum, nec secundum, utrumque enim est contra hypothesis factam; supponitur enim Deum intra conclave illud, aliud corpus non subrogare: ergo fatendum erit semper ibidem extitisse: & consequenter penetratum erat cum aëre: idemque dicendum erit de predicto spatio corporeo respectu cæterorum corporum: sed penetratio unius corporis cum alio est impossibilis naturaliter: ergo & impossibile erit spatium illud relictum esse corpus reale: ergo est inane.

Contra 3. Nam ex hac Cartesiana doctrina ingentia inferuntur absurdia. Si enim quidquid ita extensum à nobis concipiatur, ut trinam habeat dimensionem, corpus sit verum, & reale, certè & spatia illa ultramundana indefinita, cum trinè dimensa à nobis concipientur,

erunt

eruit verum corpus, & reale; quod libenter concedit Cartesius loco citato art. 2 r. Unde hunc mundum, totiusque materiæ corporeæ universitatem, nullos extensionis suæ terminos habere defendit: quod ut absurdum communiter rejicitur: vel enim immensum illud corpus esset à Deo productum, aut esset improductum: non secundum, quia extra Deum nihil reperitur, aut assignari potest improductum; & à Deo independens: ergo esset productum. Quæro insuper, an esset à Deo productum necessariò; an liberè. Si dicatur secundum ergo potuit Deus illud non producere: sed illo non producto, totum esset inane: ergo poterit à Deo inane, seu vacuum induci. Si verò dicatur primum, affertur divina libertas in rebus extra Deum, & ab ipso essentialiter dependentibus producendis: quod ingens absurdum est, fideique orthodoxa oppositum. Præterea si tale corpus daretur, posset ne à Deo destrui? si annuat Cartesius: ergo illo destructo, nullum corpus daretur, & consequenter induceretur inane; si verò dicatur non posse à Deo destrui, iterum officitur divina libertas. Vide itaque quot ex uno illo principio diminant absurdia: ergo tale principium falsissimum est, ac nullatenus sustinendum. Alia adhuc absurdia, quæ adversus præfatam doctrinam objiciuntur, videre poteris apud R.P. Saguens *Phys. disp. 6. art. 2.*

Sed objicies; si intra hoc conclave poneretur vacuum, parietes illius distarent, & non distarent: ergo ex positione vacui sequitur contradic̄tio. Anteced. prob. Nam parietes illi distarent, ut supponitur; aliter enim locus ille ab eisdem esset repletum. Deinde non distarent, quia nihil mediaret inter illa: ergo distarent, & non distarent. Resp. Parietes illos in præfata hypothesi, adhuc verè, & realiter distare inter se: ut enim dixi

prop.



prop. 14. ut duo corpora inter se realiter distent, non requiritur spatium aliquod reale inter ipsa actualiter intercipi; sed sufficere ut intercipi possit: distantia enim realis in eo stat, ut per tales ubicationes quodlibet corpus in suo loco ita constituantur, ut ipsis etiam immotis, possint à Deo inter ipsa tanta corpora, seu tantum spatium reale interponi, quantum illa distantia requirit. Vide dicta loco citato.

PROPOSITIO XXV.

Vacuum magnum naturaliter à nullo agente corporeo potest induci.

DIVINITUS quidem possibile esse vacuum in natura corporea vidimus in precedenti: nunc autem disquirere oportet, num sit etiam naturaliter possibile. Quoniam verò id dubitari potest, cum de vacuo ingeniti, & notabili; tum etiam de modico, & insensibili; idcirco quid de utroque videatur dicendum, seorsim determinabitur. Et quidem familiare proloquium est apud Peripateticos, & quasi Philosophicum dogma, naturam ita metuere, inò ita horrere vacuum, ut adversum ipsum, ceu infessissimum hostem, totis collectis viribus pugnare non desistat, timens ne forte si semel cum ipso fecundus inierit, ultimam cladem, & ruinam subire cogatur. Hinc vacuum naturaliter omnino impossibile esse defendant. Quodnam erit enim tam validum agens quod adversus robustissimas totius natura corporeæ vires pugnare, nedum labefactare eas possit, aut irritas reddere. Hoc tamen naturæ bellum adversus tam inane inimicum, non ita saviare judico, ut & vacuola etiam minutissima à suis finibus exterminare pertinet, inò cum ipsis amicabili foedere necessariò coniugi postea patebit. Vacua tamen magna, & notabilia,

ita

ita severè à natura indici assero, ut à nullo agente corporeo, quantumvis validissimo, possint in eamdem induci. Quod ut ostendam, corporeæ naturæ systhe- ma prout à me concipitur, innuere in præsenti oportebit.

Universam itaque hujus mundi corporei molem ita ab ejusdem Autore conditam, ita insuper ordinatam esse, & compactam fateamur oportet, ut ad munera illa, ad quæ obeunda compaginata est, aptior existat: cumque inter cætera præcipuum locum obtineat perennis ille ortus, & interitus, quo nempè ingens quotidie plurimarum rerum corporearum soboles noviter exurgens, in locum earum, qua interiere, succedit; ita certè corporum universitas coordinari oportuit, ut præfatae viciscitudines ad usque novissimum diem, perenni pericycloi persisterent: cumque hæc ab agentibus naturalibus prestanta sint, quæ non nisi per motum localem quicquam operantur, ut alibi diximus, eatenus natura corporea ordinanda fuit, ac disponenda, quatenus in ea motus localis facillimi à prædictis agentibus corporis perpetraretur. Ad id autem muneris maximè conferre corporum contiguitatem, certum videtur: licet enim in vacuo motus localis possibilis sit, ut postea patet, corporum tamen contiguitas, ut motus prædictus promptius, ac incunctantius ab uno in aliud corpus transferatur, maximè conducit; cum nequeat unum, vel tantillum moveri, quin aliud, quod in linea motus sibi contiguum est, similiter moveatur. Totum igitur adspetabile mundum, ita Deus corporibus replevit, ut nullum inter ipsa sensibile, ac notabile inane intercep- tum reliquerit.

Quoniam verò pleraque in mundo sunt corpora, quæ compressionis, aut etiam condensationis sunt ca-

pacia, ideoque ad minorem locum ab agentibus etiam naturalibus possunt reduci; certe ni in locum ab eis relictum corpus aliquod sub ingredereetur, locus ille innans, & vacuus remaneret: si itaque agentia naturalia, quemadmodum possunt praedicta corpora ad minorem locum reducere, possent & alterius ingressum in relictum locum prohibere, dubio procul vacuum quoque sensibile naturaliter propria virtute possent in naturam inducere. Id autem nullatenus praestare posse praedicta agentia, cum communiori sententia asserimus: in assignanda tamen hujus rei physica ratione, non est modica difficultas.

Peripatetici autem non aliam communiter rationem assignant, quam vacui metum illum, & horrorem, quem naturam habere dicunt, ad quem vitandum, dum de bono natura publico agitur, singula corpora, etiam adversus innatas sibi propensiones moventur: ita ut gravissima etiam corpora, neglecta ad locum inferiorem propensione, sursum ascendant, ut laboranti naturae succurrant. Hæc autem metaphorica tantum esse, solumque oratorias, moralesque rationes continere; philosophicas verò minimè, videtur perspicuum. Præterea falsum omnino esse, aliquam praeditis corporibus inesse virtutem, ut in casu enarrato contra innatam suam propensionem sursum ferantur, aliquibus rationibus convincitur.

Probatur 1. Quia nemo prudens asserere posse videtur, eidem corpori duas inesse virtutes innatas, easque sib invicem contrarietate oppositas, quarum alia in aliquibus; alia verò in aliis casibus utatur. Quis enim corpus insensibile, ex.gr. aquam, moneat, ut nunc innata sua gravitate utens, deorsum feratur; modo verò sursum adscendat, quia vacuum imminet: harum certe

virtutum usus non modica discretione comitari oportet, ne forte corpus illud, cum descendendum est, ascendet; aut è contra.

Probatur 2. Nam prædicta corpora nullatenus virtute propria ascendere, quando de vitando vacuo agitur, multis experimentis convincitur, unicum tamen, eumque fatis obvium, proponam. Sit tubus AB, (fig. 2.) cuius pars BC aqua immergatur. Sit embolus DC, qui sursum educatur: embolum sequetur aqua contra innatam ejus gravitatem, idque, ut ajunt, ne inter embolum, & aquam fiat vacuum. Ascensum autem illum non procedere ab aqua, sic &, ni fallor, evidenter probatur. Si enim aqua propria virtute ascenderet, qui trahit embolum numquam sentiret pondus aque: sed hoc est contra experientiam: ergo aquæ ascensus ab ipsa aqua minimè producitur. Major prob. nam non ob aliam rationem, cum lapidem elevo, ejusdem pondus exterior, nisi quia lapis non propria virtute ascendet; sed potius à me contra ipsius nativam gravitatem elevatur: si ergo intra tubum aqua propria virtute ascenderet in nostro casu, non sentiretur ejus pondus. Hoc idem convincitur aliis quamplurimis experimentis.

Id autem videns P. Honorat. Fabri in Append. r. ad *Metaphysicam*, prop. 20. quandam excogitavit unionem inter cuncta corpora universi, non quidem veram, formalem, & physicam, sed tantum æquivalentem, qua nempè corpora universa ad vitandum vacuum, alia ab aliis trahuntur, renuente etiam innata eorumdem inclinatione; sed hæc ut optimè notat P. Franc. Milliet lib. i. *Statica, digres. 6.* Metaphysicam præcisionem sapiunt, nec ad res physicæ, quicquam conferre possunt, nisi ulterioris physicè explicitentur: ut itaque id praestare pos-

sumus, ad physicum naturæ corporeæ systēma, prout à nobis concipiatur, redēamus.

Totum itaque mundum, ut dixi, ita corporibus replevit Deus, ut nullum inter ipsa sensibile vacuum reliquerit: loca enim illa, quæ à majoris molis corporibus occupari non possunt, materia quadam supra modum subtilissima, ac fluidissima replevit, quæ nihil aliud est quam subtilissimorum corpusculorum congeries, quæ quidem corpuscula absque inconvenienti ullo, materialm aetheream possumus appellare: quidquid tandem de nomine sit, ea supponimus esse omnino incapaciatum condensationis, ac rarefactionis: tum similiiter compressionis, aut tensionis: esseque medium ceteris corporibus commune, ita ut nulla sint gravitate, aut levitate prædicta; sint tamen ex se quaque versum ingenti facilitate mobilia. Alia præterea corpora ita dispositi, ut ad globos totales compingendos, innata sua gravitate conspirarent, ut suo loco dicemus: sic terrena corpora, & quæ circa Tellurem sunt aera, ad ejusdem centrum suæ naturæ propendunt. His igitur nunc leviter tantum exposicis, simulque suppositis, nullo, ni fallor, negotio ostenditur, in natura corporea nullum ab agentibus naturalibus corporeis posse notabile vacuum induci.

Quoties enim corpus aliquod sensibile à loco removetur, in locum ab eo relictum aliud corpus naturaliter succedere necesse est: sic dum corpus aliquod ab uno loco in alium transferimus, consensum locus relictus ab ambiente aëre occupatur: cum enim fluidissimus sit, & gravis, suæ naturæ statim ad illum locum replendum accurrit, ut scilicet ad debitam sibi libellam coaptetur: non secus quam cum corpus aquis submersum intra illas movetur, statim in locum relictum pro-

fluens

fluens aqua, innata sua gravitate, ac fluiditate accurrens, ingreditur. Si autem locus à corpore relictus, ab aëre, aut alio fluido sensibili non occupetur, eo quod à validiori agente ejus accusurus prohibeatur, non exinde vacuus remanere censendus est; repletur enim ab alio fluido insensibili, ab illa nempè materia subtilissima, de qua superius sumus loquuti. Cum enim penetratio sit naturaliter impossibilis, corpus à loco extractum, & in alium translatum, magnam præfætæ materiæ subtilissimæ partem commoveret, & ab eo loco extrudit, cui implendo corpus illud accedit: hoc autem extrusionis motu, non alibi potest præfata materia moveri, nisi ad locum à corpore illo relictum; cetera enim sunt omnia plena: unde prædictus locus non inanis relinquitur, sed materia illa subtilissima est repletus. Hinc vides omnem locum vel à corporibus sensibilibus, vel ab insensibilibus esse repletum. Ex quo tandem infero nullum ab agentibus corporibus posse causari notabile vacuum; idque sequenti ratione concludo.

Ut ab aliquo agente corporeo posset induci vacuum, opus erat ut extracto uno corpore à proprio loco, omnis alterius corporis ingressus in relictum locum prohiberetur: sed à nullo agente corporeo potest omnis alterius corporis ingressus prohiberi: ergo neque vacuum induci. Min. prob. Nam licet agens corporum possit aliquoties prohibere corporis sensibilis ingressum; non tamen poterit ingressum subtilissimæ illius materiæ impedire: ergo non potest omnis corporis ingressum prohibere. Antec. prob. Licet enim corpus aliquod, quantumvis solidum, accurantis illius materiæ cursui opponatur; ipsa tamen cum subtilior multò sit poris illius corporis, per illa interlabetur, suumque cursum, nullo fere impedimento perficiet, locumque reli-

atum

etum ingressa, illum occupabit: non ergo potest corpus aliquod illius materiae subtilissima ingressum prohibere: & consequenter cum nullum sit agens corporum, quod omnino poris sit destitutum, nullum erit, quod saltim hujus materiae ingressum in locum relatum prohibere posset: & per consequens, nec vacuum inducere.

Vides hic in quo tandem physicè stet totum naturae corporeæ studium, ad inane è finibus suis excludendum; ut tamen id adhuc tibi clarius appareat, aliqua experimenta juxta prefatam doctrinam sequentibus propositionibus exponam.

PROPOSITIO XXVI.

Quæcumque metu vacui accidere communiter dicuntur, solam gravitatem, ut causam agnoscunt.

Diversa sunt experimenta, ex quibus inferunt plerique Auctores naturam horrere vacuum; quatenus nempè non aliam illorum causam assignare solent, quam prædictum vacui metum. Assero tamen omnia ad corporum innatam gravitatem posse tandem reduci, ideoque ex eis metum, & horrorem vacui nullatenus inferri.

Experimentum primum est, quod nuperrimè proposuimus de Anthlia, in qua dum trahitur Embolus, aqua ascendit. Assero itaque aquani impelli ad ascensum intra tubum ab aëre incumbente reliquis partibus aquæ extra tubum existentis, ipsasque sua gravitate premente. Quod ut explicem, supponendum nunc est aërem esse gravem, quod satis probatum est in nostro Compend. Mathem. tract. 10. de Statica, & suo loco amplius probabimus. Hoc itaque supposito: dum embo-

bolus DC (fig. 2.) aquam attingit, aér gravitat tum in aquam CB intra tubum contentam, tum in aquam in vase stagnantem; cum verò elevatur embolus, elevatur simul & aér super ipsum incumbens, impediturque ejus gravitatio in aquam tubo contentam: cumque interea incumbat aér super aquam extra tubum in vase stagnantem, eamque premet, hac pressione aquam cogit intra tubum ascendere, ac insequi embolum: id verò necessariò sequi probatur; nam dum elevatur embolus, aqua extra tubum existens, majus haber supra se pondus, quam aqua intra tubum contenta; supra illam enim incumbit, & gravitat aér; non verò in istam: ergo ut servetur æquilibrium, illam descendere; & hanc intra tubum ascendere oportet. Licet autem hoc satis perspicuum sit, juvat tamen exemplo aliquo ulterius demonstrare.

Sint duo tubi communicantes CED, (fig. 3.) in quibus sit aqua usque ad lineam AB; certè aqua in utroque eandem altitudinem obtinebit, eo quod aëris aqua moles in utroque tubo super aquam incumbat, eritque æquilibrium. Jam loco aquæ AEB supponatur Mercurius; hoc posito, si in partibus AC, BD infundatur aqua, erit ob rationem supradictam æquilibrium; si verò auferatur aqua BD, solaque remaneat AC, impellat Mercurium AEB, cumque coget ad ascensum in tubo BD, pro ratione aquæ gravitantis in AC. Idem omnino contingit licet tubus non sit recurvus; sed in ea dispositione, qua exprimitur in fig. 4. Si enim in vase MON Mercurius infundatur usque ad HI, Mercurius per inferiorem partem tubi utrimque aperti, ascendet tantum usque ad eandem altitudinem horizontalem HI; si verò in vase infundatur aqua, Mercurius ascendet per tubum supra prædictam lineam HI, eo scilicet quod

quod aqua, sua gravitate, premet Mercurium extra tubum exilientem; non vero eum, qui intra tubum continetur; unde hic cogetur ascendere, donec fiat equilibrium Mercurii intra tubum, cum aqua & Mercurio positis extra illum. In casu itaque Anthlia posita in fig. 2. idem similiter evenire debet; nam aggregatum ex aere, & aqua extra tubum positum, cum majoris ponderis sit sola aqua intra tubum existente, cum embolus educitur, eam ascendere coget donec fiat equilibrium.

Præterea hanc esse genuinam causam ascensus aquæ dum in casu fig. 2. extrahitur embolus, inde evidenter confirmatur, quod scilicet in illo scyphone, aqua solùm ascendere possit ad determinatam quandam altitudinem, ad illam nempe præcisè, in qua sit in æquilibrio cum aere; licet enim tubus AB sit ingentis altitudinis, aqua solùm ascendet ad trigeminum tertium circiter pedem altitudinis; non vero amplius, quia 33. aquæ pedes æquales sunt in gravitate, aëri in terras gravitant. Quod si loco aquæ substitueretur in eodem vase Mercurius, ad duos tantum pedes cum duobus digitis intra tubum ascenderet: duo si quidem pedes Mercurii cum duobus digitis, ut experientia testatur, æquilibres sunt triginta tribus pedibus aquæ; & consequenter, & aëri supra terram gravant: rectè igitur hoc experimentum, aliaque similia ope gravitantis aeris explicantur.

Objicies tamen 1. Si in prædicto casu, aqua ideo ascenderet intra tubum, quia ab aere exterius incumbente cogitur ad ascensum, manus elevans embolum non sentiret aquæ pondus; cum non ab ipsa, sed à prædicto aere elevetur: sed hoc est contra experientiam, ut alibi diximus: ergo, &c. Resp. Manum elevantem embo-

borp

lum,

lam, verè sentire aquæ pondus; causam tamen esse, quia dum illum elevat, aeris cilindrus embolo imminent, super illum gravitat, ac deorsum impellit, qui quidem impulsus æqualis est gravitati aquæ tunc temporis intra tubum elevata. Sed de his alibi.

Objicies 2. Si gravitas aeris causa esset ascensus humoris per tubulum prædictum, impedita aeris gravitate, impediretur humoris ascensus: ergo, &c. Min. prob. Nam si vas EB (fig. 2.) uniuersè sit perfectissimè clausum, impeditur gravitatio aeris super aquam in eo inclusam: sed in hoc casu ascendit aqua per tubum, cum extrahitur embolus: ergo aquæ ascensus non à gravitante aere, sed ab alia causa procedit, nempe ne detur vacuum. Huic difficultati plene satisfactum iri haud dubito, si hujus aeris, in quo versamur, status spectetur.

Certum enim est 1. Aerem istum talis esse naturę, ut compressionis ope ad minorem locum, nullo ferè negotio, se pessimè reducatur: experimur enim in vas aliquod optimè clausum, posse aliqua vi intrudi vige cuplo plus aeris, quam sit capacitas illius vasis.

Certum etiam est 2. Supposita aeris gravitate, hunc inferiorem aarem compressionem pati à superincumbentis aeris mole; hujus enim pondus, eum qui prope terram exsilit, ad minorem locum revocabit, quam haberet, si moles illa super eum non insisteret: exemplum habes in lanæ ingenti cumulo, in quo, quæ desuper incombunt, inferiorem coarctat, & comprimit.

Certum est 3. Corpora compressa sui dilatationem exigere, ita ut statim ac causa comprimens recedit, virtute illa sibi innata, quam Philosophi Elastican appellant, ad connaturalem sibi extensionem restituantur, de quo latè suo loco pertractabimus.

His suppositis, aperte solvitur obiecta difficultas: nam cum in machina nostra aer, qui supra terram est, includitur obturazione vasis, eundem statum habet, quem antea habebat: sed antea erat compressus, à pondere superincumbentis aeris: ergo & post clausuram, est similiter compressus: sed compressio æqualis erat virtuti comprimenti, nempe gravitati aeris: ergo in ea clausura compressionem habet æqualem gravitationi aeris: sed vis elasticæ, ut ad pristinum statum revocet corpus compressum ope dilatationis, æqualis est compressioni; est enim elasticitas ut compressio, ut suo loco patebit: ergo post clausuram, habet inclusus aer vim se se dilatandi æqualem gravitationi aeris: ergo hæc vis, dum embolus aquæ incumbit, æqualis est gravitationi aeris supra embolum; atque adeò erit cum ipsa velut in æquilibrio; ubi verò attollitur embolus, at tollitur & aer super illum incumbens; & consequenter ausertur æquilibrium; daturque locus aeri in vase inclusu, ut se se amplificet; qua dilatatione aquam in vase contentam premit, eamque ad ascensum impellit: imò & educationem emboli adjuvat, ita ut initio illius motus vix sentiatur aeris incumbentis gravitas in embolum. Ubi verò inclusus aer ita fuerit dilatatus, ut ad suum statum connaturalem proprius acceperit, vis ejus elasticæ languescit, juxta communem elaterum legem, qui in principio, cum nempe sunt vehementius adducti, potentius agunt; in fine verò languescent; unde fit non jam aerem inclusum in vase educationem emboli adjuvare; ideoque sentitur totum emboli, & aeris pondus: idem igitur evenit sive vas clausum fuerit, sive aperatum.

Experimentum 2. est satis obvium in machina illa, que *Thermometrum* appellatur, eo quia ambientis aeris

frigus, aut calorem, diversoque harum qualitatum gradus demonstrat; de quo egimus in Compend. Mathem. tract. 12. de *Hidrotechnia*, cap. 4. cuius ut ibidem dixi, diversi sunt modi, quorum unum, eumque simplicissimum in præsenti exponere sufficiet. Sit vitrea ampulla longiori collo instrueta, ut in fig. 5. appareat, quæ aere tantum sit plena, calefat tota ampulla: deinde ejus orificio immittatur in aquam: quo facto, dum frigescit aer, aqua ascendet per collum usque B, aut D, ibique subsisteret. Deinde si calefat aer DA, descendet aqua usque ad B, aut E: ita ut vel levissima calor, aut frigoris mutatio ex aqua ascensi, vel descensi dignoscatur. Causam autem hujus experimenti esse aeris gravitatem, sic ostendo.

Dum initio experimenti, aer inclusus in toto thermometro calefit, rarescit, & majorem extensionem localem requirens, magna ex parte, è thermometro egreditur; compertum enim est, aerem calore rarefieri, & frigore condensari; quo fit parum aeris manere intra thermometrum: neque enim aer externus interni calefacti, ac rarefacti exitum compescere potest, dum adeò rarefactionis causa, oportebat enim cum pugnare adversus aeris se se dilatantis resistentiam, simulque adversus calorem illum rarefacientem. Cum itaque in hoc statu orificio colli intra aquam mergitur, & inclusus aer incipit frigesci, ausertur paulatim ejus rarefactio, & jam multò minus compressioni resistit: quare incipit aer externus gravitatione sua aquam premere, eamque impellere in thermometrum, & aerem inclusum coarctare quantum possit. Hinc fit, crescente frigore, aquam plus ascendere in thermometro, aer enim ibidem inclusus, frigore constringitur, & ad minorem adhuc locum revocatur, majorque adversus illum est aeris externi

prevalentia: remissione autem frigoris, aut accessu caloris, aqua descendit ob rationem oppositam. Ex hoc principio diversæ exortæ sunt thermometrorum species, de quibus alibi.

Experimentum 3. desumitur à vitreis illis cucurbitulis in Medicina satis familiaribus, quæ hoc modo applicantur. Calefit aer inclusus quantum fieri potest: dein statim carni firmiter applicantur, ita ut nullus externo aeri circa cucurbitulæ labra pateat ingressus: tum frigescit cucurbitula applicatione pannorum madidorum; quo facto elevatur caro intra cucurbitulam, & sapè etiam ossa, si quæ fuerint luxata: & si caro incidatur, non modicus sanguis exilit. Hujus phænomeni causam ad metum vacui tribuunt plerique; provenire tamen censeo ab aeris gravitate, quod sic mihi persuadeo.

Multi sunt intra corpus humanum spiritus, qui majorem extensionem obtinerent, nī pelle, & carne continerentur; pellis autem ab aere ambiente ope gravitatis, & elasticitatis comprimitur. Quod evidenter convincunt experimenta in Anthlia Boyleana facta, quæ suo loco adducentur, cum nempè de aeris elasticitate erit sermo. Hæc autem compressio, quia continua est, & ex omni parte nostra corpora premit, non sentitur, imò est viventibus connaturalis, qua sublata, eorum pellis haliitus inclusos non contineret. Dum ergo cucurbitula, in qua parum remansit aeris, carni applicatur, & aer in ea inclusus frigescit, carnem ascendere necesse est: aer enim ille, multum ac facile comprimi potest, nullaque ferè habet vires, quibus compressioni resistat: hinc jam non est in æquilibrio cum spiritibus intra corpus inclusis, ac majorem extensionem affectantibus, quare spiritus isti distenduntur, ac dilatantur, pelleisque, carnis-

que fibras distendunt, & int̄a cucurbitulam intrudunt: imò & aeris externi gravitas, dum exterius undique carnem premit, præfatos spiritus versus cucurbitulam impellit, quo pellis, ac carnis ascensus augetur. Quoniam vero sapè pelli, aut carni connexa sunt ossa, ideo hæc attolluntur, si quæ fuerint luxata, ac in proprium locum restituuntur. Ex his alia similia experimenta facile eisdem principiis possunt exponi.

PROPOSITIO XXVII.

Experimenta quibus probari videtur, actu vacuum notabile, ac sensibile induci, id non con-

vincunt.

Vacuum etiam magnum, aut notabile posse ab agentibus corporeis induci, defendit R. P. Maignan *Phil. nat. cap. 9. num. 10.* ejusque discipulus R. P. Saguenus *Phys. disp. 6. art. 8.* Cum verò oppositam sententiam teneamus ob rationes prop. 25. adductas, eas oportet dissolvere, quæ ab his, aliisque doctissimis viris nobis objiciuntur.

Objiciunt itaque aliqui 1. experimentum illud celebre, quod *Torricellianum* appellatur, eo quod Torricellius omnium primus asseratur hoc experimentum fecisse; deinde Paschalis filius: de quo insuper scripsere Valerianus magnus, Stephanus, Natalis, Cassatus, Gas-sendus, Pequetus, Poirius, apud P. Millietum *Stat. lib. 1. diges. 7.* Quod sic se habet. Sit canaliculus vitreus AC (fig. 6.) una sui parte hermetice sigillatus; ejusque longitudine major sit duobus pedibus cum dimidio; crasties verò qualibet; impletur Argento vivo: tam dígito obturetur os illud per quod Mercurio fuit impletus: tum invertatur canaliculus, sic dígito clausus, ac in vas aliquod, etiam Mercurio satis refertum ejus

eius extremitas simul cum digito obturante immittatur: post immersionem removeatur digitus, aperiaturque ejus orificium; & statim Mercurius ex canaliculo in vas illud descendet; non tamen totus, sed permanebit in ipso canaliculo ad usque altitudinem AE: ita ut à superficie HI Mercurii stagnantis usque ad E sint duo pedes cum duobus digitis. Id autem insuper est notandum, quod sive longior sit canaliculus, sive brevior; sive crassior, sive exilior; sive uniformis crassitie, sive difformis; sive in summitate habeat ampullam adjectam, sive non, eadem semper est altitudo Mercurii, nempe ad usque horizontalem EG distancem à superficie HI duos pedes cum duobus digitis: ita ut si inclinetur canaliculus, ut in BL, Mercurius repletat totam partem BD: & si ulterius inclinetur ut in FG, totus sit Mercurio repletus. Innumera sunt phænomena, quæ in hac machina observantur, quorum ea solum nunc exponentur, quæ ad præsens scopum pertinere possunt, reliquis in aliud locum relictis.

Ex hoc itaque experimento, posse naturaliter vacuum notabile induci, aliqui tamquam certum inferri voluerent: putant enim partem EC à Mercurio in canaliculo relictam, omni corpore esse defitutam: & consequenter omnino vacuum remanere. Affero tamen spaciū illud, aliquo corpore esse plenum: quod sequentibus rationibus quasi evidenter convincitur. Probatur 1. Nam omne illud, quod est capax rarefactionis, & condensationis, corpus est: sed quod in superiori illa parte tubi continetur, est capax condensationis, & rarefactionis: ergo corpus aliquod est. Major est certa: vacuum enim, cum nihil sit præter corporis carentiam, non est capax rarefactionis, & condensationis. Minor autem probatur experientia: nam si pars illa

su-

LIBER III. CAPUT III. 271
superior canaliculi calefiat, descendit Mercurius; si vero notabiliter infrigidetur, ascendit ultra stationem consuetam: ergo pars illa dilatatur, & coarctatur, quod fit ope rarefactionis, & condensationis.

Probatur 2. Nam pars illa tubi superior est luminis capax: eodemque modo fiunt in ea luminis refractio-nes, ac si esset aëre, aut simili corpore plena: ergo spatium illud est aliquo corpore plenum. Conseq. probatur: vel enim lux est substantia corporea; vel qualitas entitativa: si qualitas: ergo in illo spatio aliquod cor-pus diaphanum reperitur, quod luminis sit subiectum; si vero lux sit corpus subtilissimum: ergo istud replet spatium prædictum; & quemadmodum lux per vitri poros ingreditur, aliud subtilissimum corpus similiter ingredi poterit, quod abiente lumine, locum illum re-pleteat: & præterea sive substantia sit, sive qualitas, ali-quod medium in præfato loco reperit, in cuius ingressu, & egressu suas refractions perficiat.

Probatur 3. Si pars illa superior tubi vacua esset, dum occluso inferiori orificio A, invertitur tubus, ita ut pars illa CE inferius collocetur, deberet Mercurius quasi subito descendere, ut vacuitatem illam impleret, relecta in alio extremo simili vacuitate: sed ut experien-tia constat, vacuitas illa apparenſ non nihil resistit def-ſensi Mercurii; inde in exilioribus tubis Mercurium sustentat, nec descendere permittit, ut sepiſſime exper-tum est: ergo verè ibi est aliqua substantia corporea locum illum replens.

Sed quæres, qua subingredi possit in hermetice clau-sum canaliculum prædicta substantia? Rep. ingredi per vitri poros. Ut enim suo loco probabimus, aër iste noſter ingentem continent diversarum substantiarum miscellam, quarum alia aliis ita subtiliores sunt, ita dein

dein figurata, ut vitri poros permeare possint: hec itaque particulae, descendente Mercurio ad usque consuetam stationem, à ceteris particulis aereis, quae multa elasticitate sunt prædictæ, quaqua versum extruduntur, cumquæ in loco illo, dum à Mercurio relinquitur, nihil sit quod prædictarum particularum ingressum prohibeat, per vitri poros subingrediuntur, locumque illum occupant, simul cum particulis æthereis, quibus omnia corpora pervia sunt: ceteræ verò aeris particulae, ob figuram raniosam quam habent, poros vitri, & communiter neque aliorum corporum, pervadere nequeunt; ideoque in cavitatem illam non ingrediuntur.

Sed instabis: Si substantia prædicta in aere delitescens, & cum eo permixta, poros vitri pervadere posset, non esset cur Mercurius ad illam altitudinem intra tubum consisteret: sensim enim subingrediente illa substantia, Mercurius omnino descenderet: ergo nostra hypothesis non est sustinenda. Resp. Substantiam illam subtilissimam per vitri poros subeuntem, magna ex parte constare particulis æthereis, quae cum gravitatem non habeant, subsistentiam Mercurii in illa statione, quæ ab aere externo gravitante causatur, minimè possunt impedire; reliqua verò substantia, cum sub eadem mole, si aere multo minoris gravitatis, neque extantiam illam Mercurii immutare, saltē sensibiliter potest. Dixi *saltē sensibiliter*, nam si talis materia absinet, solumque ibi reperiretur æther, ad majorem aliquantulo altitudinem consisteret Mercurius: quod licet nullo positivo experimento probari possit, nullo tamen ex adverso potest falsitatis convinci.

P. Claudio Milliet loco suprà citato, aliter discurrit: ait enim in omnibus corporibus, præsertim fluidis, plurimas aeris particulas contineri, tisque adhærescere,

quæ

quæ cum interceptæ sint, aliisque permixtæ, & colligatae, non ita facile à vinculis illis se expedire possunt; quod experimentis aliquibus probat, præcipue dissolutione corporum per aquas stygias, in qua, dum peragitur, multis aer, ac spiritus cernitur è corporibus illis erumpere. Quod & ego ulterius confirmo experimento à Roberto Boyle instituto in suo recipiente: immisit enim illi phialam aqua plenam, aliquantulo calefactam: tum aerem è recipiente extrahere cœpit, modo quo suo loco dicemus; & ad quartam exutionem, aqua bullire vissa est, quasi vehementi igni fuisse admota: quod non alia causæ potuit attribui, quam corpusculis aereis, igneis, & similibus in aqua inclusis, quæ cum elatica vi prædicta sint, remota aëris pressione, expandebantur, ac in sublime elevabantur.

Similiter itaque ex Mercurio intra canaliculum ad consuetam stationem posito, ob eandem rationem, plurimi elevantur spiritus, qui summitem illam canaliculi replent. Quod inde confirmat præfatus Auctōr, quod Mercurius, licet aliundè gravissimus sit, est tamen experientia teste, maximè volatilis. Tum etiam quia dum eodem Mercurio sibi experimentum prædictum iteratur, non tam descendit Mercurius; multi enim ea repetitione deprenduntur spiritus, quorum defectu, aëris pressioni Mercurium elevanti, ac sustinenti, non ita resistunt, ac antea, ideoque altius ab aere elevatur, ac sustinetur. Ego autem censeo ex utraque causa assignata posse subministrari materiam subtilem, quæ summitem illam tubi à Mercurio relictam repleat. R. P. Saguenus nobis objicit machinam Booleanam, in qua vacuum reperiri, ex phænomenis, quæ in ea observantur, probare contendit: ceterum prædictorum phænomenon non causam aliam omnino esse patebit, cum de aeris

PROPOSITIO XXVIII.

Vacuum magnum, seu notabile potest ab Angelo induci.

Probatur, nam potest Angelus totum aera intra hoc conclave contentum extra illud adducere: ac præterea impidire, ne alias aer, aliudve corpus in locum illum ingrediatur: vis enim, qua aer, aut aliud quodcumque corpus ad implendum conclave accurreret, esset aut gravitatis, aut elasticitatis, ut superius diximus: sed hanc coercere, ac enervare potest Angelus, cuius virtus est longe superior: potest igitur Angelus accussum corporis illius impedire: sed hoc posito, conclave maneret vacuum: ergo istud potest ab Angelo induci.

Sed objicies: Angeli non possunt virtute sua prævalere adversus perfectionem universi: licet enim agere possint adversus aliquarum causarum particularium inclinationem; non tamen contra totius universi perfectionem: dicente Apostolo ad Hebr.2. v.5. *Non enim Angelis subiectit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Resp. Angelos de potentia ordinaria non posse prævalere adversus perfectionem universi; bene verò de potentia absoluta: habent enim ex se vim montes transferendi, ac maria de loco in locum transmutandi: id tamen eis à Deo non permittitur. Præterea non video Angelum operaturum fore contra generalem universi perfectionem, si hanc cameram vacuam redderet: solum enim ad id præstandum opus esset, ut suam potentiam exiceret adversus aerem, aliave corpora, quæ sua materiali virtute ad ingressum in locum illum properarent, ea nemp̄ sistendo, motumve illo-

LIBER III. CAPUT III. 275
illorum coercendo. Verba autem Apostoli communiter intelliguntur à Sanctis Patribus de Regno Christi, videlicet aut de Ecclesia, aut de gloria: aut de universo mundo post mortuorum resurrectionem: unde ex illis nihil adversus nostram assertionem concludi potest.

PROPOSITIO XXIX.

Datur actu in natura corporea inane disseminatum, seu vacuola mundi corporibus interspersa.

Dari in natura corporea vacuum disseminatum, hoc est, reperiri passim corporibus interspersa vacula, seu spatiola inania, tenent ex antiquis Pythagoras, ejusque discipuli; tum & Leucippus, Democritus, Metrodorus Chius, Epicurus, & alii plures. Item Hero Alexandrinus, qui in Praefatione in Spiritalia id abunde probat. Idem sentit Lucretius lib.1. afferens.

..... *Natura duabus consistit rebus, que corpora sunt, & inane.*

Hos sequitur Petrus Gassendus Phys. sect. 1. lib. 2. cap. 3. Auctor Phil. veter. & nova, Phys. gener. tract. 3. differt. 1. cap. 3. Duhamel de consensu veteris, & novæ Phil. lib. 2. cap. 3. R.P. Maignan Phil. nat. cap. 8. prop. 9. R.P. Saguenus Phys. disp. 6. art. 9. Calimirus Phys. par. 1. disp. 3. art. 2. queſt. 1. & communiter Atomistæ, quibus jam nostris temporibus adhærent plures ex Peripateticis. Hinc obiter patet, quam immerito Iulianus Palanco lib. 4. Phys. queſt. 4. num. 6. doctissimum Maignanum nota singularitatis inurat, quod hanc sententiam defendat à tot, tantisque Philosophis propugnatam.

Nostra itaque assertio probatur 1. communiter ratione defumpta ex motu. Si nulla essent vacuola corporibus interspersa, nullus in rerum natura fieri posset motus localis: ergo, &c. Anteced. probatur. Ad hoc

ut corpus aliquod moveatur, ex. gr. per aëra, necesse est corpus mobile protrudere aërem anteriorem in aliū locum: atqui illū non posset in aliū locum protrudere, si nulla esset vacuola corporibus passim interspersa: ergo, &c. Major patet: neque enim corpus moveri potest, quin in locum aëris anterioris subeat: nequit autem in eum subire, persistente ibi anteriore aëre: aliter enim daretur naturaliter penetratio: oportet ergo corpus mobile anteriorem aërem protrudere, ut moveri possit. Minor autem prob. Nam nequit corpus mobile anteriorem aërem in aliū locum protrudere, nisi adsit aliis locus, vel prosum, vel retrosum, vel ad latera occupabilis ab illo aëre protrudendo: sed si nulla dentur vacuola, nullus est locus occupabilis, cum omnia sint plena: ergo si nulla dentur vacuola, non potest corpus aërem anteriorem in aliū locum protrudere: & consequenter nec corpus illud moveri possit.

Vérum hæc ratio non satis rem convincere videtur: potest enim responderi, eodem instanti reali, quo corpus per aera moveri incipit, locumque suum deserere, incipere quoque aërem, ipsi proximum, ejus locum occupare: simul enim atque corpus loco moveri incipit, anteriorem aërem protrudit, hicque aliū, donec motu quasi circulari, locus qui à corpore relinquitur, ab aere occupetur. Quod quidem satis appositè explicat Cartesius, exemplo globulorum, qui in orbem disponuntur: cum enī unum ex his dextrorsum impellis, hic sibi vicinum in easdem partes trudit; hicque rursus aliū, donec continuato pulsū locus, quem primus deserit, à proximo simul occupeatur, ita ut primus globus loco non cedat, quin eodem instanti in ejus locum succedat aliū. Quod amplius confirmari potest

exem-

exemplo rotæ, quæ circa proprium centrum moveatur: nulla enim peripheria pars locum mutat, quin eodem instanti, quæ pone est, locum ejus ingrediatur: certum autem est, perinde rem se habere, sive partes illæ continuæ sint, ut in rota; sive contiguæ, ut in globulis, & in aere.

Probatur 2. communiter, nam his vacuolis disseminatis optimè explicatur corporum rarefactio, eorumque condensatio: dum nemp̄ asseritur, tunc corpus rarefieri, cum ejus partes ab invicem recedentes, plures vacuitates interspersas admittant, tunc verò densari, cum ejus partes adinvicem proprius accedentes, minorā vacuola intercipiant: similiter autem & comprescio, ac tensio explicari possunt. Præfatis autem vacuolis non admissis, difficilis admodum redditur horum phænomenon explicatio. Hoc autem argumentum, minime contemendum est: quoniam verò de his corporum statibus alibi pro dignitate est pertractandum, hanc rationem ulteriùs non produco.

Probatur 3. Experimento à Gassendo loco citato adducto. Salem enim communem in aquam injectit, donec aqua veluti satiata, nihil ejus posset amplius exsolvere. Tum Alumen in eandem aquam injectit: dein Halinitrum, Sal Ammoniacum, Saccharum, & alia similia, que omnia similiter fuere in illa aqua dissoluta. Cujus experimenti ratio nulla alia esse posse videtur, nisi quod abeunte sale communi in minutissimas particulas, quæ cubica sunt; cum reperiantur intra aquam consimilia spatiola, ipsis capientis capacia, in ea ingredintur, quibus repletis, salis communis exsolutione cessare debet, cum nulla jam supersint spatiola prædictarum particularum capacia. Hoc autem nihil obstar aliorum salium exsolutioni: licet enim loculamenta cubica, cubicis

bicis particulis salis communis repleta sint; sunt tamen alia octahedrica particularum Aluminis capacia, quæ hujusmodi sunt figurae: tum & aliorum salium: sunt igitur in eadem aqua varia, insensibilia licet, locula menta, eaque inania, quæ præfatorum salium particulis adaptantur, quæ cum particularum sibi similium fuerint repleta, jam ultra salis illius exsolutioni fieri non poterit.

Hoc tamen argumentum non omnino concludit: 1. quia poterunt spaciola illa alio corpore subtiliori esse plena, quod injecto sale, recedit. 2. quia non est cur intra spaciola octahedrica non possint ingredi spaciola cubica. 3. quia si exsolutorum salium particulae ita apparentur suis quæque vacuis spaciolis, aqua, cum illis fuerit saturata, non intumesceret: sed hoc est contra experientiam: non igitur ex hoc experimento convincitur aqua spaciola fuisse penitus inania.

Probatur itaque 4. ex ipso atomorum contextu, quo singula corpora componi diximus. Certum enim est omnia corpora sensibus obvia, ex minutissimis particulis componi, ut alibi satis aperte probatum est, quarum aliae aliis innexæ, in subtilem fibras distenduntur, aliæ in tubulos efformantur, aliae tandem variis modis cum prædictis intexuntur, donec corpus organicum consurgat. Quoniam verò hujusmodi particulae diversimode sunt figuratae, necesse est inter ipsa aliqua interstitia relinquiri, quæ pori communiter appellantur. Præfatae porri particulae, subtilissime licet sint, ex aliis subtilioribus componuntur, quæ, quod inseparabilia sint, atomos appellamus: cumque nec atomi uniusmodi sint figuræ, sed innumeris modis figurentur, ut alibi dixi, quadam etiam spaciola minutissima inter se necessario relinquunt, quæ etiam poros subtilissimos appellamus. Li-

cet autem majores illi corporum pori, seu meatus, subtiliori corpore, aere scilicet, aut ethere, pleni sint; minutissimi tamen illi pori, seu atomorum interstitia, nullo corpore subtilissimo possunt repleri: & quidquid sit, si aliquo repleantur, corpus illud subtilissimum in poris illis contentum, ex atomis similiter componitur, quæ profectò non ita possunt ob figurarum varietatem sibi adamusim convenire, ut foraminula etiam non intercipiant, quæ cum alio subtiliori corpore repleri non possint, ne procedamus in infinitum, vacua relinqui necesse est: sunt ergo in corporibus vacuola minutissima disseminata omnino admittenda.

Sed objicies. Vacuola disseminata valde perturbarent inter agentia corporea commixtum: ergo non sunt admittenda. Anteced. prob. Nam ignis longè difficilius lignum calefaceret, si inter ipsum, & lignum vacuola illa interciperentur: in illis enim actio ignis hæreret: cum enim vacuum calefieri non possit, alioquin esset corpus, certè calor ibi sisteret, & non nisi per latera obliquè procederet: perturbaretur igitur, ac magna ex parte minueretur actio ignis in lignum: idemque dicendum erit de ceteris agentibus corporeis. Sed respondeo negans anteced. Ad cuius probationem dico actionem ignis, ceterorumque agentium naturalium, per lineas quidem rectas intra sphæram suæ activitatis propagari; hujusmodi tamen lineæ physice sunt, suam habentes latitudinem; ex corporeis enim particulis componuntur sibi contiguis: hanc autem contiguitatem cum vacuola illa non omnino tollant, nihil propagationi prædictarum actionum possunt officere: eadē enim facilitate, imò forsitan majori, illis vacuolis admissis, ab agente ad passum fit actionum propagatio, in nostra præsertim sententia, quæ non per qualitates physicas,

sicas, sed per corpusculorum motus, effectus agentium naturalium exponit. Sed hoc amplius suo loco patet.

PROPOSITIO XXX. *Casu quo vacuum notabile daretur, possibilis esset in eo motus lationis.*

SEmper mihi visum est inutiliter tempus insumi in quæstionibus illis enodandis, quæ de mero possibili appellantur: cum innumeræ sint actu naturæ phænomena, quorum causas solerti inquisitione indagare, potius sit Philosopho, non modo dignum; verum & necessarium, ideoque à præsenti quæstione breviter qua potero me expediam. Eadem occasionem præbuit Aristoteles lib.4. Phys. & tex.64. & deinceps, qui ut Democritum, aliosque antiquos Philosophos dicentes, sine vacuo nullum esse possibile motum, impugnaret, asseruit, inquit potius ita vacuum motui præsertim lationis adversari, ut in ipso nullus sit possibilis motus. Deseritur tamen in hac re Philosophus à S. Thoma, Scoto, & communiter ab ipsis etiam Peripateticis, licet eum aliquatenus benignè interpretari studeant.

Assero itaque, casu quo daretur vacuum, motum localē fore in eo naturaliter possibilem. Ratio autem est, quia nulla in eo est assignabilis contradic̄tio, quod nemp̄ corpus in vacuo constitutum localiter moveatur: ergo fatendum est esse possibile. Antecedens patet ex sequentium obiectionum solutione.

Objicies 1. Omnis motus lationis debet esse ad aliquem locum: est enim corporis translatio ab uno loco in aliud: sed in vacuo nullus est locus; ad quem posset corpus transferri: ergo in vacuo impossibilis est talis motus. Resp. distinguens anteced. Motus lationis debet esse ad aliquem locum, sive extrinsecum, sive in-

trinsecum, concedo: necessariò ad locum extrinsecum, nego: & distinguo min. In vacuo nullus est locus extrinsecus, concedo; intrinsecus, nego, & consequentiam. Sed instabis, in vacuo nullus est locus intrinsecus, ad quem corpus possit transfigi: hoc enim in esse reali, per corpus aliquod locatum saltim inadæquatè constituitur, ut diximus prop.12. sed in loco, ad quem fit motus in vacuo, nullū est corpus: ergo nullus est locus adhuc intrinsecus ad quem in vacuo possit fieri motus. Resp. distinguens majorem, in vacuo nullus est locus intrinsecus actualis, concedo: nullus est locus intrinsecus possibilis, nego: hocque sufficit ut corpus possit moveri in vacuo.

Explicatur solutio. Locus intrinsecus realis, ut dixi prop.12. consistit in ipso corpore ubicato, seu ita constituto, ut tales habeat situm, ac distantiarum ordinem ad aliud corpus, quod fixum sit, vel tamquam fixum supponatur: & hoc quidem, ut dixi prop.13. habet ab actione illius productiva, aut conservativa, quatenus est ejusdem ubicatio. Corpus itaque A in vacuo constitutum, eatenus est in loco intrinseco A, quatenus per tales ubicationem determinatè in hoc situ constituitur, in hœc distantiarum ordine; si autem à Deo constitutatur in loco immediato B, id certè exequetur per aliam ubicationem, ei tribuentem aliud situm, & ordinem distantiarum: unde verè dicetur translatum esse à loco intrinseco A ad locum intrinsecum B: & consequenter verè fuisse motum: cum motus lationis nihil sit nisi translatio corporis ab uno in aliud locum: in hac itaque hypothesi, verè in vacuo daretur motus. Nec opus est locum B, ad quem fit translatio realem, & actualem esse, antequam corpus ad illum transferatur; sed sufficit esse possibilem, ut ex dictis constat: & insuper confir-

matur, nam quemadmodum motus lationis requirit locum, seu terminum, ad quem fiat talis motus: ita motus alterationis requirit qualitatem, quae sit ejusdem terminus: sed ad motum alterationis sufficit qualitatem esse producibilem, quae tamen actu producatur cum sit alteratio: ergo similiter ad motum lationis sufficit locum ad quem esse possibilem, qui tamen actu ponatur, cum actu sit motus.

Objicies 2. Ex Aristotele loco suprà citato. In vacuo neque est sursum, neque deorsum: dextrorum, aut sinistrorum: sed motus vel esse debet sursum, vel deorsum: ad dexteram, vel ad sinistram: ergo in vacuo non est possibilis motus. Resp. distinguens maiorem. In vacuo non est sursum, neque deorsum, &c. actualiter concedo; possibiliter, nego. Et distinguo minorem, ad motum requiruntur praedicta actualiter ante motum, nego; possibiliter, concedo: & nego consequiam. Itaque si homo ex.gr. in vacuo esset constitutus, posset jacere sagittam, versus ejusdem dexteram, aut versus sinistram: licet enim nullus sit locus actualis ad dexteram, aut sinistram ante sagittam motum; ponitur tamen actu, cum sagitta ad eum transfertur: hoc que sufficit ut versus illam partem moveri dicatur, ut constat ex nuperim dictis.

Objicies 3. ex eodem Aristotele. Lapis projectus ideò post separationem à manu jacentis moveretur, quia partes aëris a tergo currentis illum impellunt: sed in vacuo nihil est, quod eum à tergo impellere possit: ergo in ipso non posset moveri. Sed resp. negans maj. Non enim ideò lapis à projiciente manu sejunctus moveretur, quod aëris ei insitiat à tergo; sed ob impulsum à projiciente illi impressum: de quo alibi. Addit insuper Aristoteles: si lapis projectus moveretur in vacuo, se-

mel

mel jactus, semper moveretur, quod videtur inconveniens. Sed resp. ultro concedens antecedens: neque in hoc ullum appetet inconveniens, quod nempè in totali vacuo lapis semel motus, semper moveatur, nisi ab aliquo extrinseco retineatur: imò id necessariò fore, ex alibi dicendis patet.

Objicies 4. ex eodem Philosopho. Si corpus moveretur in vacuo, moveretur in instanti: sed hoc est contradictionem motus, qui essentialiter est successivus: ergo motus in vacuo est impossibilis. Major probatur, nam mobile eo velocius movetur per spatium, quo medium per quod transit, minus eidem resistit: ergo eo minori tempore movertur, quo minor est resistentia medii: ergo ubi nullum est medium resistens, nullo tempore opus erit ut moveatur: sed in vacuo nullum est medium resistens: ergo nullo tempore opus est, ut per ipsum corpus moveatur: ergo moveretur in instanti. Hoc argumentum meritis est paralogismus, qui in errorem induxit Aristotalem, licet aliqui, ut dixi, ipsum excusare conentur. Respondeo tamen negans maj. Ad ejus probationem nego anteced. & consequiam: non enim eadem est proportio velocitatis, qua resistentia medii, ut optimè demonstravit Galileus: ut enim ipse ait, si eadem esset proportio velocitatis, qua resistentiae medii, illud corpus, quod movetur per medium aëra, moveri etiam deberet, licet segnius, per medium aquam; in ea nempè proportione, in qua aqua plus corporis motui resistit, quam aëris: ergo in ea proportione lignum ver.gr. deberet descendere per aquam, & aërem, in qua densior est aqua, quam aëris, plusque motui resistit, quam aëris: hoc autem falsissimum est; sequeatur enim lignum aliquo motu per medium aquam descendere, cum tamen sub aquam descendere non pos-

possit, ut experientia testatur: non est igitur eadem proportio velocitatis motus, quæ resistentie mediæ, quo corruit totum argumentum. Omitto alias obiectiones minoris momenti, quæ ex dictis facillimè possunt dissolvi.

LIBER IV.

DE CORPORE NATURALI QUATENUS DURAT:
UBI DE RERUM DURATIONE.

POSTQUAM de loco, rerumque corporearum ubicatione in præcedenti libro disseruimus, agendum nobis est in præsentis de earumdem rerum duratione: sequuntur in hoc Aristotelem, qui lib. 4. *Phys.* postquam extensè satis egit de loco, & vacuo, ultimis ejusdem libri capitibus de tempore sermonem agreditur. Et tempus quidem satis omnibus obvium esse compertum est: ejusdem tamen explicationem insuperabiles propemodum continere difficultatum scopolos, haud dubitari potest. Sic aperte de se testatur: Si August. cum lib. 11. *Suarum Confess.* cap. 14. ait: *Quid est ergo tempus?* Si nemo ex me quererit, scio; si querenti explicare velim, nescio. Tum cap. 25. *Confiteor tibi Domine ignorare me adhuc quid sit tempus.* Nihil ergo mirum videri debet me in ejusdem expositione plurimum deficere: quid tamen imbecillitati meæ verius appareat in sequentibus exponam.



DEFINITIONES.

Duratio est permanentia rei in esse. Sic enim communiter exponitur: & quidem, licet parum latine, aptè tamen juxta philosophicum sensum: ita enim perspicua est hæc definitio, ut ulteriori non egeat explicatione; quælibet enim res tamdiu durare dicitur, quamdiu existit.

2. Res durans est cui duratio inest. Quæ durant, in duplice sunt differentia; sunt enim alia Permanentia, alia Successiva. Permanentia sunt, quæ dum durant eadem sunt omnino, nec aliqua eorumdem pars interrit, ut altera subsequatur, ut Deus, Angelus, &c. Successiva sunt, quorum partes ita sibi seriatim subsequuntur, ut intercunte una, sequatur altera, ut motus, ratione cuius ut mobile existens in loco A, transeat ad locum B, necesse est reliquise locum A. Res permanentes aut est independens ab omni alio, & essentialiter existens, ut Deus: aut est essentialiter dependens, ut Angelus, anima rationalis, &c. quæ essentialiter à Deo dependent.

3. Duratio dividitur similiter in permanentem, & successivam. Duratio permanentis est duratio rei permanentis: duratio vero successiva est duratio rerum successivarum. Diciturque communiter Tempus. Cumque, ut dixi, res permanentes in duplice sint differentia, etiam duratio permanentis duplex est. Hinc triplex communiter assignatur duratio, nempe Æternitas, Ævum, & Tempus.

4. Æternitas est duratio rei permanentis, invariabilis, ac omnino independentis. Hinc cum solus Deus sit ens à se essentialiter existens, ab omnique alio independentis, Æternitas soli Deo convenit: ita enim es-

fentialiter existit, & durat, absque ulla prorsus dependentia, ut à nemine possit sua existentia privari. Æternitas optimè à Boetio lib. 5. de consol. Philos. prosa 6. sic definitur: *Interminabilis vita tota simul, ac perfecta possessio*. Nos quidem vitam hanc nostram mortalem totam simul haud poscidemus; cum enim in quodam motu consistat, quæ prætererit, possessa quidem à nobis fuit; & quæ futura supereft, possidebitur, solumque labile illud instans, quod nobis præsens est, à nobis possidetur: Deo autem immortali tota ejusdem interminabilis vita, ita præsens est, ut ejusdem nihil prætererit, nihilque unquam præteritum sit. Hinc in Æternitate nulla est successio, nihil duratione prius, posteriusve: nihil præteritum, aut futurum, sed cuncta præsentia: estque unicum invariabile *nunc*, prorsus indeficiens. Sed de hac duratione in Metaphysica reali redibit sermo.

5. *Ævum est duratio entis creati permanentis, & à Deo dependentis, suaptè natura incorruptibiliis*. Talis est duratio Angeli, & anima rationalis, & aliorum, de quibus infrà, quæ à Deo quidem dependent, suntque suaptè natura incorruptibilia. Hinc ea, quæ Ævo veluti mensurantur, principium quidem habent suæ durationis; numquam tamen sunt habitura finem, quoniam à Deo, à quo tantum anihilari possunt, numquam debebuntur.

6. *Tempus est duratio successorum, & suaptè natura corruptibilium*. Corruptibilia enim, quatenus talia, suas habent viciscitudines; & unum interit, & aliud succedit; juxta illud Ecclesiastes cap. i. *Generatio præterit, & generatio advenit*. Ab Aristotele autem 4. Phys. tex. 108. sic, obscurè licet, definitur tempus: *Numerus motus secundum prius, & posterius*. Numerus

nem-

nempè non numerans, sed numeratus; ideoquæ clarissim tempus exponemus, si dicamus esse: *Multitudinem, seu collectionem partium motus fluentium*; id est, quarum una continuo fluxu alteri succedit; ita ut altera sit prior, altera posterior.

7. Dupliciter considerari oportet tempus, *intrinsecum* nempe, & *extrinsecum*. *Intrinsecum est ipsa multitudo partium motus fluentium in se, & prout in se considerata*. *Extrinsecum est hec eadem multitudo, quatenus assumitur ad aliarum rerum durationes mensurandas*. Ideoque dicitur illarum duratio extrinseca: ad distinctionem durationis intrinsecæ, quæ remoto omni tempore, eadem esset in prædictis rebus: nihil enim est aliud, quam cujusvis in suo esse permanentia, quam per labile tempus metimur. Quemadmodum itaque Geometræ cognitam quandam, ac determinatam adhibent mensuram, ex.gr. Exapedam, ut rerum magnitudines dimetiantur; ita motum maximè nobis notum, & aquabilem assumimus, ejusdemque durationem, ut rerum durationes perspectas habeamus: eamque plus durasse dicimus, à cuius exortu ad usque ejusdem interitum, plures prædicti motus partes pertransire; eam autem minus durasse asserimus, in cuius persistentia, minor prædictarum partium numerus fuit enumeratus. Sic Petri vitam septuaginta annis durasse dicimus, eo quod Sol 70. expleverit per Eclipticam revolutiones, interim dum Petrus vixit; id est, tantum durasse, quantum 70. prædictæ revolutiones duravere. Hic autem numerus motus, qui tempus extrinsecum est respectu durationis aliarum rerum, intrinsecus est respectu durationis ejusdem motus.

8. *Instans est illud, quod minimum est in ratione durationis*. Dupliciter considerati potest instans: aliud

nem-

nempe *Mathematicum*, aliud *Physicum*.

9. *Inflans mathematicum est illud, quod ita minimum est in ratione durationis, ut alia duratio ipso minor, nec esse, nec excogitari possit.* *Inflans physicum est, quod ita minimum est in ratione durationis, ut in se quidem sit indivisibile, neque enim ex aliis componitur; potest tamen aliud inflans ipso minus excogitari, & designari.* Unde est indivisible in se; divisibile vero per designationem. An dentur, nec ne hujusmodi instantia, postea resolvetur; nunc enim tantum quid praefatis nominibus intelligi volumus, explicamus.

PROPOSITIO I.

Omnis res durat intrinsecè formaliter per suam existentiam.

L Oquimur hic de duratione intrinseca, per quam res vere, & propriè durare dicitur, nam ut recte P. Suarez, per extrinsecam durationem non durat res, sed dignoscitur ejus duratio. Afferro itaque durationem rei intrinsecā non distinguī realiter, neque ex natura rei ab ejusdem existentia: ideoque rem intrinsecè durare formaliter per suam existentiam. Hęc sententia communis est inter Doctores, ut videri potest apud P. Suarez *Metaph. disp. 50. scđt. 1.* Valentiam in *1. part. disp. 1. scđt. 10. puncđ. 1.* & Mastrum hic *disp. 13. quæst. 1.* Probatum itaque 1. Nam (def. 1.) rem intrinsecè durare est in suo esse persistere: sed rem in suo esse persistere, est idem ac existere, seu habere existentiam: ergo res intrinsecè durat per suam existentiam.

Prob. 2. Nam productio rei, & ejusdem conservatio, nec realiter, nec ex natura rei distinguuntur: conservatio enim est eadem productio in suo esse perseverans: ergo similiter existentia, & permanentia rei esse,

esse, seu duratio illius, nec realiter, nec ex natura rei distinguuntur: ergo res intrinsecè, & formaliter durat per suam existentiam.

Prob. 3. Nam existentia omnino est inseparabilis à rei duratione, & similiter ejus duratio inseparabilis est ab ejusdem existentia: ergo à parte rei non distinguuntur: ergo duratio intrinseca formaliter est ipsa rei durantis existentia. Et confirmatur, nam impossibile est rem durare, nisi dum existit: & dum existit necessario durat: item si existentia est necessaria, duratio rei est necessaria; si illa est corruptibilis, aut incorruptibilis; hęc similiter: si existentia est permanens, etiam duratio; si illa est successiva, etiam ista: res igitur existendo durat, & durando existit: ergo formaliter intrinsecè durat per suam existentiam.

Dixi durationem intrinsecam rei non distinguī ab ejus existentia realiter, nec ex natura rei, quia per rationem, seu juxta nostrum modum concipiendi aliquatenus distinguuntur: quod inde colligi potest, quod voces ista existere, & durare non sint synonyma: ergo imposita sunt ad significandas res, non quidem à parte rei aliquo modo diversas, sed diversimode à nobis conceptas, quod sufficit ad distinctionem rationis. Explicandum autem est, quid per nomen durationis concipiatur intellectus, præter id, quod nomine existentia concipere solet; à quo breviter me expediam: rejectis itaque aliis dicendi modis, afferro cum Gabriele, Ochamo, & aliis, vocem existentia significare absolute, & simpli- citer rem esse extra causas; vocem vero duratio, connotare successionem, cui res durans vel coexistat, vel coexistere possit, seu coexistere intelligatur: cum enim nos ab infantia rerum durationes cum successionibus simul apprehendere soliti simus, non aliter rem durare.

concipere possumus, nisi per ordinem ad hanc successionem, licet alioquin res durans permanens sit, & in se nullam successionem includat. Independenter itaque ab intellectu res in se intrinsecè, & formaliter per suam existentiam durat.

Objicies tamen 1. cum P. Honor. Fabri *Metaph. lib.9.prop.4.* Potest res creata existere, & non durare: ergo ejus duratio quid diversum est ab ejus existentia. Antec. prob. Potest res creari in uno instanti, & in sequenti destrui: sed in hoc casu res existeret in illo instanti, & non duraret: ad durationem enim non sufficit unicum instans, sed plura requiruntur: ergo duratio quid diversum est à rei existentia.

Resp. negans anteced. Ad probationem concessio antecedenti, nego minorem; res enim illa duraret unico instanti. Ad probationem distinguo subsumptum, non sufficit unum instans ad durationem permanentem, nego; ad successivam, concedo: hęc enim, ut postea patebit, ex diversis durationibus partialibus componitur, quarum quilibet in se permanens dici potest. Si autem velis infistere non sufficere rem in unico instanti existeret, ut dicatur durare, quæstio erit de nomine.

Objicies 2. cum eodem Fabri. Res creata indifferens est, ut sit nunc, & cras: ergo per aliquid determinatur, ut potius existat nunc, quam cras: sed hoc nequit esse existentia, quæ eadem est nunc, & cras: ergo duratio intrinseca ratione cuius formaliter est nunc, aut cras, aliquid addit à parte rei supra existentiam. Et confirmatur. Nam si rem esse nunc formaliter consistet in ipsa rei existentia, nullatenus res esse posset, quin esset nunc: non enim res esse potest sine existentia, quæ causa formalis est ut sit nunc: sed res creata esse potest quin sit nunc: ergo non est nunc formaliter per suam

existentiam. Hoc argumentum ait P. Fabri loco citato esse demonstrativum: sed longè distat à demonstratione.

Resp. itaque concedens totum argumentum, & negans ultimam consequentiam: ex antecedentibus enim nullatenus infertur. Quod ut pateat, sic in alia materia illud propono. Res creata indifferens est ut existat, & non existat: ergo per aliquid determinatur ut existat potius, quam non existat: sed hoc nequit esse existentia, quæ ex se est indifferens ut existat, & non existat: ergo res non existit formaliter per existentiam. Quod quam falsum sit, tu vide sis. Dico itaque, rem creatam determinari, ut sit potius nunc, quam cras, effectivè per actionem illius productivam, ut sequenti prop. patebit. Quemadmodum itaque res creata indifferens est ut existat, & non existat, tolliturque hæc indifferencia per actionem illam producentem: & hac indifferencia ablata, existit res formaliter intrinsecè per existentiam, & effectivè per prædictam actionem: ita & res, quæ indifferens est ut sit nunc, & cras, determinatur per hanc actionem, ut sit potius nunc quam cras, ablata autem hac indifferencia exsilit, & durat nunc res formaliter intrinsecè per suam existentiam; effectivè autem per præfamat actionem: sed hæc amplius infra patebunt.

Ad confirmationem respondeo concedens majorem, si loquamur de *nunc* intrinseco; negans verò illam, si loquamur de *nunc* extrinseco. Et distinguo min. res potest esse quin sit nunc, si loquamur de *nunc* intrinseco, nego; de extrinseco, concedo: & nego consequentiam. Itaque *nunc* intrinsecum est ipsa rei existentia, fatemurque rem, dum exsilit, semper esse in *nunc* intrinseco: ejus enim duratio intrinseca, si res permanens sit, est tota simul, ut postea amplius patebit; non

tamen semper est in eodem nunc extrinseco, quia hoc insuper includit nunc temporis extrinseci, cui coëxistit, & à quo mensuratur, seu cui coësistere, & à quo mensurari potest. Quid verò dicendum sit de successivis postea patebit.

Objicies 3. Si res creata duraret intrinsecè per suam existentiam, esset sua duratio, quemadmodum Deus: sed ut ait S. Thom. 1. part. quest. 10. art. 2. Nulla alia res prater Deum, est sua duratio: ergo res creata non durat intrinsecè per suam existentiam: sed per aliquid ab ea distinctum. Resp. negans majorem: Deus enim est sua duratio essentialiter, necessario, & à se: quemadmodum est ens necessarium, essentialiter existens, & à se: res verò creata sunt sua duratio; non tamen essentialiter, necessario, & à se, sed solum in eo sensu quo, ut diximus in Metaphysica, licet sint realiter idem cum sua existentia; non tamen essentialiter existunt, ita ut earum essentia sit existere; neque necessario existunt, sed contingenter: & non à se, sed dependenter à Deo: nec aliud vult S. Thomas: imò ut rectè notat Gregor. de Valentia hic disp. 1. quest. 10. punt. 1. Angelicus Doctor in hoc, nomine nobis adversatur: propterea enim sentit durationem in creaturis re distingui ab illis, quoniam sentit existentiam quoque ipsarum ab eisdem distinguiri: supponit tamen ibidem durationem re non esse aliud, quam ipsam existentiam.

Adversus hanc conclusionem objici etiam possunt ea argumenta, quæ prop. 3. objiciuntur adversus nostram durationis permanentis expositionem, quæ eo loci opportuniùs dissolventur.

(***)

(***)

(***)

PROPOSITIO II.

Quelibet res creata durat effectivè per actionem sui productivam, & conservativam.

Probatur 1. Quia quelibet res creata durat formaliter per existentiam creatam, & à Deo dependentem: sed existentia rei creata dependet à Deo per actionem talis rei productivam, & conservativam: ergo effectivè durat per actionem sui productivam, & conservativam.

- Probatur 2. Nam (2.lib.præc.) res creata est in loco effectivè per actionem sui productivam, & conservativam: ergo etiam durat per actionem predictam. Conseq. patet. Nam ideo est in loco effectivè per actionem, quia res est ex se indifferens, ut sit potius in hoc loco, quam in alio, quæ indifferentia ab alio auferri nequit, nisi ab actione illam potius in tali loco producente, & conservante: sed similiter res est indifferens ut duret plus, aut minus; ut sit ante aliam rem, aut posterior illa: ergo hec indifferentia auferri etiam oportet ab actione, eam plus, aut minus conservante; aut ante, aut post respectu alterius eam producente. Hinc sequentia corollaria deducuntur, similia illis, quæ de ubicacione loco citato deduximus.

COROLLARIA.

1. **H**inc vides tria esse actionis munera: est enim rei productiva, & sub hoc conceptu est produc^{io}: est ejusdem ubicativa: & sub hoc conceptu est ubicatio effectiva: & est ejusdem plus, aut minus conservativa: & sub hoc est effectiva illius rei duratio. Item actio ut productio est, determinat causam ad agendum; ut ubicatio est, determinat causam ad agendum

dum hic: & tandem ut duratio effectiva est, determinat causam ad agendum nunc.

2. Hinc actio ut duratio est, supra se ipsam, ut productio est, solum addit esse rationem fundandi predicatorum respectivorum ad durationem pertinentium, ver gr. presentis, prateriti, futuri: ante, post, &c. que deinde resultant ex sola positione termini, vel à nobis resultare concipiuntur, cum rem productam ad successionem, saltim possibiliter apprehensam, comparamus, ut ex dicendis patebit.

3. Cum duratio effectiva, seu actio, sit ipsa determinatio cause ad agendum in hoc nunc potius quam in alio: seu nunc potius quam ante, aut postea, nequit eadem res primo produci ante, aut postea per eandem actionem, per quam primo producitur nunc: binc quilibet duratio intrinseca suam habet determinatam actionem; id est, Petrus qui nunc producitur per actionem A, non potuit antea produci per eandem actionem, sed per diversam, ut in simili diximus loco citato, de ubicatione.

PROPOSITIO III.

Duratio intrinseca permanens est illa, qua tota simul est absque successione.

Hinc maximè, ni fallor, pendet rei hujus admodum difficultas, facilior cognitio, si nempè discriben inter permanentia, & successiva probè, ac perspicue concipiatur, quod hac, & sequenti propositione designare curabo. Assero itaque durationem permanentem, sive permanentium, esse illam, qua tota simul est absque successione: comprehenditur in hac assertione, non solum Aeternitas, qua propria est duratio Dei, verum etiam Aevum, quod duratio est rerum permanentium

tum creatarum incorruptibilium. Ita sentit S. Thom. 1. part. quest. 10. art. 5. quem sequitur Gregor. de Valentia hic punct. 3. & alii. Oppositum sentit S. Bonaventura quantum ad permanentia creata in 2. dist. 2. art. 1. quest. 3. quatenus asserit Aevum esse successivum, habereque prius, & posterius. Seraphici Doctoris sententiam sequitur P. Gaudentius tract. 1. de Deo uno, disp. 9. quest. 4. & alii.

Ratio autem nostræ conclusionis est, quia duratio intrinseca rei permanentis (1.) est formaliter ejusdem rei existentia: sed existentia hæc, ni destruatur, eadem est, nec partes realiter diversas habet, que sibi mutuo succedant, ita ut una destruatur, ut altera subsequatur: ergo duratio intrinseca rei permanentis nullam successionem includit, sed est tota simul. Confirmatur: nam duratio permanentis, seu rei permanentis nihil aliud est quam permanentia illius rei in suo esse: atqui hæc permanentia non est quid successivum: ergo, &c. Min. prob. nam si esset quid successivum, ens permanentis non esset permanentis; esset enim in continuo fluxu: sed hoc est implicitorum: ergo duratio rei permanentis successiva non est, sed tota simul.

Præterea hæc sententia Sancto Augustino planè consentanea videtur, qui lib. octuaginta trium questionum, quest. 72. discrimen assignans inter Aevum, & tempus, ait: Aevum stat; tempus autem fluit. Aevum igitur, quod duratio permanentis est, totum est simul sine prioritate, aut posterioritate. Tandem respondeamus oportet argumentis, quibus S. Bonaventura oppositum probare contendit.

Argumentum 1. Desumitur ex S. Hieronymo, qui in epist. ad Marcellum ait: Solum Deum non novisse prius, & posterius. Similiter loquuntur S. Anselmus in

Prosologio, & aliis Patres. Resp. cum Cardin. Cajetano, similia Sanctorum Patrum dicta referenda esse ad præteritum, & futurum, non solum quantum ad esse substantiale rei, verum etiam quantum ad operationes. Sensus itaque verborum S. Hieron. est, soli Deo competere non habere prius, & posterius, tam in sua entitate, & perfectione essentiali, quam in suis operationibus: creature enim permanentes, licet in sua entitate non habeant prius, & posterius; sed tamen habent in suis operationibus, & accidentibus.

Argumentum 2. Simplicitas durationis permanentis creatæ, ver.gr. Angeli, multò minor est simplicitate durationis divinæ: ergo duratio entis creati, etiam permanentis, aliquam habet compositionem: ergo habet prius, & posterius. Resp. Durationem entis creati permanentis deficere à simplicitate durationis divinæ, quatenus conjuncta est cum aliqua compositione prioris, & posterioris secundum operationes, & accidentia; quod ut diximus, durationi divinæ simplicissime competere nequit.

Argumentum 3. Omnis duratio creata est aliqua quantitas: ergo est divisibilis: & consequenter habet partes priores, & posteriores. Respondeo. Durationem creatam propriè loquendo, quantitatem non esse, sed esse ipsam rei existentiam: potest tamen in aliquo sensu dici quanta; vel entitativè, & secundem rem, si habeat in re partes alias priores, & alias posteriores, ut tempus: vel relativè, & secundum rationem, quatenus refertur, vel referri potest nostris conceptibus, ad tempus, seu successionem, ut infra latius patebit.

Argumentum 4. Si Ævum, ex.gr. Angeli, totum esset simul, daretur extra Deum aliquod infinitum in actu: sed hoc non admittitur: ergo, &c. Sequela pro-

ba-

batur: quia Ævum, ex.gr. Angeli, est infinita duratio à parte post, & est actu: ergo si esset totum simul, daretur infinitum in actu. Resp. cum S.Thoma hic, prædictum Ævum non aliter esse infinitum, nisi quatenus nullo tempore assignabili majori, & majori finitur; quod est infinitum, non simpliciter, & intrinsecè tale, sed solum secundum quid, & extrinsecè, & syncathegorematicè, ut ajunt, quod nullam includit repugnatiā, ut idem Sanctus explicat I. part. quæst. 7. art. 2.

Argumentum 5. Si in Ævo non esset prius, & posterius, sequeretur, in his quæ Ævo mensurantur, ut in Angelo, non differre esse, fuisse, vel futurum esse: ergo quemadmodum impossibile est Angelum non fuisse, ita impossibile erit non futurum esse: ergo Deus non posset Angelum anihilare, quod est absurdum. Resp. concessō primo antecedente, & ejus consequentia, negando secundam. Eodem itaque modo quo impossibile est præteritum non fuisse, impossibile est futurum non esse futurum: & similiter eodem modo, quo futurum potest non esse futurum, potest & præteritum non fuisse præteritum. Impossibile quidem est præteritum non fuisse ex hypothesi præteritionis, seu in sensu composito, ut ajunt, illius; possibile tamen est non fuisse præteritum absolutè, & in sensu divisiō præteritionis: quatenus nempè Deus, qui ab initio creavit Angelum, potuit illum non creare: idem itaque assero de futuro, impossibile nempè esse futurum non futurum esse ex hypothesi futuritionis, seu in sensu composito illius; potest tamen non esse futurum absolutè, & in sensu diviso, quatenus absolutè potest, eum in nihilum redigere. Dicitur tamen communiter ad præteritum non esse potentiam, bene verò ad futura: id tamen ideo absolutè di-

dicitur, quia cum de præterito loquimur, nisi aliter exprimatur, semper subintelligitur hypothesis præteritionis; è contra verò cum de futuris est sermo.

Argumentum 6. Si duratio rei permanentis esset tota simul, nec haberet prius, & posterius, nulla res permanens, & æviterna posset esse diuturnior altera: sicutque anima S. Petri, non diutius fuisset in celo, quam anima S. Francisci: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Sequela probatur, nam ut anima S. Petri diutius esset in celo, quam anima S. Francisci, necesse est ut prius fuisset in celo illa, quam ista: sed si duratio animæ S. Petri non habet prius, & posterius, non potest prius esse in celo, quam anima S. Francisci: ergo illa diutius non fuisset in celo. Resp. 1. cum P. Gregor. de Valent. negans sequelam. Ad probationem distinguo majorem: ut anima S. Petri diutius sit in celo, quam anima S. Francisci, necesse est ut prius sit in celo, quam ista, prioritate intrinseca, & absoluta, nego; extrinseca, & respectiva, concedo: & distincta similiter minori, nego consequentiam. Licit enim in animabus prædictis, ceterisque æviternis, non sit re ipsa prius, & posterius intrinsece, & absolute: possunt tamen coexistere longiori, aut breviori tempori; aut saltem à nobis ita concipi, quod sufficit ut diuturniores, aut minus diuturnæ esse dicantur. Resp. 2. ex infrâ dicendis, inter duas entitatis, quantumlibet qualibet permanens sit, verè dari posse successionem: ideoque inter animam S. Petri, & S. Francisci veram esse successionem, cum illa prius inciperit existere quam ista: unde inter ipsas verè datur prioritas, & posterioritas, quod non tollit cujuslibet durationem seorsim acceptam, totam simul esse, & absque successione: quemadmodum etiam dicimus Deum esse prius mundo, cum tamen sit certum in Dei durâtione

tione nullatenus dari prius, & posterius.

Tandem præter ea quæ ex Seraphico Doctore obiecta sunt, argui potest 7. contra nostram sententiam. Si Deus Angelum aliquem productum in instanti A, anhilaret in instanti B; eumque reproduceret in instanti C; tunc, inquam, Angelus ille duraret duratione permanenti, id est, per Ævum: sed tunc in ejus duratione reperiretur prius, & posterius: ergo in duratione permanenti potest reperiri prius, & posterius: & consequenter non est de ratione ejus esse totam simul absque successione. Minor prob. Nam esse Angeli in instanti C, esset posterius se ipso in instanti A primo suæ durationis: ergo in ejus duratione daretur prius, & posterius. Anteced. prob. Nam existentia Angeli in instanti A est prior ipsius Angeli destructione in instanti B; non enim possunt simul esse existentia Angeli, & ejus carentia: deinde ejusdem existentia in instanti C ob eandem rationem est posterior ejusdem destructione: ergo hæc Angeli existentia in instanti C, esset posterior ejusdem existentia in instanti A: ergo, &c.

Resp. 1. ex doctrina P. Greg. de Valent. Negans min. Ad probationem distinguo antecedens: esse Angeli in instanti C reproductionis esset posterius se ipso in instanti A, intrinsecè, nego; extrinsecè, & per conceptus illum referentem ad tempus, concedo. Ad probationem, concessio antecedenti, distinguo similiter consequens, illud concedens de posterioritate extrinseca, & relativa; negans verò illud de posterioritate intrinseca, & absoluta. Dico itaque, in hypothesi facta nullatenus, reperiri in Angelo re ipsa prius, & posterius, ita ut aliquid ejus re ipsa sit, antequam aliud ipsius: solum autem ex dicta hypothesi sequitur, eundem Angelum posse coexistere variis temporibus, in quorum altero prius

concipiamus quod sit, & in altero posterius quando reproducitur. Licit autem inter existentiam Angeli in instanti A, & ejusdem existentiam in instanti C, interveniat ejus carentia, non inde fit, aliquid in ipso re vera esse prius, & posterius: illud enim non esse Angeli, quod intermedium esse concipimus, non est re ipsa aliquod esse ipsius Angeli. Unde ex eo quod Angelus sit in instanti A; & in B non sit; & in C iterum sit, solum sequitur circa talēm Angelum tres posse conceptus nostros successivē haberi, quibus referatur ad tria temporis instantia; non verò sequitur successio aliqua in dura-
tione intrinseca, & vera ipsius Angeli, quæ quemadmodum & ejus existentia, eadem est in instanti A, & C.

Respondeo 2. In facta hypothesi, fore successionem in dura-
tione effectiva prædicti Angeli; id est, inter actionem primo ejus productivam, & reproductiveam; actio enim primo productiva esset essentialiter prior actione reproductive, ut prop. 10. amplius patebit; non verò fore successionem in dura-
tione intrinseca ipsius Angeli, quæ cum in ejusdem existentia consistat, eadem esset in prima productione, qua in secunda. Hinc alia minoris momenti, quæ objici possunt, facile dissolvantur.

PROPOSITIO IV.

*Ut duratio intrinseca rei permanentis diversis tempori-
ris partibus correspondeat, unica sufficit actio
ipsius conservativa; re tamen in eodem
statu permanente.*

A ssero in praesenti rem permanentem, dummodo in eodem statu perseveret, posse per unicam, & eandem actionem ita conservari, ut diversis temporis partibus correspondeat. Ratio autem est, nam nulla

est

est assignabilis repugnantia in eo, quod res per unicam actionem existat, & conservetur, interim dum centum anni labuntur: potest enim eadem actio esse determinatio illius rei ad tales durationem, ut 100. anni de-
currant interim, dum res illa in suo esse, & statu eodem perseverat: ergo eadem, & unica actio sufficit ut res permanens distinctis temporis partibus correspon-
deat.

Probatur 2. Licit anni, seu temporis partes muten-
tur dum res illa durat; tota tamen mutatio tempori in-
est, non rei permanenti: huic enim omnino extrinse-
cum est tempus illud, ejusdemque successio: sed immu-
tata intrinsecè re durante, nulla est necessitas, ut actio illius conservativa mutetur: sufficit ergo unica actio ad correspondientiam prædictam. Confirmatur: rem per-
manentem correspondere diversis partibus temporis, nihil est aliud, quam coexistere has temporis partes rei permanenti: sed ad hoc solum requiritur existentia, & cursus dictarum partium temporis, dum res permanens existit, quin opus sit variari ejus actionem conservati-
vam: ergo frustra nova actio, aut aliquid aliud ex parte rei permanentis adderetur.

Sed objicies 1. Quoties mutatur correspondientia rei ad locum, mutatur actio illius rei conservativa, ut diximus: ergo quoties mutatur correspondientia rei ad tempus, seu fit correspondens alteri temporis, mutabitur etiam actio illius rei conservativa. Resp. perspicuum af-
signans disparitatem. Nam mutatio loci se tenet ex parte rei locatæ; ipsa enim est, quæ locum mutat; locus enim est immobilis: ideoque indiget res nova actione, ad existendum in novo loco determinativa: ceterum mutatio temporis non se tenet ex parte rei permanen-
tis, seu permanenter durantis, quæ tota simul est, ut di-

xi : sed tota mutatio se tenet ex parte temporis : ideoque res permanens non eget nova actione , ut diversis partibus temporis corresponeat ; sed tantum hac actionum diversitate eget tempus , modo quo inferius dicitur.

Objicies 2. Si actio per quam res eadem diversis temporibus corresponeat, unica esset, sequeretur Deum hanc actionem toto illo tempore non posse destruere: esset enim essentialis determinatio, ut res toto illo tempore duret : sed hoc est inconveniens : detrahit enim omnipotentia Dei : ergo, &c. Deinde si unica actio conservativa rei permanentis sufficeret , ut haec diversis temporibus corresponeat, etiam actio productiva , & conservativa Angeli sufficeret ad ejus durationem à parte post eternam : ergo hec actio nunquam esset à Deo destructibilis , quod non videtur admittendum. Resp. concedens sequelam, & negans min. Non enim quidquam detrahit potentia divina non posse destruere illam actionem, ex suppositione quod illam liberè ponere voluerit : est enim haec necessitas quædam consequens, ac dependens à divina libertate; non vero antecedens, ideoque nullam secum affert repugnantiam, nec minimum repugnat omnipotentia Dei , à qua actio illa essentialiter dependet : nec libertati divinae quicquam adversatur , cuius liberum exercitium omnino supponit : potuit enim Deus per alias actiones rem illum minus durantem efficere : ex quo patet solutio ad confirmationem argumenti.

Dixi in propositione unicam sufficere actionem , ut res permanens diversis temporibus corresponeat, dummodo hec in eodem statu perseveret ; si enim intrinsecus illius rei status mutaretur , etiam actio ejus conservativa mutaretur : ad novum enim illum rei statum,

tum, nova requiritur determinatio. Sic quoties Angelus per motum localem, locum mutat , diversa accedit actio illius in tali loco conservativa ; diversa, inquam, non in ratione durationis effectivæ ipsius Angelii, sed in ratione ubicationis illius : est enim nova determinatio, ut sit Angelus in tali loco, ut sapientius diximus. Hinc de facto res, etiam permanentes, non unica actione conservantur, sed diversis : nulla enim facile occurrit , que saltim ope motus localis, diversa loca non adquirat.

PROPOSITIO V.

Duratio successiva intrinseca est, quæ partes habet realiter distinctas, sibi continuo fluxu succedentes.

Asper durationem successivam , five successivorum esse illam, quæ partes habet realiter distinctas sibi continuo succedentes : seu esse aggregatum ex partibus predictis, quarum una prius existat ; altera vètò posterius. Ratio autem est , quia juxta omnium intelligentiam , successivum est , quod totum simul non existit : ergo una ejus pars existit, cum alia adhuc non existit, sed ad primam subsequitur : sed si una existit alia non existente, sunt realiter distinctæ, ut est notum: ergo successivum est, cuius partes realiter sunt distinctæ, sibique continuo fluxu succedunt : ita ut una destracta, aut recedente, ponatur altera : ergo duratio intrinseca successivorum , quæ ab eorundem existentia non distinguuntur, illa est, quæ partes habet realiter distinctas, sibi continuè succedentes. Sic motus successivus essentialiter est, quod una ejus pars destrui , præcisè oporteat, ut altera existat. Hinc tempus est essentialiter successivum; est enim ipse motus numeratus, qui essentialiter est successivus. Idcirco tempus instabile, ac præcepis,

ceps, quam optimè appellatur, juxta illud Ovidii lib. 15: *Metamorph.*

*Cuncta fluunt, omnisque vaga mutatur imago:
Ipse quoque assiduo labuntur tempora motu.
Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest. Sed ut unda pellitur unda,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
Et nova sunt semper, nam quod fuit ante relictū est,
Fitque quod baud fuerat: momentaque cuncta novātur.*

Idem 6. Fast.

*Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.*

Hinc duratio successiva intrinseca rei indivisibili, quatenus tali, competere non potest. Cum enim duratio successiva habeat partes distinctas, & successivas, certè rei entitativè indivisibili, à qua sua duratio intrinseca non distinguitur, competere nequit. Præterea quia duratio rei intrinseca, est ipsa ejus existentia (1.): sed unius entis una est existentia, eaque indivisibilis, & tota simul: ergo unius entis indivisibilis duratio tota simul est, partesque non habet sibi succedentes: sed duratio intrinseca successiva habet partes distinctas, & fluentes: ergo unico enti indivisibili, quatenus tali, competere non potest. Dixi, quatenus tali, nam eadem res indivisibilis diversos essendi status habere potest, unum post alium, quorum statuum intrinseca duratio successiva est: est enim aggregatum illorum sibi mutuò succendentium. Item ejusdem indivisibilis entis creati operationes successivæ sunt, earumque intrinseca duratio est ob eandem rationem successiva. Sic Angelus ver. gr. licet in se sit indivisibilis, & consequenter in sua entitate intrinseca successionis incapax; successionem tamen sibi

LIBER IV. PROPOSITIO VI. 305
sibi habet adjunctam, quatenus, cum movetur, ejusdem in diversis locis status sunt successivi; tum etiam ejusdem operationes successivæ sunt.

PROPOSITIO VI.
Duratio successiva, sive successivorum diversas actiones necessariò requirit.

Inseritur ex præcedenti. 1. Si successio sit inter diversas entitates, quarum una sit prior, altera posterior, certum est cuilibet ex illis competere suam peculiarem actionem productivam, & conservativam: ergo aggregati earum intrinseca duratio, quæ ut dixi successiva est, diversas actiones necessariò requirit. 2. Si successio sit inter diversos ejusdem rei status, ut contingit in his, quæ localiter moventur, diversæ quoque actiones necessariò requiruntur: nam quot loca à mobili successivè occupantur, tot sunt ejusdem ubicationes diverse, ut sèpè diximus: sed ubicationes nihil aliud sunt quam actiones productivæ, & conservativæ rei in illis locis: ergo etiam diversi illi ejusdem rei status diversas actiones necessariò requirunt: ergo horum successiva duratio diversas actiones includit. Ubi jam vides, hanc diversarum actionum seriem non efficere mobile in sua entitate successivum, sed tantum quoad ejusdem diversos status: hoc est, tota successio reperitur in illius motu, seu positione successiva in locis diversis.

PROPOSITIO VII.
Hinc determinatur quanam res sint propriè permanentes; queve successivæ: & quanam partim permanentes, & partim successivæ.

1. **D**uratio propria Dei, seu Aëternitas, omnino permanentes est, ac tota simul, nullam prolsus in Comp. Phil. Tom. II. V. sc

se habens successionem : Deus enim neque in se, neque in operationibus suis, nec in essendi modo, habet prius, & posterius : sed totus simul est, omniaque ejus simul sunt, absque ulla prorsus vicisitudine , aut mutatione, ut amplius suo loco patebit.

2. Duratio intrinseca, & entitativa Angelorum tota simul est, & permanens : non enim eorum vita in motu aliquo consistit, vel à motu aliquo dependet : sed ita Angelus possidet suum esse, quod in sui creatione accepit, ut idem semper entitative sit, & ex Dei beneplacito semper idem erit absque ulla ejusdem destructione. Habet tamen Angelus successionem quandam sibi adjunctam : dum enim movetur localiter , successionem habet quoad statum, seu modum essendi in diversis locis, in quibus locatur successivè : similiter in suis operationibus successionem habet; non enim illas simul elicet, sed unam post aliam : dumque ab uno actu cessat, alium elicit.

3. Animæ rationalis duratio etiam est intrinsecè , & entitativè permanens , & tota simul ob eandem rationem, quam de Angelis diximus; est tamen ejus duratio accidentaliter successiva, ratione scilicet motus localis, tum etiam ratione suarum operationum, quæ quemadmodum in Angelis, sunt successivæ.

4. Materia prima corporum, seu substantia materialis, & corporea durationem similiter habet entitativè permanentem, ac totam simul : si enim in se consideretur, nullam habet in suo peculiari esse successionem: congeries enim corpusculorum , & atomorum, quam materiam primam esse diximus lib. 1. hujus tract. tota simul creata fuit; & qualibet atomus insectilis eandem habet existentiam, quam in sui creatione accepit. Quatenus verò jam hoc, jam illo modo formatur , id est,

qua-

307
quatenus formas diversas recipit , successionem habet sibi adjunctam : non enim eas absque mutatione, & consequenter absque successione recipit. Hinc composita substancialia, quæ oriuntur, & intereunt, successiva sunt, quatenus alia sunt aliis priora ; alia aliis posteriora, ut ex dictis colligitur.

5. Vita tum vegetans, tum sensitiva, permanens non est, sed successiva, nec tota simul esse potest, cum consistat in motu, qui essentialiter successivus est, ut suo loco patebit.

Hinc duratio propria Dei, cum quoad omnia tota simul necessariò sit, ac omnino interminabilis omnia simul perfectè possideat, Aeternitas est, carens principio, ac fine. Angelorum verò duratio , tum & animæ rationalis : tum & materiæ primæ corporum , cum sit entitativè tota simul ; successiva verò quoad operationes, status, & accidentia, est Ævum, principium quidem habens, non verò finem. Motus verò , qui essentialiter successivus est, prout in partes divisis enumeraatur, Tempus est; quod præterea quatenus assumitur à nobis, ut mensura durationis ceterarum rerum , Tempus extrinsecum respectu rerum mensurarum appellatur, ut statim amplius explicabo.

PROPOSITIO VIII.

Explicatur qua ratione tempus sit ceterarum durationum mensura.

T Empus non alia ratione est ceterarum durationum mensura, nisi quatenus à nobis assumptum est ad prædictas durationes designandas, mensurandas, ac determinandas exponendas. Primo quidem propriè, ac per se assumptum est ad determinandas rerum corruptibilium, ac mutabilium durationes; minus verò pro-

priè ad illas exponendas, quæ rebus permanentibus, & incorruptilibus convenienti.

Explicatur. Cum tempus juxta Arist. sit *Numerus motus secundum prius, & posterius*; id est, partes motus enumerate, nos juxta numerum partium hujuscemotus, quæ fluxere interim dum aliqua res durat, ejus durationem idoneè definire consuevimus. Ad id autem muneris non quivis motus assumendus erat; sed ille, qui nobis magis obvius, magisque perspicuus esset, ac in se magis æquabilis, & uniformis: in his autem perfectionibus primas jure delatum est motui Solis, tum annuo, tum diurno: hoc enim sydus ob nitidum illum splendorem, quo nos illuminat, facilius observatur, ejusque motus, cum minus ceteris anomalus sit, facilius ad æqualitatem, ac uniformitatem reducitur. Idcirco partibus hujus motus enumeratis, atque fluentibus, annis videlicet, diebus, horis, minutis, &c. ratio temporis, sive mensuræ tribuitur pro rerum ceterarum durationibus dignoscendis, ac mensurandis.

Hic autem motus ennumeratus, seu tempus, cum essentialiter sit successivus, propriæ rerum sibi mutuò succedentium mensuræ advocatur: oportet enim mensuram homogeneam esse mensurato, seu ejusdem generis cum illo. Sic Geometra pro mensurandis lineis, lineas assumit; pro superficiebus, superficies; ac pro solidis, solidæ: neque enim superficies lineis mensurari valent, nec solida lineis, aut superficiebus: sic panni longitudinem, quæ linea est, ulna metimur, quæ similiter est linea: agri aream, seu superficiem, ulnis, seu palmis quadratis, quæ superficies sunt, dignoscimus: & soliditatem muri, cubis solidis determinamus: similiiter itaque tempus, quod successivum est, mensura propria est rerum sibi successione quadam subsequentium: ideoque

est

est mensura propria rerum corruptibilium, ac mutabiliū, quatenus talium. Sic dicimus hominis alicujus vitam 70. annis durasse, quia ab illius ortu, usque ad ejusdem interitum tot fuere anni completi, seu totidem Solis per Eclipticam revolutiones absolutæ. Sic Davidem 40. annis super Israel regnasse asserimus, ac post eum filium ejus Salomonem idem sceptrum tenuisse ex sacris paginis didicimus

Durationem autem permanentium, quæ ut dixi, intrinsecè non est successiva, sed tota simul, non nisi in proprio tempore successivo mensuramus; sufficienter tamen quoad nos: permanentiam enim prædictarum rerum in suo esse, quasi successivam apprehendimus, ac rei successivæ, seu temporis commensurabilem: neque enim aliter possumus explicare durationem permanentem, seu permanentiam durationis, quam dicendo tot fluxisse annos, dum ipsa res in suo esse permanit: sic Angeli durationem ad usque præsens instans 6000. circiter annorum esse dicimus, quatenus à creatione illius usque nunc toties Sol orbem suum annum peragraverit: licet enim duratio Angeli tota simul sit, & absque successione, ut diximus, eam tamen cum successione temporis nobis nota comparamus, ac mentaliter commensuramus, quam quidem commensurationem mentalem aliter efficere non possumus, quam apprehendentes ex parte Angeli successionem aliquam correspondientia ad prædictum fluxum temporis. Hinc patet tempus respectu rerum, quæ ipso mensurantur, esse mensuram extrinsecam, ideoque respectu ipsarum rectè tempus extrinsecum dicitur; cum hac tamen differentia, quod rerum corruptibilium propria mensura jure appelletur; respectu vero permanentium, & incorruptibilium, impropria.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Hinc tempus imaginarium nihil est aliud, quam successio quedam apprehensa, quares durans conceptur correspondere fluxui temporis.

Sunt plerique, qui defendant dari independenter ab intellectu, & etiam ab omni motu locali, durationem quandam successionis sine principio, & fine, quam *Tempus imaginarium* appellant: sic sentiunt Gassendus *Phys. se f. 1. lib. 2. cap. 7.* R.P. Saguens *Phys. disp. 9. art. 1. &c. alii.* Ceterum nullum dari tempus imaginarium independenter à nostri intellectus consideratione, prout ab his Auctòribus admittitur, iisdem rationibus convincitur, quibus lib. 3. prop. 6. probatum est nullum dari spatium imaginarium independenter ab intellectu.

Afferro itaque tempus, quod *imaginarium* appellatur, nihil esse aliud quam successionem quandam à nobis in rebus durantibus apprehensam, qua predictæ res, permanentes licet sint, fluxui temporis correspondere concipiuntur. Ratio autem est, quia ideò ab Auctòribus citatis admittitur tempus illud imaginarium independens ab intellectu, ut durationes rerum possint per illud mensurari, etiam casu quo omnis motus corporeus, omneque tempus reale cessaret: sed hanc mensurationem potest intellectus noster, etiam in eo casu, efficere, sola apprehensione cuiusdam successionis in re durante, qua concipiatur correspondere fluxui temporis, si tunc extitisset: ergo nullum aliud tempus imaginarium est admittendum, prater id quod à nobis expostum est. Min. prob. nam eo præcisè quod nos concipiamus rei alicuius durationem talem esse, etiam ab-

lato

LIBER IV. PROPOSITIO IX.

311

lato tempore reali, quæ si tempus istud adesset, viginti annis, ex. gr. correspoderet, sufficienter durationem illam metimur, ac determinamus: sed ad hoc sufficit sola temporis præhabita cognitio, & successio quedam apprehensa ex parte rei durantis: ergo hæc sufficiunt ad præfata mensurationem efficiendam: & consequenter hoc solum erit tempus imaginarium: & quidem propriæ imaginariæ, quod in sola nostra imaginatione, ac cognitione consistat. Sed hæc ex sequentibus amplius patebit.

PROPOSITIO X.

Explicari potest qualiter, licet nullum esset tempus, nullusque motus, una duratio esset major alia: item una prior, & altera posterior.

Certum est 1. Omnes durationes intrinsecas, quas modo tempore extrinseco numeramus, easdem omnino fore, licet nullus esset motus, nullumque tempus reale, quo mensurarentur; res enim mensurata proculdubio persistere potest in se, licet nec mensuretur, nec sit aliqua mensura extrinseca, qua mensurari possit.

Certum est etiam 2. Predictæ durationes intrinsecas posse esse alias aliis productiores; alias aliis breviores: item alias priores, alias posteriores: sic plus usque ad præsens duravit anima divi Petri, quam anima divi Francisci: item duratio illius prius incepit; ista vero posterius: & hoc quidem idem omnino esset, licet nullum esset tempus, quo extrinsecè numerari, aut mensurari possent. Explicandum itaque nunc est, in quo stet ut licet nullum esset tempus, nullusque motus, adhuc verè una duratio esset altera major: itemque una prior,

prior, & altera posterior.

Circa primum itaque assero; casu quo nullus esset motus, nullumque tempus, durationem unius rei esse duratione alterius rei maiorem, in eo formaliter stare, quod neimpè talis sit in se, ut si tempus simul cum ea existeret, plures ejusdem temporis partes elaberentur, pluresque enumerarentur, quam in alterius rei duratio-ne: effectivè autem id ab actione eidem provenire, quaè nempè sit determinatio ad prefatam illam maiorem durationem, seu diuturniorem illius rei in suo esse per-manentiam. Hoc enim solum posito, & intellecto, satis concipitur, cur praedicta res tum formaliter, tum effec-tivè, plus duret: neque enim aliud excogitare possumus, quo diuturniorem rei durationem exponere possi-mus, quam per id quod nobis magis obvium est, per temporis nempè partes successivè fluentes: non enim alia nobis in promptu est durationum mensura: quæ si nobis ignota esset, neque durationem aliquam metiri possemus, neque ejus quantitatem agnoscere, ac deter-minare: neque cum alia ita combinare, ut an alterutra major alia fuerit, ullatenus valeremus definire. Actionem autem illam, qua res ad majorem duratio-nem, seu persistentiam determinatur, perfectiorem cum P. Honor. Fabri appellare non renuo, perfectiorem, in-quam, in ratione, & munere durationis effectivæ: quemadmodum enim potior, ac estimabilior censetur duratio, qua major est, quam qua minor: similiter etiam actio determinativa rei ut plus intrinsecè duret, perfectior, ac estimabilior habenda est, quam qua rem ad minorem durationem determinat.

Circa secundum verò, licet cunctis notum sit, quid per ante, & post intelligatur, quidve per prius, & po-sterius; in nō modicam tamen offendimus difficultatem,

cum

cum explicare volumus, in quo sit, secluso omni mo-tu, omniisque tempore, unam rem fore, altera priorem, aut posteriorem. Et quidem possumus non incongrue, hoc etiam munus actioni productivæ designare: si nem-pè supponamus respectu cuiuslibet rei, fluxum quem-dam actionum possibilium syncategorematicè infinitum; id est, actiones possibles sibi invicem essentialiter succidentes ab æternò, usque in æternum: tunc enim quælibet illarum actionum, ita esset affixa sua duratio-ni, seu suo *nunc*, ut essentialiter esset posterior respectu præcedentium, & prior respectu succendentium: ita ut nec à Deo produci posset, nisi eo successionis ordine. Sic sentire videtur P. Honorat. Fabri *Metaph. lib. 9. prop. 11.* qui pro eadem sententia adducit Cardin. de Lugo. In hac itaque hypothesi facili negotio explicabitur determinatio rei, ut sit ante, vel post: nihil enim aliud erit quam actio rei productiva, non tamen quælibet, sed illa quæ in prædicta serie esset essentialiter prior, aut posterior respectu ceterarum.

Si autem alicui hic explicandi modus subtilior potius, quam solidior appareat, meliorem assignet, per me licet, interim tamen prædicto acquiescam, versamur enim in re satis difficulti, qua eo plus recedere à nobis videtur, quo propinquius eam capere judicamus. Hinc colliges potuisse quidem Deum producere animam Sancti Petri post animam Sancti Francisci; in hoc ta-men casu non eam produceret per eandem actionem, qua modo ante animam divi Francisci producta est, sed per aliam diversam; per illam nempè, qua essentialiter posterior est actioni illi, qua anima S. Francisci est mo-do producta.

PROPOSITIO XI.

Assignatur ratio cur tempus, quod præterit, redire nullatenus possit.

Tempus quod præterit jam amplius redire non posse, ita apertum est, ut neminem lateat, dicente Ovidio lib. 3. de Arte amandi.

Exeunt anni more fluentis aquæ,

Nec que præterit, cursu revocabitur unda,

Nec que præterit hora redire potest.

Licet autem tempus esse irrevocabile, ita evidens sit, ratio tamen hujus irrevocabilitatis, non ita facile assignatur. Assero tamen idem tempus, quod præterit, iterum redire, fierique præsens, apertam involvere contradictionem. Supponamus enim annum 1716. qui nunc finitur cum hæc scribo, iterum redire, certè cum iterum reddit, vel desinit esse præteritum, vel non: si dicatur primum, impossibile quoddam admittitur; quod enim præteritum est, nequit non esse præteritum: simul enim esset, & non esset præteritum, præterisset, & non præterisset, quæ sunt contradictoria. Si autem cum iterum reddit, non desinit esse præteritum, certè ex ipso anno 1716, præterito, & ipso redeunte, duorum annorum duratio integratur: sunt ergo duo anni, & non unus, contra suppositum; implicat ergo eundem annum iterum redire.

Verum objici potest. Ponamus Deum rem aliquam primo productam destruere, eamque, ut potest, iterum reproducere: in hoc itaque casu, non solum res, quæ primo producta est, post destructionem, reproducitur; verum etiam eadem actio, qua primo producta fuit, iterum ponitur, aut poni, ac reproduci potest, cum res reproducitur, quin ex hoc inferatur actionem illam

præ-

præcessisse in prima rei productione, & non præcessisse, nequæ esse duas actiones: ergo licet annus præteritus iterum redeat, non sequitur hunc annum præterisse, & non præterisse, neque esse duos annos. Resp. negans anteced. Eadem enim actio, qua res aliqua primo producitur, nequit eandem rem, post ejus destructionem, iterum producere: ratio autem est, quia ut hoc ita esset, oportebat actionem illam fore determinationem Dei ad producendum, ac reproducendum rem illam: hoc autem esse impossibile inde patet, quod nemp̄ actio illa quatenus reproducit, existeret cum res primo producitur, sine termino reproducit: & cum destruatur ante rei reproductionem, destrueretur absque sui termini positione: esset itaque illa actio, ut reproducit, sine termino, quod est impossibile: non ergo eadem actio primò productiva alicujus rei, potest esse ejusdem rei reproducit: ergo cum res reproducitur, hoc fit per actionem à primò productiva distinctam.

PROPOSITIO XII.

Motus, quo Sol quodlibet punctum physicum sui cœli percurrit, est instans physicum.

Ratio est, quia (def. 8.) instans physicum est, quod ita minimum est in ratione durationis, ut in se quidem sit indivisibile, licet aliud in alio motu possit alia duratio illo minor excogitari: sed sic se habet motus ille, quo Sol motu diurno quodlibet punctum physicum sui cœli percurrit: ergo est instans physicum, Min. prob. Nam 1. illa particula motus ita minima est, ut in hoc motu solari alia minor excogitari non possit; quæ enim particula in hoc motu minor esse potest, quam quæ in uno puncto percurrendo insunxitur: minima ergo est, & ex alijs minimè componitur. Deinde potest alia

alia minor, in hypothesi alterius motus velocioris designari, ut statim patebit: ergo est instans physicum. Præterea instans dicitur, quasi non stans: unde instans physicum, seu physice insensibile, est quasi physicè, & sensibiliter in duratione non stans, & omnem numerationem physicam prætervolans: sed Sol suo motu, in uno puncto physico sui cæli, quasi non stat, nec in illo sensibiliter durat: ergo prædictus motus est instans physicum.

Hinc tempus hoc nostrum, quod ut diximus, est solaris motus enumeratus, ex his physicis instantibus coalescit: nec in eo alia instantia ipsis minora, nisi per intellectum, excogitari possunt.

PROPOSITIO XIII.

Quo velocior est motus, eo minora sunt instantia, ex quibus componitur.

LOQUIMUR de motu, quasi de tempore, quod nihil aliud est, ut diximus, nisi motus enumeratus: & cum quilibet motus possit enumerari, quilibet potest pro tempore assumi. Assero itaque: quo velocior est motus, eo breviora esse instantia, ex quibus illa duratio successiva motus componitur. Ratio autem est, quia in quolibet motu, instans, seu minimum sua durationis est illa particula motus, quam mobile insumit in percurrente uno sui spatii puncto physico, ut ex antecedenti patet: sed quo velocior est motus, eo brevius percurrit mobile unum punctum spatii: ergo quo velocior est motus, eo sunt minora instantia, ex quibus motus ille componitur.

Hinc cum motus possit esse velocior, ac velocior indefinite, seu in infinitum syncategorematice, possunt similiter, & instantia esse alia aliis minora syncata-

the-

thegorematice in infinitum.

Hinc instans physicum est quidem actu indivisibile, ejus enim duratio non componitur ex aliis durationibus, sed est tota simul, & minima in illo motu; potentia tamen, seu per designationem, est divisibile in infinitum: cum in motu velociori, ac velociori, instantia, seu durationes mobilis in quolibet puncto physico spatii, sint breviores, ac breviores in infinitum.

Hinc nullum datur, nec dari potest instans mathematicum: hoc enim (def.7.) est tale minimum durationis, ut ipso alia duratio minor nec esse, nec excogitari possit: sed quolibet instanti assignato, aliud minus esse, & excogitari potest, quemadmodum & quilibet motu dato, potest aliis velocior assignari: ergo nullum est instans mathematicum. Hinc tempus, seu duratio successiva componitur ex instantibus; non quidem mathematicis, sed physicis.

PROPOSITIO XIV.

Quantula sit duratio unius instantis physici nostri temporis, aliquatenus investigatur.

NOSTRUM quidem tempus ex motu solari ab ortu in occasum defumitur, atque adeò, ut supra dictum est, ex instantibus physicis componitur, quorum quodlibet est duratio Solis in uno puncto physico sui cæli, dum prædicto motu movetur. Quantulum autem sit hujusmodi instans, sic aliquatenus, brevi inito calculo, colligere possumus.

Tempore unius minuti secundi, quod sensibiliter æquale est intervallo illo temporis, quod inter duas pulsationes arteriæ hominis temperati comprehenditur, decurrit Sol in suo cælo ad minimum 523. leucas hispanicas: cumque in praefato brevissimo tempore, tres

ad

ad summum ictus oculi perfici possint; evidenter colligitur Solem in ictu oculi 174. leucas hispanicas conficere: ergo unam leucam conficit in una centesima septuaginta quarta parte unius ictus oculi: cumque una leuca ex 3000. passibus geometricis coalescat (licet hispanica ex pluribus integretur) certè in uno ictu oculi percurrit Sol passus geometricos 522000. ergo unum passum percurrit in una ex 522000. partibus durationis unius ictus oculi. Cumque præterea passus ex quinque pedibus componatur, currit Sol in uno ictu oculi ad minus pedes 2610000. ergo unum pedem in una parte 2610000. vicibus minori, quam sit ictus oculi. Demum cum quilibet pes ex 12. pollicibus integretur, decurrit Sol in uno ictu oculi pollices 31320000. ergo in uno pollice decurrendo, tantum insumit unius ictus oculi partem unam ex 31320000. qua duratio certè tantilla est, ut omnem imaginationem prætervollet: quantula ergo erit qua in uno puncto physico decurrendo insumetur, cum in uno pollice innumera penè sint physica puncta. Sed de his satis.

PROPOSITIO XV.
Qualibet res incipit per primum sui esse: & definit per ultimum sui esse.

Quare tandem solet quomodo res incipiunt, & definiunt. Quæstio est parvi momenti, ideoque ab ea breviter me expediām. Dico itaque res incipiēre per primum sui esse, & definere per ultimum sui esse: hoc autem primum esse, & ultimum esse in rebus permanentibus, & quæ ut dixi, sunt tota simul, accipiendum est in ordine ad tempus, ita ut per primum esse rei permanentis intelligatur tota illa res, prout temporis A correspondet, in quo primò producitur:

per-

LIBER V. CAPUT I. 319
per ultimum autem esse intelligatur eadem rēs, prout tempori B correspondet, post quod jam ultra non existit. In rebus vero successivis, quale est tempus, primum esse, quo nemp̄ incipiunt, est pars illa rei successiva, qua primò est, seu primum instans: ultimum vero ejusdem esse est ultima ejus particula, seu ultimum instans, post quod aliud ad illam rem spectans non subsequitur. Nec opus est quidquam iis addere, cum de solo nomine sint, quæ hoc loci solent disputari: ideoque ad seriora pertractandā procedo.

LIBER V.**DE CORPORE NATURALI QUATENUS MOBILE:
SIVE DE MOTU LOCALI CORPORUM.**

QUAM utilis, imò quam necessaria sit motus localis cognitione iis, qui penitiora naturæ adita penetrare desiderant, inde haud obscure colligitur, quod nullum sit præfata naturæ opus, quod motus opera non perpetretur. Idcirco Arist. 3. Phys. cap. 1. motus notionem à Physico nullatenus prætermittendam censuit, quoniam *necessarium est, ignorato ipso, ignorari, & naturam*, quam principium motus, & quietis esse definit. Mirandum tamen omnino est, cum predictus Philosophus tanti fecisset motus notitiam, tam negligenter ab his, qui Peripatitum profitentur, investigari: quædam enim in Scholis prævaluit consuetudo, ut non nisi sub aliquibus præciosissimis metaphysicis de motus constitutione, & natura per-

pertractetur, admirandis ejus phænomenis oblitis; quibus ignoratis, omnem ferè Physiologiam latere necesse est.

Non defuere tamen ex Neotericis plures doctissimi viri, qui fœliciori ausu, ut facilius in abditiora nature arcana penetrarent, motus naturam, proprietates, ac leges, non tantum metaphysicis præcisionibus, verum, ut par est, adhibitis experimentis, accuratiū expenderent. Tales sunt Galileus, Gassendus, Cartesius, Borellus, Fabri, RR. PP. Maignan, & Saguens: tum & Franc. Tertius de Lanis è Societ. Jesu in suo Natura, & Artis Magisterio, & alii Philosophi. Horum itaque vestigia insequens, motus naturam, & phænomena expondere conabor; in presenti quidem solum ea, quæ præcipua sunt, magisque communia, ceteris ad propria loca reservatis: motus enim ingentem offert rerum silvam, cuius amenitatem facilius, fœliciusque perfruetur lector, si divisiim eam, debitoque ordine percurrat. Ut itaque id melius observem, librum istum quinque capitibus distributum exhibeo: in primo agam de motu in genere: in secundo, de motu directo: in tertio, de reflexo, & refracto: in quarto, de circulari simplici: in quinto, de motu ex predictis diversimodè mixto, atque composito. De more tamen sequentes definitiones communes præmitto.

DEFINITIONES.

1. **M**otus generalissime acceptus est *Mutatio unius in aliud; seu status unius rei in aliud ejusdem statum*. Sic cum aliquis ex ego fit sanus, mutari dicitur, ac moveri ad sanitatem: cum ex frigido fit calidus, mutatio, seu motus fit ad calorem, &c. Hinc cum omnis mutatio, seu motus sit unius in aliud, omnis

nisi motus duos terminos necessariò includit, aut saltim requirit, ut explicat Arist. 5. *Phys. tex. 3.* nempè terminus à quo, & ad quem. Terminus à quo est ille, quem res habebat, quemve amittit, ut alterum acquirat: hic autem qui noviter acquiritur, est terminus ad quem, si-
ve ad quem fit motus.

2. Licit autem, ut idem Philosophus asserit loco citato *tex. 5.* Motus, & mutationis species tot sint, quot entis: ad quatuor tamen, ut ibidem ait, revo-
cantur: Semper enim id quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum, mutatur. Quoties aliquid mutatur secundum substantiam, dicitur fieri motus ad substantiam, ut in generatione substantiali, qua una forma substantiali recedente, alia similiter substantialis acquiritur, ideoque dicitur Generatio, & corruptio. Quoties fit mutatio secundum quantum, fieri motus di-
citur ad quantitatem, cum nempè major, aut minor quantitas acquiritur, ut evenit in rarefactione, & condensatione; rarefactione enim acquirit corpus majorem dimensionem; condensatione vero minorem; ideoque dicitur Accretio, & Decretio: idem contingit in au-
gmento corporis plantæ, & animantis. Cum vero secundum quale fit mutatio, dicitur fieri motum ad qualitatem: cum neimpè ex.gr. corpus ex frigido fit calidum; aut ex non calido, calidum, diciturque Alteratio. Et tandem quoties mutatio fit secundum locum, fit motus lationis, seu localis, cum nempè res ab uno loco transit in aliud, diciturque Motus localis: hicque est in natura corporea præcipius, imò & propriè motus; cetera enim mutations supradictæ, ope hujus motus ab agentibus naturalibus efficiuntur, ut ipse Aristoteles docet *lib. 7. Phys. tex. 30.* & *lib. 8. Phys. tex. 55.* & 77.

3. Motus itaque localis est *Mutatio loci*: sive *translatio mobilis è loco in locum*.

4. Motus localis dicitur aut *velox*, aut *tardus*. Motus velox est *ille*, quo percurritur à mobili majus spatiū aquati tempore; vel aquale spatium minori tempore. Motus verò tardus, è contra.

5. Impetus, seu Impulsus est *determinatio mobilis ad motum*.

6. Linea motus est illa, per quam motus dirigitur: seu per quam mobile movetur. Ratione hujus lineæ dividitur motus in varias species, quæ suo loco exponentur.

C A P U T I.

De Motu, & Mutatione rerum in genere.

MOTUS, ut suprà dictum est, generatim sumitur ab Aristotele pro qualibet mutatione: ceterum cum inter mutationes ea, quæ lationis, seu ad locum appellatur, præcipua sit, de eâ potissimum hoc loci erit nobis sermo, ejusque naturam, successionem, terminos, ac causas discutiemus; prius tamen in sequenti prop. Motus generalissime pro omni mutatione accepti notionem, juxta Aristotelis mentem breviter exponemus.

PROPOSITIO I.
Explicatur ad mentem Aristotelis notio motus generalis accepti.

Intra omnes venerandæ antiquitatis Philosophos, qui de motu scripsere, haud dubie præstantissimus

suit

fuit Aristoteles, qui subtiliter admodum, magnoque ingenii acumine, licet sub metaphysicis præcisionibus, longum de motu sermonem iniituit lib. 3. *Phys.* tum lib. 5. & sequentibus: ubi tres nobis motus generatim accepti definitiones assignat. Primam tradit lib. 3. *Phys.* cap. 2. tex. 6. dicens: *Motus est actus ejus, quod potentia existit, quatenus bujusmodi*. Secundam verò adducit eodem libro cap. 5. tex. 16. afferens: *Motus est actus mobilis, quatenus mobile est*. Tertiam tandem adfert cap. 12. tex. 23. *Motus est actus ejus, quod agere, aut pati potest, quatenus tale est*. Tres istæ definitiones ad idem tandem recidere videntur; prior tamen jure ceteris anteponitur: sicque clarius communiter exprimitur: *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia*.

Hæc autem definitio, quæ communiter ab omnibus recepta est, non modicam continent difficultatem: non enim facile explicatur quisnam sit actus, per quem motus formaliter constituitur: quam difficultatem testatur ipse Aristoteles, dum tex. 15. loquens de motu ait: *Relinquitur igitur actum quidem quendam esse, tam autem actum, qualem diximus; difficilem quidem cognitus, sed qui esse posuit*. Tota autem difficultas inde præsertim exoritur, quod nempè actus, qui in prædicta definitione exprimitur, vel est mutatio jam facta, seu forma per motum, aut mutationem jam adquisita; vel est eadem forma mox acquirenda: neutrum autem dici posse videtur: non primum, quia ad formam jam acquisitam non datur motus, sed potius per illam factus est status, ejusdemque possessio: non secundum, quia forma mox acquirenda, cum adhuc non existat, nondum actuat suum subiectum: & consequenter non est actus: nullo itaque modo dici posse videtur motum,

tum, seu mutationem esse actum.

Hanc tamen difficultatem optimè juxta Philosophi mentem explicat S.Thomas 3. *Phys. lect. 2. Q. 3.* distinguens duos actus, unum quidem perfectum, & aliud imperfectum: asseritque terminum motus, aut mutationis esse actum perfectum, quo ne m p e res mutata esse dicitur; ipsum vero motum esse actum imperfectum, ac veluti transitum, & tendentiam ad actum perfectum. Unde juxta hanc Angelici Doctoris doctrinam *Motus est actus imperfectus entis in potentia, prout in potentia ad actum perfectum.* Considerandum enim est (ad dit S.Thomas) quod antequam aliquid moveatur, est in potentia ad duos actus, scilicet ad actum perfectum, qui est terminus motus; & ad actum imperfectum, qui est motus: sicut aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calefieri, & ad calidum esse: cum autem calefici, reducitur ad actum imperfectum, qui est motus; nondum autem ad actum perfectum, qui est terminus motus; sed adhuc respectu illius remanet in potentia. Quid vero sit actus ille imperfectus, aut quid addat praeter rem, quæ mutari dicitur, postea patet: nihil enim aliud esse posse videtur, praeter agentis actionem, qua nova forma in rem illam inducitur, quæ speciem suis locis exponetur.

Hinc colligitur in quolibet motu, seu mutatione quinque omnino concurrenre. 1. *Movens*, seu id quod movet. 2. *Mobile*, id est, id quod moveatur, seu est subiectum motus. 3. *Terminus ad quem*, qui est forma, novus status, seu nova perfectio à mobile, seu ente in potentia acquirendā. 4. *Terminus à quo*, seu id quod à mobile deferitur. 5. *Ipsa via*, qua mobile ad terminum ad quem acquirendū progreditur, & hēc est formalissime motus. *Exemplum.* Quando ignis calefacit aquam,

mo-

325
movens est ignis; mobile est aqua: terminus *ad quem* est calor: terminus *à quo* est frigus: ipsa autem caloris acquisitione est formaliter motus, qui dicitur *actus*, sed imperfectus, ut superius dixi. Sed de his satis, sunt enim omnino metaphysica: ideoque ad motus localis explicationem procedo, cuius opera omnes ferè mutations rerum corporearum perficiuntur.

PROPOSITIO II.
Motus localis est transitus mobilis ab uno loco in alterum, id est, in aliud locum.

Dari motum localem, seu corpora localiter moveri, ita testatur experientia, ut à nemine possit dubitari, mihiique omnino incredibile videtur, quemquam alicujus notæ Philosophum de motus localis existentia seriò unquam dubitavisse. Licit enim Aristoteles lib. 6. *Phys. tex. 75.* nimis sollicitè conetur quatuor Zenonis argumenta convellere, quibus convincere volebat motus impossibilitatem; ea tamen Zenonem non ideo oposuisse autumno, quasi propriam de motus impossibilitate thesim firmaret; sed potius quasi solutionem expetens earum difficultatum, quæ adversus rem, alioquin omnino perspicuum opponuntur. Has cum sibi proponerentur, facilius, & efficacius dissolvit Diogenes, surgendo tantum, & ambulando, nam

Ridiculum acri
Fortius, & melius magnas plerumque fecat res.
Diodorus præterea Sophista, qui Zenonis rationibus armatus, motus impossibilitatem acerrimè tuebatur, ab Herophilo Medico, joco non infaceto, coactus est sua sententia errorem deponere: cum enim Hierophilum vocaret, ut sibi luxatum humerum restitueret; hic ei subridens dixit: Diodore mi, alio certe morbo labo-

ras:

ras: humerus enim è suo loco excidere nullatenus potuit, cum ipsum localiter moveri sit impossibile: sive de suarum argutiarum absurditate convictus, innegabilem esse motus existentiam fassus est. Qua supposita.

Affero motum localēm esse transitū mobilis ab uno loco in aliū locū. Sic communiter definitur, nec aliud per motum localēm intelligitur: quoties enim concipimus corpus, uno loco relīctō, in aliū transmigrare, illud indubitanter moveri dicimus. Prēterea in p̄fata definitione continentur omnia quā ad motus notionem essentialiter requiruntur, quemadmodum & in aliis mutationib⁹: nemp̄ mobile, terminus à quo: terminus ad quem, & ipsa translatio, in qua formalis ratio motus consistit. Mobile est id, quod ab uno loco in aliū transfertur, estque subiectum motus: terminus à quo est locus, qui à mobili relinquitur, ut ad aliū transferatur, locus, inquam, sive intrinsecus, sive extrinsecus: potest enim dari motus localis etiam in vacuo, ac in spatiis extramundanis, ut colligitur ex dīctis lib. 3. prop. 14. & 15. & postea amplius patebit. Terminus ad quem est locus ad quem mobile transferatur; ipsa vero translatio, seu transitus mobilis ab uno loco ad aliū est formalissimè motus.

Prēterea motū nihil aliud includere pr̄ter id, quod in allata definitione continetur, sic probatur: nam illud sufficit ad rationem motus, quo posito, ceterisque omnibus vel re, vel ratione sublati, motus concipiatur: sed hoc solum posito, quod mobile transferatur ab uno loco in aliū, clare, ac distinctè moveri concipiatur: ergo nihil aliud requiritur: & consequenter in eo solum posita est ratio formalis motus. An verò dicta mobilis ab uno loco in aliū translatio in-

clu-

LIBER V. CAPUT I. 327
eludat aliquid ab ipso mobili, & à locis à quo, & ad quem distinctum, statim patebit.

PROPOSITIO III.

Hinc patet quid sit motus latioris, tum activè, tum passivè sumptus.

*E*x dīctis colligitur motum, seu translationem mobilis ab uno loco in aliū, si passivè sumatur, nihil aliud formaliter esse, quam destructionem, seu desitionem pr̄sentię, quam habebat mobile in loco A, & acquisitionem, seu positionem ejusdem in loco B, immediate factam: transitus enim nihil aliud pr̄ter hęc includere posse videtur, hoc enim tantum concepto, propriam, ac distinctam motus ideam efformamus. Unde nec est sola pr̄sentia mobilis in loco adquisitio; nec sola desitio pr̄sentie in loco ubi existebat, sed est utrumque, nemp̄ desitio existentię in uno loco, ut statim locetur in aliō.

Hinc sit motum seu transitū illum mobilis à loco A in locum B, si effectivè consideretur, dicere duas ubicationes, seu duas actiones, quarum una desinat esse, alia verò immediate ponatur: tum enim corpus effectivè moveri concipitur à loco A in locum B, cum desinat conservari in loco A, ut immediate conservetur in loco B: nec id possumus concipere, quin corpus moveri concipiamus: pr̄dicta ergo sufficient ad rationem motus tum activè, tum passivè considerati.

PROPOSITIO IV.

Hinc motus localis est modus corporis, quod in aliū loco movetur.

*D*ico translationem illam, in qua ratio motus consistit, esse modum corporis mobilis, quo nemp̄ inveniatur.

con-

constituitur in statu rei motæ. Ratio est; quia translatio ista, seu motus, si passivè sumatur (3.) præter ipsum mobile, nihil entitativum addit; sed tantum mutationem illam, seu successionem præsentiarum: sed hæc mutatio præsentiarum solum dicit præsentias illas, quatenus una ablata, altera succedit; præsentia autem illæ sunt tantummodo modi, ut lib. præced. diximus: ergo motus localis est corporis modus: si verò motus effectivè spectetur, sunt ubicationes sibi succedentes, seu actiones, quæ etiam sunt modus: ergo motus localis, quovis modo spectetur, est modus.

Hinc colligitur quietem etiam esse modum corporis: corpus enim quiesceré, est in unico, eodemque loco conservari, eidemque correspondere: quod ut ex alibi dictis constat, nihil entitativum addit supra corpus locatum, & quiescens, sed tantum modale.

PROPOSITIO V.

Motus est essentialiter successivus.

Ta communiter omnes Philosophi; oppositum tamen tenet Stephanus de Melles *Phys. gen. part. 2. disp. ult. cap. 3.* ubi generatim statuere conatur, nullum motum esse essentialiter successivum, sed quemvis esse posse instantaneum. Afferro tamen cum communi motum, & speciatim localem, esse essentialiter successivum.

Prob. 1. ratione fundamentali: nam motus localis est translatio mobilis à loco in locum; quod (3.) nihil aliud est, quam desitio præsentia mobilis in uno loco, ut statim locetur in alio: sed hoc essentialiter dicit successionem: ergo motus localis est essentialiter successivus. Min. prob. Nam desitio præsentie, seu existentie corporis in loco A, ut sit in alio loco B, supponit essen-

tialiter corpus desinere esse in loco A; & nondum existere in loco B: & cum sit præsens loco B, supponitur desisse jam existere in loco A: nec aliud nomine translationis intelligimus: sed hoc essentialiter dicit successionem; nempè prius desinere esse in uno loco, seu termino à quo, quam sit in alio, nempè termino ad quem: ergo translatio mobilis à loco in locum essentialiter dicit successionem.

Respondet Stephanus de Melles loco citato, corpus quod movetur, posse esse falcim divinitus in eodem instanti reali in termino à quo, & ad quem, licet nequeat in ipsis vi motus existere in eodem instanti naturæ: factetur itaque corpus mobile prius necessariò esse in termino à quo, quam in termino ad quem: prius quidem, non prioritate temporis, sed prioritate naturæ, quatenus nempè ad secundum nequit pertransire, quin pertransierit, aut saltim discesserit à primo.

Sed contra 1. Quia prioritas, & posterioritas naturæ solum inter illa repertiri dicitur, quorum unum dependet ab alio, independenti ab illo: sed existentia corporis in termino, seu loco ad quem: non dependet ab existentia aliqua ejusdem corporis in termino à quo: potuit enim in termino ad quem, absolute sumpto, existere, quin extitisset in termino à quo: ergo nulla reperitur inter has existentias prioritas, aut posterioritas naturæ. Contra 2. Nam adhuc ipsa admissa, ut adversarius eam admittit, nullus daretur motus: nam si in eodem instanti reali, corpus esset in illo duplice loco, certè in illo duplice loco tunc quiesceret, nec verè diceretur realiter reliquæ unum locum, aliumque acquisivisse: non ergo sufficit ad motum realem prædicta prioritas, & posterioritas naturæ, sed essentialiter requiritur prioritas, & posterioritas temporis: & consequenter successio. Pro-

Prob. 2. Si mobile moveretur localiter in instanti, moveretur simul, & quiesceret: sed hoc est impossibile: ergo, &c. Sequela prob. Nam moveri localiter in instanti, est in eodem instanti discedere à termino *à quo*, & pervenire ad terminum *ad quem*: sed si mobile in eodem instanti discederet, & perveniret, moveretur, & quiesceret: ergo simul moveretur, & quiesceret. Min. prob. Et 1. quidem prædictum mobile moveretur, ut supponitur: deinde in eodem instanti quiesceret; pro eodem enim instanti discessiois esset in termino *ad quem*, in quo est quies: ergo, &c.

Obijciones 1. Si motus localis non posset fieri in unico instanti, idèo esset, quia sic mobile foret simul in utroque termino motus, & in spatio interjecto, quod communiter putatur impossibile: sed hoc saltim divinitus non est impossibile: ergo, &c. Min. prob. Nam illa simultanea existentia mobilis in utroque termino motus, & spatio intermedio, nihil includit, nisi existentiam illius circumscriptivam simul in pluribus locis: sed hoc, ut alibi diximus, non est divinitus impossibile: ergo, &c. Resp. negans majorem: non enim idèo præcisè contendimus mobile non posse in eodem instanti localiter moveri, quia simul esset in utroque termino motus, sed insuper quia hoc est contra rationem motus: corpus itaque simul constitutum à Deo circumscriptivè in multiplici illo loco, quiesceret in multiplici illo loco: tunc enim solum moveri arbitramur, communi omnium consensu, cum post unum locum relictum alium occupat, quod certè successionem dicit: verificari enim oportet, cum est in termino *à quo*, non esse in termino *ad quem*: & cum hanc obtinet, non esse jam in termino *à quo*, nisi fiat quæstio de nomine, hoc autem diversa instantia requirit.

Ob-
-ij-

Objicies 2. In vacuo, aut si mavis, in spatiis ultramundanis possibilis est motus: sed ibi motus esset instantaneus, minimeque successivus: ergo motus non est essentialiter successivus. Major constat ex dictis lib. 3. prop. 30. Min. prob. Nam successio motus localis provenit à resistentia medii: sed in vacuo nullum esset medium resistens: ergo motus in eo non esset successivus. Sed resp. concessa maj. negans min. Ad cujus probationem nego antecedens, ut enim loco citato demonstravi in solutione objectionis 4. successio motus non provenit à medii resistentia: sed à spatio ita percurrento, ut prius deferatur unus locus à mobile, ac deinde alias, aliisque acquiratur, ut constat ex dictis.

PROPOSITIO VI.

Motus propriè non producitur.

Explícata in præcedenti motus localis notione, ad inquirendas nunc ejusdem causas convertimur. Et primo quidem asséro, motum propriè non produci, nec propriè loquendo esse effectum causa efficientis. Ita Mouſnerius ex Fabri tract. de Motu locali, lib. 1. theor. 2. Francisc. de Lanis tract. 2. cap. 2. prop. 28. & alii. Prob. 1. Nam motus non est entitas distincta à mobili, sed est modus mobilis, id est, mutatio illius, seu translatio ex loco in locum: sed modus propriè non producitur, cum non sit simpliciter ens, ut alibi juxta Aristotelis mentem, & S. Thomæ doctrinam, late probavimus: ergo motus propriè, & simpliciter non producitur, neque est aliquius causa efficientis effectus. Dixi propriè non produci: impropriè enim loquendo dicitur produci, quemadmodum & ceteræ formæ modales: quatenus nempè corpus in diversis locis successivè producitur, & conservatur. Et confirmatur, nam

op-

oppositorum, ut ajunt, eadem est ratio: idem ergo proponione servata dicendum erit de motu, quod de quiete: sed quies propriè non producitur, sed tantum impropriè, quatenus nempè producitur corpus quiescens, seu conservatur in eodem loco: ergo similiter motus propriè non producitur, sed tantum impropriè, quatenus nempè corpus, quod moveretur, in diversis locis successivè conservatur, aut producitur.

Probatur 2. à P. Francisco Tert. de Lanis. Si posset motus produci, posset etiam destrui: sed non potest destrui: ergo nec produci. Min. prob. Destruatur enim motus eo instanti, quo mobile priorem locum relinquit, & novum acquirit, remanente tamen mobili: in hac itaque hypothesi, moveretur mobile simul, & non moveretur. Non moveretur, quia supponitur motus destrui; moveretur verò, quia illo eodem tempore locum priorem deserit, novumque acquirit, quod est moveri.

Sed dices. Potentia loco motiva est activa: ergo aliquid agit, & efficit de novo: sed nihil efficere potest nisi motum: debemus ergo asserere motum verè, & propriè produci. Ut huic difficultati satisfaciant praefati Auctores, & alii communiter, asserunt potentiam loco motivam producere quoddam accidens entitativum de genere qualitatis, quod *impetus* appellant, huncque asserunt esse causam motus; non quidem efficientem ob rationem dictam, sed tantum exigentem motum corporis illius, cui inhæret, quem idcirco ad causam formalem tandem reducunt. Verum & hoc quod de impetu asserunt predicti Auctores, dicam ego de potentia motrice, quæ debitè applicata mobili, exigit ejusdem motum. Dico itaque potentiam loco motivam, præsertim corpoream, solum dici motum producere,

LIBER V. CAPUT I. 333
cere, quatenus invandendo locum, in quo erat mobile, exigit hoc in alio loco conservari, primo relicto; sed de his postea: præsumptum autem impetum admittendum non esse, sequenti propositione stabilitur.

PROPOSITIO VII.
In corporibus, quæ moventur, nullus datur impetus, quod accidentis sit entitativum, ab eis distinctum.

Prob. 1. Nam existentia hujusmodi formarum accidentium, quæ entitates sint ab omni substantia distinctæ, jam satis explosa est lib. i. hujus tract. Idque diversis rationibus, quæ tetet hic iterum adducere; sed impetus, prout à suis Auctoriis asseritur, eset aliqua ex predictis formis accidentibus ab omni substantia distinctis: ergo non est admittendum.

Prob. 2. Nam prefatus impetus est omnino inutilis ad motum localem: ergo non debet admitti. Antec. prob. Nam ipse non est causa efficiens motus, ut communiter ab adversariis admittitur, & ex prop. antec. est manifestum: neque est illius causa materialis, nec finalis, ut est notum: præterea nec formalis, cum tota motus natura, ac notio, sine predicta qualitate entitativa explicetur, prout ab Aristotele explicatur, qui numquam de hac neoterica qualitate cogitavit: ergo praedictus impetus, prout ab his Auctoriis asseritur, nullatenus ad motum localem conducit: ergo est inutilis, & consequenter rejiciendus.

Dices tamen cum P. Honor. Fabri, & Mousnierio hujusmodi impetum reduci ad causam finalem, quatenus nempè est qualitas quædam, non effectiva, sed exigitiva motus sui subiecti, seu corporis mobilis, cui inest. Sed contra 1. Nam gratis omnino effingitur talis qua-

qualitas entitativa, ut exigat motum: cum ipsa corpora, quoties in alia quiescentia incurront, id possint exigere. Corpora enim, ut alibi diximus, exigunt actualem impenetrationem, neque ad id opus habent aliqua qualitate entitativa ab eisdem distincta; sed se ipsis predictam impenetrationem exigunt, ut Auctores ipsi, quibus cum contendimus, defendant: cur ergo corpora, cum suo motu in alia quiescentia incurront, horum à loco recessum, seu motum, ac lationem non se ipsis exigunt, sed media illa qualitate ab eisdem distincta.

2. Dicant quoſo, quid praefata qualitas exigat? dicunt, certe nihil aliud nisi motum, id est, translationem corporis illius à loco in locum: recte quidem, verum hæc translatio ab aliquo fieri debet: ergo vel à Deo, vel à creatura: si translatio illa corporis, posito impetu, fiat à creatura, certe fiet vel à corpore impellente, vel ab eo, in quo recipitur impetus. Non primum: cum enim impetus non aliter ad motum conduceat, nisi illum exigendo, certè corpus impellens aque poterit aliud movere, ac à loco pellere, esto nullus sit impetus illum motum exigens: & mirum sanè videtur, corpus potens aliud à loco pellere, ut illud depellant, indigere, ut prius producat qualitatem illam, qua motum ab eodem perpetrari exigat: si vero dicatur, posito impetu, corpus ipsum, in quo recipitur impetus, se ipsum movere ad impetus exigentiam: cur etiam non poterit se ipsum movere, sine predicto impetu exigente motum, cum mera illa exigentia motus, potentiam motricem nullatenus potentiorē possit efficere: non ergo requiritur impetus, ut creatura motum efficiat. Si vero dicatur Deum corpora movere ad exigentiam impetus, quatenus illa in diversis locis successivè ad impetus exigentiam conservat: cur non idem efficere poterit ad

exigentiam ipsorum corporum, posito unius in aliud incursu? Omnino ergo inutilis est predictus impetus modo quo ab adversariis adstruitur.

Prob. 3. Nam juxta hunc dicendi modum, perperam, ni fallor, explicari potest, cur idem mobile velocius movetur, cum ceteris paribus, ab eo corpore truditur, quod velociori motu in ipsum impingit: quid enim hoc confert, ut impetus productus velociorem motum exigat. Dices in predicto casu plures impetus gradus produci: ideoque majorem motum, seu velociorem exigere. Ceterum id non recte inferri videtur: possunt enim esse plures gradus impetus exigentes eundem motum: cur ergo exigunt majorem, seu velociorem? Cum enim impetus motum effectivè non causet, sed tantum illum exigat, nihil juvat unus gradus additus, nec auget exigentiam alterius: non enim sunt ut cause effectrices, quæ unitæ, sibi mutuo auxiliantur, ut majorem effectum producant.

Prob. 4. Nam qualitates entitativæ non destruuntur nisi à contrariis, ut patet in sententia communi, juxta quam frigus non nisi à calore destruitur: sed impetus ab his Auctoribus admisisus, sàpè destruitur absque ultra sibi opposita qualitate: ergo non est qualitas entitativa. Respondent, sàpissime destrui non alia ratione, nisi quia motum causare in illo subiecto non potest: tunc enim esset frustra; & cum in natura nihil sit frustra, destruitur in eo casu qualitas predicta.

Sed contra. Nam nulla causa pendet in suo conservari ab effectu suo: sic calor minimè perit, etiam si corpus calefacere non valeat: ergo neque impetus peribit, etiam si motum in obvio corpore causare non possit. Præterea id certè mirabile videtur, impetum tunc in conservari non pendere à sua causa; pendere vero

verò à suo effectu : separata siquidem causa , quę eum produxit , impetus in mobili perseverat ; factō verò impossibili motu , qui est prædicti impetus effectus , destruitur impetus . Imò id adhuc mirabilius occurrit , impetum nempè perire , si nullum effectum possit producere ; & similiter perire , cum totum illum effectum causat , quem causare potest : sapè enim , ut experientia testatur , globus in alium impactus statim quiescit , cum totum suum motum alteri confert , seu impetus sibi aequalē in eo producit , dira certe proles , quę matrem enecat .

Respondebunt , impetum in hoc à ceteris qualitatibus differre , quod motum propriè non efficiat ; sed exigat : quare si nullus eum motus consequatur , statim definit esse , frusta enim esset sine effectu , seu termino sua exigentia : & similiter ubi motum omnem , quem efficere potest , in illo subiecto produxit , omnino cessat ; jam enim similiter esset frustra , cum totum illum motum , seu terminum jam habuerit . Sed contra , nam motus tantum est effectus formalis secundarius illius impetus , ut ab eisdem Auctoribus exprefse assertur : ex eo autem quod effectus secundarius cessat , non re-ctē infertur causam formalem perire , cum posit adhuc primarium effectum conferre , qui in præsenti casu est , impulsus esse . Præterea in secundo casu non est cur impetus perire debeat : nondum enim esset frustra , cum ipsum corpus impingens , quod impetum produxit , posset adhuc moveri .

Prob. 5. Si impetus sit qualitas entitativa producta à potentia motrice in subiecto mobili , certe erit producita per generationem ; non enim ab ea potest creari : sed non producitur per generationem : ergo , &c. Min. probatur . Nam omnis generatio aliquam in subiecto

præ-

presupponit corruptionem , ut omnis Peripatus fatetur : sed in mobili nulla ad ejus motum præcedit corruptio : ergo nulla est præfati impetus generatio . Minor patet , nam ad corruptionem aliqua presupponitur alteratio : sed ad productionem impetus nulla in mobili præcedit alteratio : ergo nulla est ibi corruptio : & consequenter nullius qualitatis entitativę generatio . Et confirmatur : nam alteratio fit successivę : atqui nulla præcedit successio ad mobilis à loco protrussionem , ut est certum : statim enim ac globus unus in alium impingit , sequitur hujus discessio à loco , seu motus : nulla ergo est alteratio : & consequenter nec corruptio , nec generatio aliqua impetus : nullus igitur impetus entitativus de novo producitur . Sed opposita jam argumenta solvere tentemus , quibus P. Honor. Fabri contendit demonstrare , ut ipse ait , existentiam prædicti impetus entitativi à corpore mobili entitativę distineti .

Objicit 1. Motus de novo est ; corpus enim quod quiescebat , modo movetur : ergo motus aliquam habet causam : sed non aliam , nisi impetus à mobili entitativę distinctum : ergo datur hujusmodi impetus . Min. prob. cum lapis in alium lapidem impingit , movet illum : sed non aliter illum moveare potest , nisi producendo impetum : ergo motus non aliam habere potest causam , nisi impetus . Min. prob. Nam substantia lapidis impacti non est causa hujus motus : ergo solum illum causat , quatenus producit impetum . Anteced. prob. Si substantia lapidis esset causa motus , esset necessaria : igitur applicata eundem effectum produceret : sed etiam applicata , ac inmediate conjuncta alteri lapidi , eum non movet , ut constat experientia : ergo non est causa motus . Confirmatur . Lapis impactus

non producit motum , qui (6.) propriè non producitur ; nec insuper exigit illum , aliter semper exigeret : ergo aliquid distinctum à lapide impacto est , quod exigit motum : sed hoc est impetus : ergo , &c. Resp. negans primam minorem. Ad cujus probationem nego etiam min. ad cujus probationem nego anteced. & concessu sequenti , distingo consequens. Substantia lapidis applicata ut cumque eundem effectum produceret , nego : debite applicata , concedo. Itaque lapis impactus in aliud lapidem est causa exigens illius motum , seu à loco remotionem ; non verò si impactus non sit , sed soluū eidem absque invasione , impactione , ac motu conjungatur : ut enim exigit lapidem quiescentem moveri , oportet ipsum moveri , & motu suo invadere illum , ut loco cedat : & sic , & non aliter censem applicatus , ut alterius motum inducat. Quid ? quod instari potest satis aperte argumentum in eorumdem Auctōrum sententia : nam dicam : si datur impetus , certè de novo producitur : ergo ab aliqua causa : sed non à substantia lapidis impingentis ; hæc enim esset illius causa necessaria : & consequenter applicata eundem effectum produceret : sed lapis applicatus , & alteri intermediate conjunctus , impetum in eo non producit : ergo substantia lapidis non est causa impetus : contra ipsorum sententiam. Solutionem itaque quam ipsi huic instantiæ exhibebunt , & ego eorumdem demonstrationi adhibeo. Ex quo patet ad confirmationem solutionis .

Objicies 2. Potentia motrix , cum movet , defatigatur , ut experimur ; ergo aliquid producit : non motum , qui propriè non producitur : ergo aliquid aliud , quod est impetus. Resp. Non omnem potentiam motricem defatigari cum movet ; quis enim dicat lapidem

cum

cum in alium impingit , eumque movet , defatigari. Solum itaque potentia motrix sensitiva defatigatur , cum aliquid movet : id enim ope muscularum se se contrahentium , atque explicantium , nervorumque motione exequitur , quorum fibrillæ , ingenti spirituum accurrentium copia tubulos illos subingrediente , nimium distenduntur , simulque magna præfatorum spirituum copia diffundatur , ac insumitur , in quo certè defatigatio illa , ac latitudo , quam experimur , consistit : nullatenus ergo ex hac defatigatione , alicuius novæ entitatis productio colligitur.

Objicies 3. Pila à manu projicientis disjuncta , diu adhuc movetur ; igitur hic motus aliquam habet causam : atqui potentia motrix non est ejus causa , quæ mobili conjuncta non est , imò potest jam esse delicta : ergo alia debet admitti causa : sed alia assignari nequit , nisi impetus : ergo à projiciente productus fuit imperus. Hujus argumenti solutio ex infra dicendis amplius patebit , longiori enim explicatione indiget : interim tamen respondeo , concessu primo enthymemate , negans min. adjunctionem : sufficit enim potentiam motricem tunc applicari , cum motus incipit ; minimè vero id opus est , ut fiat toto tempore , quo motus durat : conservatur enim postea mobile cum sua latione à Deo ad exigentiam generalem naturæ , qua qualibet res in eodem statu conservari oportet , donec nova in oppositum occurrat determinatio. Sed de his postea.

Objicies 4. Pila projecta , sensim sine sensu , tardiori motu movetur , donec tandem omnino moveri desinat , ut experientia testatur : ergo causa hujus motus non est semper æqualis ; sed sensim etiam debilitatur , ac remittitur , eodem modo quo ipse motus : sed nec decrevit substantia mobilis , nec potentia motrix , seu cor-

pus prius impactum: ergo alia est causa praesens, quæ sensim minuitur: sed hæc alia esse non potest, nisi impetus: ergo, &c. Resp. Pilæ projectæ motum sensim debilitari; tum quia à propria gravitate ad alium motum, aliamque lineam motus determinatur, ut in terram cadat: tum quia ab aere ambiente illius motui continuè resistitur: & consequenter pila ad quietem sensim determinatur, ut postea amplius patebit: non ergo ex motus projectorum diminutione, existentia illius impetus colligi potest, qui ab his Auctoribus asseritur.

PROPOSITIO VIII.

Corpus nequit aliud corpus movere, nisi ipsum moveatur.

ID ita perspicuum est, experientia teste, ut potius loco hypothesis haberi possit. Ratio autem est quia corpus non alia ratione aliud corpus movet, nisi ut in ejusdem locum ingrediatur; cum enim ratione impenetrabilitatis prohibetur, ne simul cum illo in eodem loco existat, opus est ut illud ab eo removeat, ut locum illum possideat: sed id nisi per motum, quo illius locum invadat, efficere non potest: ergo ut aliud moveat, debet & ipsum corpus moveri, suoque ipsius motu, alium protrudere, ac impellere: sicque cogere ut prorsum procedens, loco cedat.

PROPOSITIO IX.

Corpus nequit se ipsum movere, seu se ipsum ad motum localem determinare.

Probatur 1. Quia corpus ex se indifferens est ad motum, & quietem, ut statim patebit: ergo hæc indifferenta ab aliquo debet auferri, à quo nempè potius ad motum, quam ad quietem determinetur: sed

sed hæc indifferenta ab ipso corpore auferri non potest: cum enim non sit causa libera; sed necessaria, si se ipsum posset ad motum determinare, necessario esset in motu, præsternit nullo adversante impedimento: non ergo potest à se ipso ad motum determinari.

Prob. 2. Nam corpus ab eo solum potest ad motum determinari, à quo determinatur ad lineam motus: sed nequit se ipsum determinare ad lineam motus: cur enim potius ex infinitis propemodum lineis, per quas ferri potest, hanc potius, quam aliam eligeret: ergo à se ipso nequit ad motum determinari.

Prob. 3. Nam corpus ut moveat aliud, debet ipsum moveri (8.) ergo etiam ut moveat se ipsum: ergo ut se ad motum determinet, debet moveri: ergo ut se moveat, debet prius moveri: ergo motus saltim prioritate naturæ, esset prior se ipso, quod implicat: non ergo potest corpus se ipsum movere, seu à se ipso ad motum primo determinari.

PROPOSITIO X.
Hinc corpus quod primo moveretur, ab aliquo moveri debet, quod corpus non sit; sed spiritus.

Hæc propositio clarissime ex precedenti colligitur: si enim corpus, quod primo moveretur, ab alio corpore moveretur: cum hoc illud movere non posset, quin & ipsum etiam moveatur, jam illud non esset corpus, quod primo moveretur, sed istud: de hoc autem idem rediret argumentum: ergo motus à nullo corpore potest incipere: ergo ab aliquo, quod corpus non sit; sed spiritus: ab hoc ergo prima corpora, quæ moveruntur, incitantur ad motum: cumque spiritus sit causa cognoscitiva, ac libera; certè motus localis corporum

rum à causa libera, & cognoscitiva ducit initium;

Hinc colligitur, motum localem corporum solum posse primario corporibus induci à Deo ter opt. max. aut etiam, licet minus principaliter, ab Angelis, & anima humana. Et quidem Deus in ipsa mundi condizione, quibusdam corporibus motum indidit, seu ea ad certos motus determinavit, ut ab ipsis, aliis corporibus diversi motus inducerentur, prout corpore a universitate harmonia requirit. Quænam vero sint hujusmodi corpora alibi discutiemus. Angeli verò plerosque motus, Dei iussu, aut permissione, de novo aliquibus corporibus inferunt: anima etiam rationalis quamplurimos corpori, cuius forma est, communicat, quatenus nempè suo regimini subjicitur; de quibus alibi.

Neque ex his licet inferre, corpora non posse alia corpora movere, sed eorum motum solum effici à Deo, aut certè ab aliqua creatura spirituali, non, inquam, id licet inferre: nam esto Deus sit causa primaria motus, corpora itidem alia corpora verè movent; sed motu à prima illa omnium causa profluente, quæ immobilis manens, aut ait Boëtius, dat cuncta moveri. Quemadmodum & in horologio auctomato dentata rotæ alias verè movent, licet omnis motus ab elaterio dimanet: movent enim dependenter à convoluto chalybe, qui tympano inclusus, dum elasticitate sua se exponere conatur, motum illum inchoat. Sed corporum alia corpora moventium actio statim exponetur.

PROPOSITIO XI.

Corpus ex se indifferens est ad motum, & quietem.

L Icet hoc satis perspicuum sit, fueritque jam supra tamquam certum suppositum, nunc tamen amplius

plius ostenditur. Nam nulla res habet ex se essentialiter id quod amittere potest, integra manente illius natura: sed ut experientia testatur, corpus quod movebatur, nunc quiescit, & quod quiescebat, modo movetur, integra ejusdem corporis persistente natura: ergo nullum corpus ex se movetur, aut quiescit; sed æque potest, aut quietem, aut motum habere: ergo quatenus ex se, indifferens est ad motum, & quietem: sunt ergo motus, & quies quidam corporis status, seu modi, sine quorum quolibet esse potest.

Sed dices, ignis est corpus: sed ignis sine motu, neque esse, neque concipi potest: ergo aliquod saltim corpus essentialiter est in motu, absque ulla ad motum, & quietem indifferentia. Resp. negans minorem, ut enim suo loco patebit, ignis in mixtis actu continetur, idque sine motu, quod nempè ejusdem particula sunt aliis ætherogeneis colligatae, ac incarceratae: atque idcirco ignis in mixtis non habet esse sensibile; solum enim quando agitatur, ac separatus ab aliis particulis suo vividissimo motu cietur, lumine, ac calore se sensibus prodit: de quo suo loco.

PROPOSITIO XII.

Corpus semel ad motum, aut quietem determinatum, semper moveretur, aut quiesceret, nisi ab aliqua causa ad oppositum determinaretur.

H AC propositio ita certa à plerisque judicatur, ut tamquam innegabile postulatum haberi velint: estque expressa Aristotelis sententia lib.4. Phys. tex.69. ubi ait: Amplius nullus utique poterit dicere propter quid quod movetur stabit alicubi; cur enim magis hic, quam ibi? quare aut quiescat, aut in infinitum necesse est

344 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
est ferri, nisi aliquid potentius impedierit. Ratio tamen est, quia (11.) corpus quatenus ex se, indifferens est ad motum, aut quietem: ergo si semel sit ad motum determinatum, se solo non redibit ad quietem; aut si quiescit, se solo non ad motum concitatatur: ergo semel ad motum incitatum, nova determinatione indigebit, eaque ab extrinseco, ut ad quietem revocetur: & similiter si semel quiescat, ut ad motum concitetur: ergo semel ad motum determinatum, semper moveretur; aut semel quiescens, semper quiesceret, nisi ab aliqua causa ad oppositum determinaretur.

Hinc corpus quodlibet semper in illo statu perseveret, in quo à Deo in mundo positum est, nisi nova eidem accederet ab extrinseco determinatio: non enim ex se novum statum acquireret, ut patet ex dictis. Quod insuper confirmatur. Corpus quod à Deo sphæricum conditum est, semper sphæricum perseverat: & quod semel quadratum, semper suam figuram tuetur, donec ab aliqua causa, ea figura mutetur: ergo similiter corpus, quod semel quiescit, semper quiescet, donec ab aliqua causa motum accipiat: & quod semel movetur, semper in eo motu persistet, nisi nova accedat causa, quæ illum retardet, aut sistat.

PROPOSITIO XIII.

Hinc corpus postquam determinatum est ad motum, nullo alio indiget, ut deinceps moveatur: ac similiter cum ad quietem determinatum est, nullo alio indiget ut quiescat.

Inferunt ex dictis. Cum enim corpus ex se æque indifferens sit ad motum, aut quietem, (11.) & semel motum, aut quiescens in eo statu persistat, nisi ab ex-

trinseco ad oppositum statum determinetur, certè ut moveatur, sufficit semel ad motum determinari, nullamque ad quietem advenire novam determinationem: & similiter ut quiescat, sufficit nullam ab extrinseco ad motum determinationem accessisse: nullo ergo alio indiget, ut in motu, aut quiete perseveret.

PROPOSITIO XIV.

Motus, & quies in aliquo positivo physicè, ac realiter consistunt, eorumque diversitas explicatur.

Aliqui Philosophi defendunt, motum quidem esse quid positivum, ac reale; quietem verò è contra, neque esse ens, neque modum entis, sed puram motus privationem, quemadmodum tenebræ sunt pura privatio lucis: ideoque afferunt oppositionem inter motum, & quietem solum esse privativam. Afferunt tamen tum motum, tum & quietem esse statum, seu modum corporis realem, ac positivum. Ratio est, quia motus est *translatio corporis à loco in locum*: quies verò, *permanentia corporis in eodem loco*: sed utrumque est quid positivum: ergo tam motus, quam quies sunt aliquid positivum. Min. prob. Et quidem translationem corporis à loco in locum esse quid positivum, communiter ab omnibus admittitur. Quod verò quies, seu permanentia corporis in eodem loco, sit etiam quid positivum, patet nam permanentia corporis in loco, est corpus esse permanenter in loco: sed esse permanenter in loco, est quid positivum: ergo quies est quid positivum.

Confirmatur, nam si corpus quiescere, non esset quid positivum, nec moveri quid positivum esset, quod sic ostenditur: quiescere corpus est esse in loco permanenter; moveri verò est esse in diversis locis successivè: er-

go si primum non est positivum, multò minus secundum. Probatur conseq. Nam esse in loco permanenter nihil aliud in suo conceptu includit, quam corpus quatenus unum locum occupat; esse autem in diversis locis successivè, est corpus quatenus est in variis locis successivè: ergo si esse in uno loco non est quid positivum, neque esse in pluribus successivè, erit quid positivum: quies igitur quid positivum est.

Objicies 1. Licet corpus quiescens sit quid positivum, quatenus tamen quiescit dicit parentiam existentia in diversis locis successivè, quod est quid privativum. Resp. Eodem modo dicere possem corpus, quatenus movetur, dicere parentiam permanentiam in eodem loco: & consequenter motum esse quid privativum. Assero itaque praedictam parentiam dici tantum à corpore quiescente de connotato, ut ajunt, quod non tollit, quin in se sit quies quid positivum: quemadmodum licet unitas connotet parentiam multitudinis, quid positivum est: tam enim unum, quam multa sunt quid positivum: & si *unum* quid positivum non esset, neque multa essent quid positivum, sunt enim multa *unum*, seu multæ unitates: similiter itaque corpus quiescere, seu esse in unico loco, est essentialiter quid positivum: & si ita non esset, neque esse in multis successivè, esset quid positivum.

Objicies 2. Eo ipso corpus quiescere intelligimus, quod illum concipimus absque motu: ergo quies nihil aliud est quam privatio motus. Resp. negans anteced. Licet enim concipiamus corpus abstrahentes à motu, non proinde concipimus illud quiescere; ulterius enim requiritur, ut illius in eodem loco permanentiam apprehendamus: posse enim intellectum concipere corpus prescindendo ab ejusdem motu, & quiete, quis dubitet.

Ob-

Objicies 3. Ut corpus moveatur necesse est, ut Deus, qui prima causa est, velit illud corpus moveri, ita ut non satis sit eum velle, ut corpus existat, sed ulterius opus est ut voluntate speciali velit illius corporis motum. Ut autem Deus producat corpus cum quiete, sufficit voluisse corpus existere: ergo corpus istud quiescit per solam motus privationem: ergo quies in privativo consistit. Resp. Voluntatem divinam de existentia corporis, non esse praecissivam ab ejus motu, aut quiete: est enim de existentia corporis alicubi, seu in aliquo loco: unde per eandem voluntatem, per quam decernitur corporis existentia, decernitur ejus locus: hicque vel unicus, & cum permanentia corporis in ipso; vel plura, in quibus successivè conservetur: si primum, per eandem voluntatem de existentia corporis, decernitur ejus quies: si secundum, per eandem decernitur ejus motus. Si itaque velit Deus corpus moveri, decernet simul illud conservare per diversas actiones, seu ubicationes in diversis locis successivè; si verò ipsi placet corpus quiescere, decernet illud in eodem loco conservare per unicam, & eandem actionem, seu ubicationem: utrumque autem est quid positivum. Alias obiectiones omitto, quæ ex dictis facile solventur.

PROPOSITIO XV.

Explicari potest qualiter corpus determinetur ad motum.

Certum quidem est corpus determinari ad motum lationis effectivè à causa motrice, idque mediante actione, quam & motionem, impulsione, impulsum, aut impetum nuncupamus. Causa autem motrix, ut ex antea dictis colligitur, potest esse aut Deus, aut creatura aliqua spiritualis, aut etiam aliud corpus ab ali-

aliqua ex prædictis causis ad motum excitatum. Videlicet itaque est qualiter corpus, quod quiescit, determinetur, seu incitetur ad motum, tum a Deo, tum à creatura spirituali, tum ab alio corpore. Et quidem quod attinet ad modum, quo creature spirituales in corpora agant, eaque moveant, alio loco exponentur. Deus autem sola corporis conservatione in diversis successivè locis, corpora movere satis intelligitur. Tota itaque difficultas ad id tandem devolvitur, qualiter nempè unum corpus ab alio corpore ad motum determinetur.

Affero itaque corpus, quod movetur, cum in aliud quiescens incurrit, illud determinare, ac incitare ad motum, sola sui in illum impactione, & incursu. Ratio est, quia cum corpus ex se sit indifferens ut quiescat, aut moveatur, id est, ut in eodem loco persistat, aut successivè existat in diversis, eo præcisè quod aliud corpus, quod movetur, in ipsum, quod quiescit, incurrit, cum à loco dimovebit, & ad alium locum immediatum permeare faciet: cum enim impenetrabilia sint, nequeunt simul eundem locum possidere: cumque quod quiescebat, dum à suo loco ad immediatum transit, jam moveatur; si semel autem moveatur, semper moveatur, donec aliud in oppositum determinans occurrit, (12.) certè eo præcisè, quod corpus, quod movetur, in aliud quiescens incurrit, hunc ad motum incitat, & determinat.

Probatur 2. seu potius eadem ratio confirmatur. Eo ipso quod corpus moveri incipiat, jam determinatum est ad motum, donec ab alia causa ad quietem revoetur, (12.) sed cum corpus quiescens, ab alio in ipsum incurrente, cogitur primum locum deserere, jam incipit moveri: non enim locum illum deserere potest, quin ad

ad alium transeat, nec ad alium sine motu transire potest: ergo eo præcisè quod aliud corpus in ipsum incurrat, jam sufficienter ad motum determinatur. Hac autem impactione, & incursu corporis delati in quiete, nulla producitur entitas accidentalis, que impetus sit, aut impulsus, ut suprà diximus: sed ipsa impactio, ipseque incursus corporis delati in quiete, est quod appellatur *impetus*, aut *impulsus*; sive *motio*, & *impulso*: neque alia est actio corporis moventis in illud quod ab eo movetur, nisi haec motio, aut impulsio, quæ ut dixi est ad motum determinatio.

Hac etiam corporis se moventis in aliud impactione, & incursu, determinatur istud, tum ad lineam motus, tum ad majorem, aut minorem velocitatem: si enim corpus incurrens, suoque incursu alterius locum invadens, velocius, & per hanc lineam feratur, majorem etiam velocitatem alteri confert, ac per eandem lineam illud impellit, ob eandem rationem supradictam. In quo autem major, aut minor velocitas motus consistat infra determinabitur.

PROPOSITIO XVI.

Terminus prædictæ actionis, seu impulsoris est conservatio corporis impulsus successivè in diversis locis, à Deo facta ad exigentiam impulsoris seu corporis impellantis, quatenus talis.

His, que nuperim dicta sunt, statim subsequitur explicanda difficultas: si enim prædicta motio, & impulsio est actio corporis moventis, certè aliquem terminum habet: neque enim esse potest talis actio, si non ei sius terminus correspondat. Dico itaque terminum hujus motionis, seu actionis, qua unum corpus aliud movet, nullum esse alium, nisi ipsam creationem,

seu

seu conservationem corporis successivē in diversis locis, factam à Deo ad exigentiam corporis moventis; non quidem absolutè, & secundum se spectat; sed quantum suo motu in aliud incurrit, & impingit. Hac autem exigentia in eo solum stat, quod nempe ita opus est fieri ad fines ab ipso naturæ opifice statutos, atque ad hujus universi mirabilem harmoniam, quoisque voluerit, conservandam. Nec alium terminum requirit actio predicta corporis moventis; quia cum productiva non sit, sed solum rei productæ determinativa ad certum modum effendi: non est cur in assignando aliquo termino, per ipsam noviter productæ, frustra infudemus. Id autem omnino sufficere, ut verè unum corpus aliud movere dicatur, satis ex dictis colligitur.

PROPOSITIO XVII.

Motus localis diversæ species enumerantur.

DIVIDITUR I. Motus latonis ab Arist. lib. 7. Phys. tex. 10. ratione moventis, seu modi inferendi motum, in quatuor species, quæ sunt *Pulsio*, *Tractio*, *Vectio*, & *Vertigo*. *Pulsio* dicitur cum movens sequitur mobile. *Tractio*, cum movens antecedit, ac manu, fune, vel aliter mobile sequi cogit. *Vectio* dicitur, cum movens sustinet mobile, ac secum defert. *Vertigo*, cum illud in gyrum circa aliquod punctum vertit.

2. DIVIDITUR MOTUS RATIONE TERMINI *ad quem*: secundum illud enim corpora ferri dicuntur *sursum*, *deorsum*, *protsum*, *retrosum*, &c.

3. DIVIDITUR MOTUS RATIONE LINEÆ, quam mobile percurrit. Sic cum decurrat lineam rectam, dicitur *rectus*: cum circularem, *circularis*: cum spiralem, *spiralis*, &c. Motus circularis alius est conversionis, alius progressionis. Motus conversionis est ille, quo mobile, circa pro-

LIBER V. CAPUT II. 351
propriū centrum revolvitur, ut videre est in rota figuli. Motus vero circularis progressionis est ille, quo mobile circa centrum positum extra ipsum corpus, circumfertur, ut cum equus per circulum ambulare cogitur.

4. DIVIDITUR MOTUS IN *simplicem*, & *compositum*. *Simplex* dicitur ille, quo simplex linea describitur, & qui simplici linea designatur, & exponitur: talis est motus *rectus*: *circularis*, &c. Motus *compositus* est qui pluribus lineis designatur, & exponitur: licet enim in se, & absolutè unicus sit, & simplex; pluribus tamen lineis, facilitatis gratia, explicari oportet: consideratur enim quasi ex diversis motibus compositus: talis est motus volutationis rotæ currus, qui ex recto centri, & circulari peripheriae componitur: & etiam motus illi, qui ex pluribus circularibus componuntur, quales esse dicuntur in Systhemate Mundi Ptolomaico, motus planetarum, qui componuntur ex motu circulati deferentis, & ex motu circulari Epicycli. Hujusmodi autem motus differentia maximè considerande sunt; illis enim necessariò utimur ad tempus illud designandum, quo mobile ad certum terminum perveniet; aut è converso, ad definiendum locum, ad quem dato tempore poscidendum accedit, ut suo loco patebit. His autem ita statutis, proprietates motus localis jam inquiramus.

CAPUT II.

De præcipuis Motus localis proprietatibus.

PRÆCIPUÆ motus latonis proprietates ad tres communiter reducuntur: videlicet, habere contrarium: ferri quatenus est ex se per lineam

neam rectam : & habere quantitatem , quas sequenti-
bus propositionibus expono.

PROPOSITIO I.

Motui quies adversatur.

Ratio est. Quia nequeunt ambo in eodem subje-
cto consistere : aliter enim idem corpus esset
permanenter in unico , eodemque loco , quod est
quiescere : & non esset permanenter in illo eodem loco;
sed in diversis successivè , quod est moveri. Præterea
motus alteri motui etiam contrariatur , ut ait Arist.
lib. 5. Phys. tex. 46. tum ratione subiecti mobilis , sic
motus lapidis deorsum , qui eidem naturalis est , op-
ponitur ejusdem motui sursum , qui eidem præterna-
turalis est , aut violentus : tum etiam ratione linea^x , qua
mobile dirigitur : sic duo globi cum sibi mutuo ex op-
positis directè terminis accurrunt , oppositis motibus
ferri dicuntur , quatenus nempè , licet per eandem li-
neam , ex adverso moventur. Sed hæc sunt facilia.

PROPOSITIO II.

*Motus quatenus est ex se , dirigitur per lineam
rectam.*

Hæc est admodum notabilis motus lationis pro-
prietas , quod nempè quocumque corpus , vi
motus , semper feratur per viam rectam ; nec eam um-
quam deserat , nisi ab aliqua causa extrinseca ab
ea detorqueatur. Rem ita esse à nemine quod sciām
negatur , idque satis testatur experientia : corpora si-
quidem gravia , omni impedimento sublato , recta via
ad centrum properare videmus : tum etiam cum ea-
dem sursum perpendiculariter ab aliqua vi projiciun-
tur , recta via semper insistunt : tum etiam si dum rota
in

in gyrum agitur , ejusdem superficiei lapillus impona-
tur , ab rota projicitur per lineam rectam , tangentem
scilicet circuli sui motus.

Ratio autem hujus rei est 1. Quia linea recta brevis-
sima est ex his , quæ à termino à quo ad terminum ad
quem duci possunt : tum & simplicissima : non enim
est , quemadmodum linea curvæ , in varias species di-
vissibilis : ergo motus per lineam rectam brevior est ,
ac simplicior : sed natura semper brevitatem , ac sim-
plicitatem in omnibus affectat , nihil frustra molitur ,
superflua rejicit , & quo maximo potest compendio ,
cuncta operatur: motus ergo per lineam rectam potius ,
quam per aliam dirigitur.

2. Posita semel mobilis ad motum determinatione ,
in eadem perseverat , donec ab adveniente extrinsecus
causa , ad aliud determinetur (12.) : ergo semel ad talem
lineam determinatum in eadem persistet , donec ad
aliam ab extrinseco determinetur : sed movens cum
primo ad motum corpus aliquod determinat , illud ad
lineam rectam necessario determinat : ergo in ea mobi-
le persistet , donec ad oppositam determinetur. Min.
prob. Nam mobile non aliter corpus mobile ad motu
primo determinat , nisi quatenus sua in illud impa-
ctione , & incursu , cogit , ut à loco in quo est , ad
alium immediatum transeat : sed à loco in locum im-
mediatum , seu ut melius id concipiamus , à puncto
aliquo ad punctum immediatum subsequens , non potest
alia linea duci , nisi linea recta , inò nec aliud concipi
potest : ergo movens , cum primo corpus aliquod ad
motum determinat , necessario illud ad lineam rectam
determinat : & consequenter mobile ex vi illius de-
terminationis à motore receptæ , non nisi per lineam
rectam moveri potest.

Hinc colligitur ratio, cur licet rota circulariter moveatur, lapillum sibi impositum per lineam rectam tangentem excutiat: dum enim illam ad motum determinat, à primo ad secundum punctum, qui jam est extra rotæ circulum, cum moveri cogit, quæ quidem duo puncta non nisi lineolam rectam confidere possunt.

PROPOSITIO XX.

Motus qualiter magnitudinem habere dicatur, exponitur.

Motus magnitudo, seu quantitas ex duplice capite petenda est, aut ratione subiecti, cui inest, aut ratione velocitatis. 1. Dicitur motus magnus, aut parvus ratione subiecti, sive mobilis, quia ceteris paribus, major est motus ille, quo majus corpus moveatur, quam ille, quo minus: magnitudo tamen corporis quo ad præsens attinet, non inde pensanda est, quod nempe majorem extensionem, seu dimensionem habeat, majoremque locum occupet; sed potius ejusdem densitas est attendenda: licet enim duo corpora æqualem habeat extensionem, illud tamen majorem motum habet ratione subiecti, quod densius est, quodque sub eadem dimensione plus continet materię corporę. Ratio autem est quia, quo plures sunt partes, seu puncta quæ moventur, eo plures etiam sunt, aut estimantur esse partes motus: sed in præfato corpore densiori, plures sunt partes, quæ moventur, quam in alio minus denso, licet æqualis extensionis: ergo in illo est ex hoc capite, ceteris paribus, major motus.

2. Dicitur motus major ratione velocitatis: ita ut ceteris paribus, ille motus dicatur major, quo mobile velocius cietur, seu quo idem spatium, breviori tempore percurrit. Si demum mobilis magnitudo cum ve-

locitatis magnitudine conjugatur, duplici titulo motus erit magnus. Circa hanc motus velocitatem, quæ præcipua est ejusdem proprietas, multa, eaque satis difficultia, examinanda occurunt, quæ sequentibus propositionibus expendo.

PROPOSITIO XXI.

Quocumque motu veloci, potest à Deo effici alius, & alius velocior in infinitum.

Prob. 1. Nam nulla in hoc est assignabilis contradicatio: ergo fatendum est esse divinitus possibile. Neque hinc licet inferre possibilitatem infiniti actualis: non enim ex positione motus velocioris, ac velocioris in infinitum, aliquando foret devénendum ad motum infinite velocom, ut est satis perspicuum.

Prob. 2. Quando rota aliqua circa proprium centrum movetur, partes à centro magis distare velocius moventur, quam centro propinquiores; decurrent enim eodem tempore majus spatium circulare in eadem ratione, qua magis distant à centro: ergo quo major erit rota, qua eodem tempore suum motum perficiat, eo partes, & puncta peripherie velocius ferrentur; magis enim distabunt à centro: sed potest fieri à Deo rota major, & major in infinitum, & semper eodem tenore volvi, ut est certum: ergo potest à Deo fieri motus alius, & alius velocior in infinitum. Hoc ipsum evidenter adhuc conspicetur, solo automati horologii prospectu: In hoc enim aperte patet rotas alias cunctatius revolvi, ob specialem illam dispositionem, qua eārumdem dentes suis tympanis inferuntur: ergo quo plures erunt hujusmodi dentate rotæ, prædicto artificio cognexæ, velocior erit in ultimis motus: sed rotæ prædictæ possunt à Deo sine ter-

mino augeri : nullus itaque est assignabilis motus ita velox, ut à Deo non effici possit alius, & alius velocior in infinitum.

Objicient tamen : Punctum, sive minimum physicum, ita potest moveri, ut singulis instantibus novum locum adquirat : sed hujusmodi motus, ita esset velox, ut alius velocior, nec divinitus effici poscit : ergo possibilis est motus ita velox, ut à Deo alius velocior effici non possit. Major videtur certa : Min. autem facile probatur. Nam si aliquis motus illo velocior posset assignari, esset ille quo mobile singulis instantibus duo, tria, quatuor, &c. loca, seu spacia adquireret : sed hoc, vi motus, est impossibile : licet enim poscit Deus in eodem instanti corpus in pluribus locis statuere, non tamen hoc esset motus, seu latio, imò esset contra ejus rationem, ut alibi diximus : ergo motus ille puncti physici, quo novum locum singulis instantibus successive adquireret, ita esset velox, ut alius eo velocior, nec à Deo effici poscit. Resp. concessa maj. negans min. Ad ejus probationem nego maj. Ille enim motus esset velocior, quo eadem illa loca tantum adquireret, sed minoribus instantibus : quo enim velocior est motus, eo minora sunt instantia physica, quibus ejus duratio componitur, ut diximus lib. præced. prop. 13. Et in hoc major velocitas consistit, quod nempe mobile, minus durationis infumat in percurrendo quolibet puncto spatii : cumque in eo percurrendo minus, & minus immorari poscit mobile, potest etiam motus saltim divinitus esse velocior, ac velocior in infinitum. Hinc alia minoris momenti possunt dissolvi.

PROPOSITIO XXII.

Quocumque motu tardo, potest à Deo effici alius, & alius tardior in infinitum.

Probatur 1. Nam nulla est in hoc assignabilis contradic̄tio : ergo dicendum est esse divinitus possibile. Anteced. patebit obiectionum solutione.

Prob. 2. Quando rota aliqua circa proprium centrum revolvitur, partes ejus eo tardius carent, quo sunt centro propinquiores, seu quo magis à peripheria distant, eo enim minus spatium eodem tempore percurrunt, quo centro sunt magis vicine, seu quo magis à peripheria distant : ergo quo major erit rota, si ejus peripheria eodem motu carent, eo tardius partes centro propinquiores movebuntur. Quod ut clarius percipiat, sit rota quædam solida palmaris, qua intra horam suam circulationem perficiat, certè punctum digito tantum distans à centro, ut suum modicum circellum conficiat, unam horam similiter insumeret : augeat jam rota ut fiat bipalmaris, certè si extima peripheria eodem motu, quo antea, moveatur, duas horas in unico gyro perficiendo insumeret : ergo & punctum illud prope centrum duas etiam horas in suo circello decurrendo insumeret : quo igitur major erit in hac hypothesi rota, eo tardior erit præfati circelli motus : sed rota potest à Deo major, ac major fieri in infinitum : ergo prædicti circelli motus potest fieri tardior, ac tardior in infinitum.

Objicies. Motus ille, quo mobile singulis instantibus singula puncta spatii pertransiret, ita tardus esset, ut illo nullus tardior esse possit : ergo non est possibilis motus tardior in infinitum. Anteced. prob. Nam si quis esset motus prædicto tardior, ille certè esset, quo mo-

358 mobile singulis instantibus dimidiā ex gr. puncti partem tantum percureret: sed hoc est impossibile, nam punctum nec dimidiā, nec alias habet partes: ergo motu predicto nullus aliis tardior esse potest. Rep. negans anteced. Ad ejus probationēm duplicitē responderi potest. Primo quidem negans anteced. ut enim motus tardior dicatur, sufficit, ut mobile in quolibet spatiī puncto plus immoretur. Dices solum posse in quolibet puncto unico instanti immorari: ita quidem, sed instantia illa majora sunt in motu tardiori, ut lib. praecep. prop. 13. probatum est. Secundo responderi potest, concessō illo anteced. negando min. Possumus enim dicere, motu tardiori, percurri solum dimidiā, aut tertiam, aut quartam, &c. partem puncti spatiī: licet enim puncta physica sint entitativē indivisibilia, sunt tamen extensa; & in hac extensione designari potest dimidiū, triens, &c. quod à mobili singulis instantibus tantummodo percurritur. Sed hæc ex sequentibus uberiorem lucem recipient.

PROPOSITIO XXIII. hoc siquaque
Motus velocitas, & tarditas speciālē oportet in ordine ad spatium, seu ubicationem; & in ordine ad tempus, seu durationem.

SI communem loquendi morem attendamus, certum est, motum illum dici velocem, quo mobile modico tempore, multum conficit spatiū; illum verò tardum, quo longo tempore, modicum spatiū absolvit. Motus tamen dicitur velox, aut tardus respectivē ad alium motum: idem enim motus A cum motu B comparatus, dicitur velox; si verò comparetur cum motu C, tardus appellabitur. Hinc nullus est motus, quantumvis velox, qui tardus dici non possit si cum

velociore comparetur: & nullus quantumvis tardus, qui velox non astimetur, si cum tardiore comparetur. Hinc quoties unum motum cum alio comparamus, eo fine, ut quisnam sit alio velocior, aut tardior determinemus, supponimus in utroque, aut æquale tempore, aut æquale spatiū, dictiusque illum motum esse velociorē, quo mobile conficit magis spatiū æquali tempore; aut æquale spatiū minori tempore: & similiter illum esse tardiorē, quo mobile conficit minus spatiū æquali tempore; aut æquale spatiū minori tempore. Velocitas igitur motus, & similiter tarditas, respicit spatiū, & tempus: & per ordinem ad utrumque debet explicari.

Hæc autem satis cuique perspicua sunt, & facilia: explicare tamen in quo physice stet velocitas, & tarditas motus, ita est difficile, ut admodum torqueat Philosophorum ingenia, eosque coegerit multas tentare vias, quibus hoc præcipuum motus phænomenon explanarent. Prima itaque sententia docet, velocitatem motus esse qualitatem modalem ipsius motus, cuius effectus formalis est efficere, ut paucæ partes motus correspondent pluribus partibus spatiis: & vice versa tarditatem. Sed hæc explicatio merè metaphysica est, & abstracta, quæ rem physicam, qualis est motus velox, aut tardus, omnino inexplicatam relinquit. Secunda sententia est aliquorum, qui motus velocitatem expli- cant per quosdam mobilis saltus, quibus nempè ab uno loco in aliud transfertur, impertransito, & intacto medio: ita ut si nullum spatiū punctum omittat mobile, sed in omnibus successivē existat, motus sit omnium tardissimus; quo verò plura intermedia omittit, eo motus sit velocior. Tertia sententia est Galeni lib. 1. de cognoscendis pulsibus. Vallerii lib. 3. contr. Arriagœ, disp.

disp. 16. Oviedi controv. 17. punct. 9. §. 2. Gassendi, & aliorum recentiorum afferentium, motus tarditatem consistere in morulis interpositis, ita ut ille tardior sit, qui plures admittit morulas; ille vero minus tardior, seu concitator, ac velocior, qui pauciores morulas includit. Quarta sententia est aliorum Philosophorum, qui admittunt indivisibilia physica, & extensa, quae si singulis instantibus relinquant totum spatium, quod occupabant, motus est summè velox; si vero partem tantum aliquam illius spatii singulis instantibus relinquant, motus sit minus velox, & eo minus, seu sequior, quo minor fuerit praefata spatii pars, quae à punto mobili singulis instantibus relinquitur.

Ut itaque in hac re satis difficulti, facilius procedamus, ac facilius latentem veritatem indigare possumus, analyticam methodum insequentes, velocitatem, ac tarditatem motus, primo ratione habita spatii; dein ratione temporis perscrutabimur: atque hinc in quo illa omnino consistant facilius deducemus.

PROPOSITIO XXIV.

Major, aut minor velocitas motus explicatur in ordine ad solum spatium, supposito nempe aequali tempore.

UT claritate possibili procedamus, supponendum est 1. Dari in natura corporea puncta illa entitativè indivisibilia, & extensa, quae alibi à nobis satis stabilita sunt. Supponendum est 2. Hujusmodi indivisibilia spatium sibi congruens, sibique aequalē occupare, in quo consequenter necesse est agnoscere similem, & aequalē extensionem ei, quam ipsa puncta indivisibilia habent: locatum enim, & locus, seu spatium ab eo occupatum, necessariò congruunt, sibique mutuo commensurantur: unde quemadmodum in punto indivisi-

sibili locato, etiam in indivisibili spatii à se occupati, potest aſsignari dimidium, triens, quadrans, &c. His positis, sic ratione spatii majorem, ac minorem velocitatem motus prædicti puncti physici expono: unde & quid dicendum sit de corporibus majoribus facile deducemus.

Punctum illud corporeum indivisibile, quod moveri supponimus, potest vi motus relinquere in hoc instanti totum illud spatium, quod in instanti præcedenti occupabat: tum & potest non relinquere totum illud spatium, quod occupabat; sed tantum partem illius majorem, aut minorem: quo autem majorem partem relinquit, majorem quoque extra illud de novo occupabit: & consequenter velocior erit motus, quia æquali tempore maius spatium percurrit: si vero totum spatium, quod præcedenti instanti occupabat, relinquat in sequenti, motus erit ex hoc capite maximè velox, eritque major velocitas, quae motui prædicti puncti ratione spatii competere potest. Sed rem amplius explicabo.

Supponamus punctum physicum A occupare, ut necesse est, spatium sibi aequalē, hoc autem spatium, cum juxta nostram hypothesim capax sit aliorum, & aliorum punctorum, quæ minora sint, & minora prædicto A, certè capax erit, exempl. gr. quatuor punctorum, quorum quodlibet, extensione sua, aequet quartam partem extensionis puncti A: habemus itaque prædictum spatium cogitatione, seu designativè divissum in quatuor partes aequalē, quae sint B. C. D. E. Moveatur jam punctum A: si unico instanti relinquat has quatuor partes spatii B. C. D. E, & adquirat alias quatuor F. G. H. I, quae omnino sunt extra spatium, quod anteoccupabat, licet eidem immediatae, erit motus maximè velox ratione spatii, quia spatium quod eo instanti

ti adquirit, nullatenus cum præcedenti communicat, seu nullam cum eo habet partem communem. Si vero prædicto instanti, relinquat tres ex prædictis partibus; & consequenter ex sequenti spatio, tres tantum adquirat, motus erit tardior: communicat enim spatiū reliquum cum adquisito in una quarta parte, quæ utrisque communis est. Si autem duas ex præcedenti relinquat, duasque ex subsequenti adquirat, erit adhuc segnior: & multo plus si unam tantum quartam partem relinquat, unamque tantum similiter ex sequenti acquirat.

Vides jam, ni fallor, quam facile major, & minor velocitas motus ratione spatii, seu supposito æquali tempore, explicatur, admisis punctis physicis extensis, entitative quidem indivisibilibus, quoad extensionem vero, seu spatium per designationem divisibilibus. Ab hac sententia non stat P. Oviedo, laudabili tamen ingenuitate faterur, nulla ratione efficaci enerari, ait enim loco citato: *Numquam illa, quibus non affinitior, vellem inefficacibus rationibus impugnare: multa contra hanc sententiam congerunt recentiores, in quibus neque unum invenio, quod difficultatem ingredit.* Ideoque illam solum rejicit, quia prædicta indivisibilia extensa non admittit. Ea tamen, quæ ab aliquibus Auctoribus opponuntur, duabus, quæ sequuntur, theorematiis præoccupantur.

PROPOSITIO XXV.

*Motus velocitas ratione spatii, præfato modo explica-
ta, aliquos mobilis saltus necessario includit.*

Sequitur hoc ex nostra explicatione. Supponamus enim punctum mobile, hoc instanti, relinquere to-

tum spatiū, quod occupabat, ac novum omnino acquirere, in nullo cum præcedenti spatio communicans, certè spatiū, quod occupabat, non fuit per partes successivè relictum, cum in unico instanti talis successio persistere non possit: non itaque primo relinquit primam medietatem spatii, ac postremo secundam; sed utramque, id est, totum spatiū simul uno instanti relinquit. Idem similiter dico de partibus spatii relictis, quando motus sit per spatia communicantia: sed hoc est fieri motum per saltus; aliquo enim modo transferatur mobile à loco in locum impertransito medio: ergo velocitas motus ratione spatii, aliquos mobilis saltus includit.

Id autem omnino necessarium esse ad lationis motum, inde mihi persuadeo, quod nempe aliter non posset punctum mobile primam spatii medietatem relinquere, quin primo hujus medietatis primam medietatem relinquere; neque hanc, quin primam ejus medietatem prius similiter desereret, & sic in infinitum; unde motus nunquam inciperet: ideoque nodum illum à Zenone adversus motus possibilitatem solvere teneremus: cum tamen his, quæ à nobis dicta sunt, maneat solutum, seu potius discessum. Ratio autem hujus rei à priori, ut ajunt, esse potest, quod nempe motus sit conservatio mobilis in diversis locis successivè, à Deo facta ad exigentiam ipsius mobilis, prout ad motum determinati, seu impulsū, ut supra diximus: Deus itaque, juxta præfatam exigentiam, conservat corpus singulis instantibus, seu ponit illud successivè in præfatis spatiis plus, aut minus inter se communicantibus, juxta determinationem ad majorem, aut minorem motum, quod ex superiori stabilitate est satis perspicuum.

PROPOSITIO XXVI.

Saltus prædicti nullatenus continuitati motus ratione spatii opponuntur.

D Upliciter considerari potest continuitas motus.
1. Ex parte spatii, quod percurritur. 2. Ex parte temporis, quod in motu insumitur. Continuitas motus ex parte spatii in eo consistit, ut ita mobile per omnes spatii partes transeat, ut nullam prætereat. Continuitas vero motus ex parte temporis in eo stat, ut inter ejus partes nulla sit quies: hæc enim, utpote motui opposita, ipsius continuitatem dirimit. Hinc communiter Auctores tum saltus, tum morulas à motu omnino excludunt: illos, quia motus continuitatem ex parte spatii; has vero, quia eam ex parte temporis de medio tollunt. Et id quidem verum esse fateor, si motus continuitatem in toto rigore metaphysico velimus assumere; si vero physicè accipiatur, ut res physica exposcent, non ita arbitrò saltibus, ac morulis motus continuitatem labefactari: ut enim motus physicè continuus sit, sufficit, tum & saltus, tum & morulas, ita esse insensibles, ut percipi non possint, nec à motus partibus discerni. Saltus itaque illi, de quibus prop. præced. sumus loqui, continuitati motus non aduersari, nunc ostendo, idem similiter postea circa alias morulas ostendurus.

Illi saltus continuitati motus non opponuntur, quibus licet positis, verificatur ita mobile pertransire suo motu omnes spatii partes, ut nullam prætereat, in qua verè non existat: sed id verificatur, admissis etiam saltibus, modo suprà à nobis explicato: ergo non adversantur continuitati motus. Major certa est: minor autem prob. Supponamus enim majorem saltum, illum

nem-

nempè, quo punctum mobile, hoc instanti, totum spatium, quod occupabat, relinquat, ac omnino novum, & immediatum adquirat, in nullo cum priori communicans: in hoc itaque casu nulla est assignabilis spatii pars, in qua prædictum punctum mobile non extiterit, aut existat: extitit enim in toto spatio A, & postea existit in toto spatio B sequenti, sibi æquali: deinde in toto C, illi immediato, &c. ergo nulla est assignabilis spatii decursi pars, immo nec punctum, in quo mobile non extiterit, aut existat: & consequenter motus continuitas ratione spatii illibata persistit; idque non solum physicè, & sensibiliter, quod erat satis; verum & metaphysicè.

Dices punctum physicum, cum juxta nostram hypothesim sit extensum, ad hoc ut continuè moveatur, necesse est, ut prius relinquat unam spatii, quod occupabat, medietatem, & postea aliam: & similiter occupet primam subsequentis, ac postea aliam: sed juxta nostram explicationem fecus contingit: ergo non datur motus continuitas. Major prob. Nam si medietas illa designabilis puncti mobilis non adquirit primo medietatem primam, & immediatam spatii subsequentis; & postea secundam, certè illa prima puncti medietas non extitit in prima, & immediata medietate spatii; sed ipsa intacta, transivit ad sequentem: sed hoc est contra continuitatem motus: ergo opus erat, ut prius occurret primam illam medietatem, & postea sequentem. Resp. faciliter negans maj. Ad ejus probationem, nego min. Nam licet punctum mobile, ita transeat ab spatio, quod occupat, ad subsequentem, ut unico instanti totum illud occupet, nullatenus interfert punctum, aut aliquam ejus partem non extitisse in prima parte spatii, ad quod occupandum ingreditur, cum entitativè sit indivisibile,

nec

nec partes habeat entitativas. Tota ergo entitas puncti occupat utramque medietatem illius spatii: non quidem successivè, ut poterat ratione extensionis; sed unico tantu instanti: quod ni fallor ita in hac hypothesi est apertum, ut ulteriori explicatione non indigeat.

PROPOSITIO XXVII.
Major, aut minor velocitas motus explicatur in ordine ad tempus, supposito aequali spatio a mobili percurso.

Nunc jam motus velocitatem, aut tarditatem majorem, aut minorem, supposito aequali spatio a mobili percurso, ratione solius durationis, seu temporis expendamus. Quories itaque duo occurrent motilia, idem, seu aequalē spatiū percurrentia, illud velocius moveri dicitur, quod prædictum spatiū breviori tempore conficit; illud verò segniss, seu tardius, quod plus temporis in eodem spatio percurrendo consummit: sive de motu majori, aut minori velocitate, ad tempus attentes, ferimus iudicium. In quo autem physice stet unum mobile minori tempore percurrere aliquod spatiū: aliud verò mobile idem spatiū majori tempore conficere, nunc explicandum est.

Supponere autem oportet, instans intrinsecum in quolibet motu esse illud minimum durationis illius motus, quod nempe mobile insumit in percurrendo uno puncto physico spatiū: sive spatiū punctum communicans sit cum eo, in quo antea erat, sive non communicans. Quo posito, assumamus claritatis gratia, duo puncta physica extensa invicem aequalia, quorum spatia decursa sint aequalia: quodlibet autem ita moveri supponamus, ut singulis instantibus, acquirant

novum punctum spatii, cum præcedenti non comunicans. Licit itaque quodlibet ex prædictis punctis mobilibus, singulis instantibus, aequalē spatiū adquirat: eum tamen instantia motus intrinseca, esse possint aequalia, ut alibi diximus, certè unum ex dictis mobilibus, minori instanti, poterit immorari in quolibet puncto spatii, quam aliud: sed illud quod minori instanti demoratur in quolibet puncto spatii, minori tempore totum spatiū decurrat; illud verò, quod plus immoratur, plus temporis in eodem spatio conficiendo insumit: ergo illud velocius moveret; hoc verò tardius: ita ut quo major sit mora in quolibet puncto, seu maius instans, motus eo sit tardior; & quo minor mora, velocior.

PROPOSITIO XXVIII.

Hinc major aut minor velocitas, aut tarditas motus, in ordine ad tempus spectata, aliquas morulas necessario includit; que tamen continuatim physice motus minimè adversantur.

Patet ex dictis. Nam mobile in quolibet puncto spatii unicum instans intrinsecum insumit: hæc autem instantia, cum esse possint alia aliis majora; itemque alia aliis minorâ in infinitum, certè mobile potest plus, ac plus: minus item, ac minus, in quolibet puncto spatii immorari: sed hoc non aliter concipi potest, nisi instantia illa morula sint: ergo mobile in singulis spatii punctis morulam aliquam habet: ita ut quo maiores sint, eo tardius; quo verò minores, eo velocius moveatur.

Dices. Morula necessario dicit duo, aut plura instantia quietis: sed nunquam mobile immoratur in uno puncto spatii, plus quam per unum instans, ut

ex dictis constat: ergo nulla est in motu morula. Resp. tamen distinguens majorem: morula dicit saltim duo instantia quietis, sive intrinseca, sive extrinseca, concedo: intrinseca praeclara nego: & distingo min. mobile immoratur in unico puncto spatii, unico tantum instanti intrinseco concedo: extrinseco, nego, & consequentiam. Ad hoc enim ut mobile in quolibet puncto spatii immorari dicatur, sufficit ejus in illo existentiam posse mensurari pluribus instantibus extrinsecis, qualia sunt instantia motus primi mobilis, aut alterius motus velocioris: cumque quodlibet instantis intrinsecum cuiuslibet motus, mensurari possit pluribus instantibus extrinsecis minoribus, qualia sunt primi mobilis, proprie praedicta instantia intrinseca erunt morulae. Verum hæc sunt de nomine.

His autem morulis nullatenus labefactari physicam motus continuatatem, patet: nam physica continuitas motus, ratione temporis, solum requirit nullam esse in motu quietem ita sensibilem, ut sensus possit distinguere inter tempus, quo mobile moveatur, & quo quietescit: si enim id nequeat distinguere, certè sensibiliter, & physicè servatur continuitas motus: cumque morula à nobis admissa, tales sint, ut nullatenus percipi possint, nec possit sensus distinguere in mobili tempus quietis, & tempus motus, certè physica motus continuitas, præfatis morulis admisis, minimè labefactatur.

(* * *) (* * *) (* * *)

(* * *) (* * *)

(* * *)

PROPOSITIO XXIX.

Hinc velocitas motus provenire potest, aut ex majoribus saltibus; aut ex minoribus morulis; aut ex utrisque simul. Et è converso, tarditas motus evenire potest, aut ex minoribus saltibus; aut ex majoribus morulis; aut ex utrisque simul.

Hoc satis colligitur ex dictis: nam si mobile moveatur per puncta spatii minus communicantia, velocius moveatur: item si minus moretur in quolibet puncto spatii velocius cietur: si ergo utraque simul concurrent, multo velocius movebitur: ergo motus velocitas ex omnibus prædictis provenire potest. Et è converso: si mobile moveatur per puncta spatii magis communicantia, segnus moveatur: si plus item demoratur in quolibet ex prædictis punctis, tardius etiam moveatur: si ergo utraque prædicta concurrent, multo tardior evadet motus: ergo tarditas motus ex omnibus prædictis colligi potest.

COROLLARIA.

i. **S**uppositis æquilibus spatiis à mobilibus percursis, temporibus diversis, eorum velocitates sunt ut tempora permuto, seu reciproce. Sit enim mobile A, quod leucam una hora percurrat: sit aliud mobile B, quod eandem leucam dimidia hora conficiat: dico velocitatem mobilis B, ad velocitatem mobilis A, esse ut tempus insumptum à mobili A, ad tempus insumptum à mobili B: id est, quemadmodum tempus insumptum ab A, duplum est temporis insumpti à B; ita velocitas B, dupla est velocitas A, quod est esse in ratione reciproca temporum, seu permuto.

2. *Suppositis æqualibus temporibus*, quibus duo mobilia diversa spacia conficiunt, velocitates sunt ut spacia: id est mobile illud duplo velocius ex. gr. moveretur, quod duplum spatium eodem, aut æquali tempore conficit.

3. Si autem tum spacia, tum tempora fuerint diversa, velocitates erunt in ratione composita ex duabus rationibus, una nempè temporum reciproca: *O* alia spatiorum non reciproca. Siut enim duo mobilia A, & B; quorum A duas leucas, tribus horis; B verò unam leucam, duabus horis, conficiat: ratio temporum est 3. ad 2. seu $\frac{3}{2}$ & permutata, quia reciproca est, erit $\frac{2}{3}$: ratio verò spatiorum est 2. ad 1. seu $\frac{2}{1}$: componantur hujusmodi rationes, ut sequitur $\frac{2}{3} : \frac{2}{1} : \frac{4}{3}$, eritque ratio ex utrisque composita 4. ad 3. Velocitas itaque mobilis A, ad velocitatem mobilis B est ut 4. ad 3. Et sic de aliis.

Ex his demum quæ præcedentibus propositionibus stabilita sunt, difficilima alloquin quorundam motuum phænomena facilia redduntur, quod præfatam doctrinam non modicum commendat, ut suo loco patebit.

(* * *) (* * *) (* * *)

(* * *) (* * *)

(* * *)

CAPUT III.

De præcipuis motus localis phænomenis, & effectibus.

QUAMPLURIMA sunt, eaque satis mirabilia, motus localis phænomena, quorum causas investigare munus esse Philosophi, nemo ambigit, eorum autem assequitionem non modicam continere difficultatem, omnes fatentur. Ut autem hæc planius possint evinci, analyticam methodum iterum advocamus, ideoque corpora prius absque ulla prolsus ad motum aliquem innata determinatio, absque gravitate ulla, in modo & à ceterorum corporum conlortio sejuncta, imaginabimur, ac sub hac præcisione, motum localem, ejusque leges prius inspiciemus, ut inde facilius ad ejusdem cognitionem prout in ipsa natura reperitur, perveniamus. Primus, ni fallor, qui hanc calcavit viam fuit Cartesius, eandem, & ut arbitror, felicius, insequutus est Doctissimus P. Pardies: eandem itaque proterens præcipua motus phænomena sequentibus propositionibus explanare co-nator.

PROPOSITIO XXX.

Si duo corpora contigua moveantur æquali velocitate per eandem lineam, ac versus eandem partem, unum aliud non impellit, neque ejus motum auget.

Cogita duo corpora A, & B æqualia, aut inæqua-lia, sibique contigua, quæ moveantur æquali-

velocitate per eandem lineam, ac versus eundem terminum : sicutque A quod præcedat ; B verò sequatur : dico corpus B nullatenus impellere corpus A , neque ejus motum augere. Ratio est evidens , quia unum corpus non aliter impellit aliud corpus , nisi quatenus eum à loco , in quo erat , expellit , aut expellere nititur : sed in hoc casu corpus B non expellit , neque expellere nititur corpus A à loco , in quo erat , cum jam istud ab eo quasi sua sponte recesserit : ergo istud ab illo non impellitur ; & consequenter neque ejusdem motum promovet.

Hinc prædicta corpora cum supponantur contigua , ac eadem velocitate moveri , contiguitatem non amitterent : ad hoc enim opus erat , vel antici velocitatem augeri ; vel postici motum retardari , quod est contra hypothesin. Hinc si eadem corpora A , & B , non modo contigua , sed continua essent , ita ut unum corpus totale conficerent , pars postica B , antica A non impelleret , nec ejus motum augeret. Hoc autem omnino verum est , si ab omni medio corporeo resistente prescindamus ; si enim medium motui corporis A resisteret , certè hoc retardaretur , & corpus B subsequens jam illud impelleret , & ambo simul adversus medium vires exercent , ut ejus resistentiam superarent.

PROPOSITIO XXXI.

Si esset corpus quiescens in vacuo , & aliud suo motu in illud incurreret , sive hoc maius esset illo , sive minus , sive eidem aequalis , illud ad motum concitaret : & utraque eadem velocitate , qua impellens ferebatur deinceps moverentur , & invicem contiguerentur suo motu procederent.

SIt in vacuo corpus A quiescens : moveatur aliud quod-

LIBER V. CAPUT III. 373

quodcumque B , & in illud incurrat : dico illud excitatum ad motum æqualem , seu æquè velocem illi quo movebatur corpus B impellens. Ratio est quia corpus A quiescens , indifferens omnino est ad motum , aut quietem : ergo non resistet corpori B , illud determinanti ad motum : ergo corpus B ad motum æquè velocem determinabit , nec quicquam de sua velocitate amittet , ob incursum cum corpore A : ergo ambo eadem velocitate movebuntur : & consequenter contiguitatem quam in instanti occurfus habuerunt , deinceps retinebunt.

Sed dices. Major effectus majores exquirit vires in causa , quam minor : ergo si corpus A quiescens maior sit corpore B impellente , nequibit hoc eadem velocitate corpus A impellere , ac si ipsi esset æquale : major enim effectus est mouere corpus majus , quam minus æquali velocitate. Resp. 1. Antecedens esse verum in causis efficientibus ; non verò in iis , quæ sola sua exigentia causant effectum , quale est corpus impellens respectu motus corporis impulsus , ut constat ex supradictis. Resp. 2. Distinguens idem anteced. major effectus requirit in causa majores vires , quoties vincenda est aliqua resistentia , concedo : quoties nulla occurrit superanda , nego. In nostro autem casu nulla est resistentia superanda ex parte corporis A quiescentis , cum ex se æquè indifferens sit ad motum & quietem : unde licet maior sit corpore impellente , eadem facilitate ab isto movebitur , ac si eidem esset æquale , aut etiam maior.



PROPOSITIO XXXII.

Corpora quoad motum, solum opponuntur ratione lineæ, qua diriguntur.

Ratio est, quia unum corpus quiescens, ratione quietis non resistit motui alterius (31.) deinde neque ratione motus præcisè, cum possint utraque per eandem lineam secundū eandem partem ita moveri, ut neque unum alterius motum promoveat, neque impedit (30.) ergo solum opponuntur, quando linea motus sibi adversantur: solum igitur opponuntur ratione linea, seu directionis motus. Ratio autem à priori est, quia si corpora determinata sint ad diversas lineas motus, quodlibet ratione suæ determinationis ad talem lineam, vim habet ut determinet aliud, in quod incurrit, ad motum per eandem lineam: ergo si ambo determinata sint ad oppositas lineas motus, cum sibi occurront, sibi resistent, viresque suas exerent, ut unumquodque aliud ad suam lineam adducat: ergo erit pugna, & pro validiori victoria; aut certè medium inuenient via, federabuntur, ut in sequentibus patet. Hinc corpus tunc solum motui alterius resistit, cum ad diversam, oppositamque motus lineam est determinatum.

PROPOSITIO XXXIII.

In prædicto resistente casu, omnes corporis impellentes partes agunt simul actione communi, ut impedimentum illud removeant.

Ratio est, quia corpus quod alterius corporis motui resistit, dum primam ejus partem, cui applicatum est, sistit, aut retardat, cæteras etiam partes retardat, aut sistit: ergo omnes eo quo ferebantur motu, simul illud impellunt, ut loco cedens, expeditam

tam motui viam relinquat. Anteced. patet, nam nequit prima corporis invadentis pars retardari, aut sisti, quin subsequens etiam retardetur, aut sistatur: neque hæc, quin reliqua subsequentes: ergo cum prima retardatur, aut sistitur, omnes etiam retardantur, aut sistuntur: & consequenter omnes conservis viribus in corpus resistens agunt, ac per modum unius ipsum impellunt.

PROPOSITIO XXXIV.

Corpora elementaria, cum invicem suis motibus occurrunt, sibi invicem obstant, ac resistunt.

Probatur 1. experientia: nam ut lapis sursum, aut horizontaliter moveatur, & impellatur, potentia motrix vires suas cum labore exercet, ut lapidis resistentiam ad prædictum motum vincat. Item dum unum corpus motu concitatum, in aliud incurrit, illius motus ab isto retardatur, aut omnino perimitur: ergo sibi invicem opponuntur. Prob. 2. ratione, nam (32.) corpora quæ determinata sunt, ut per diversas lineas moveantur, sibi invicem obstant, cum sibi occurrent: sed omnia corpora elementaria determinata sunt ratione gravitatis ad motum perpendiculari versus terræ centrum: ergo cuilibet motui per alias lineas adversantur, & resistunt: ita ut non nisi per vim à terra separantur, ut in altum, aut per aliam lineam cogantur moveri. Hinc in sublunaribus, omnes partes corporis, quod movetur, agunt per modum unius, impellentes corpus, quod eorumdem motum impedit, ut ex prop. 33. colligitur. Hinc corpora elementaria, cum sibi suis motibus adversantur, aut quoties unum aliud mouet, ab eo repatitur, ut aperte tenet Arist. 3. Phys. tex. 16. cum enim ratione lineæ, motus illi opponantur, cer-

376 TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.
certe ob mutuam resistentiam, aliquid motus sibi mutuo auferunt: & quoties unum suo motu in aliud quiescens incurrit, ob hujus resistentiam aliquid de suo motu deperdit: hæcque actio, & reæctio in agentibus corporis satis communis est, ut experientia testatur.

PROPOSITIO XXXV.

Hinc corpus majus, aut densius plus potest ad auferendum impedimentum sui motus, quam minus, seu minum densum.

SUPPONENDUM EST illud corpus esse densius alio, quod sub eadem mole, seu extensione plus continet materię corporeę: & è contra, illud esse minus densum, quod sub eadem mole minus præstat materię complectitur. Dico itaque illud corpus, quod majus est alio, si utraque sint ejusdem densitatis; aut etiam illud, quod densius est alio, licet sint utraque ejusdem molis, seu extensionis, plus posse cum movetur, ad auferendum sui motus impedimentum. Ratio est quia quo corpus majus est, aut densius, ceteris paribus, eo plures habet partes materiaę corporeę: sed omnes istae partes agunt per modum unius ad auferendum impedimentum sui motus (33.) ergo in corpore majori, aut densiori, ceteris paribus plura sunt agentia per modum unius ad tollendum impedimentum ad motum: ergo corpus majus, aut densius valentius est ad auferendum prædictum motus impedimentum.

PROPOSITIO XXXVI.

Maxima oppositio inter duos motus est illa, que fit per eandem lineam ad terminos oppositos.

RATIO EST perspicua; nam major oppositio nequit excogitari in hac re, quam illa qua mobile A

mo-

LIBER V. CAPUT III. pars 377
movetur versus B: & B versus A per eandem lineam AB: termini enim sunt omnino, ac diametraliter oppositi: ergo hæc est maxima inter duos motus oppositio.

PROPOSITIO XXXVII.

Motus sibi per diversas lineas occurrentes, eo sunt magis oppositi, quo angulus concurrentie obtusior est: eo autem minus, quo acutior.

RATIO EST, quia quo lineæ motus obtusiorum angulum efformant, eo motus, qui per illas diriguntur, magis accedunt ad maximam oppositionem, quæ (36.) fit per eandem lineam ad terminos oppositos: & quo prædicta lineæ motus acutiorum angulum efficiunt, eo motus per eas directi, magis recedunt à prædicta maxima oppositione, magisque ad eandem lineam motus versus eundem terminum accedunt: ergo quo obtusiore angulum efformant lineæ motus, eo major est eorum oppositio; & quo acutiorum, eo minor. Hinc explicari possunt phænomena motus, quæ in hac clementari regione observantur.

PROPOSITIO XXXVIII.

Si linea motus transeat per centrum gravitatis corporis suo motu aliud impellentis; & per centrum gravitatis corporis impulsi, producitur totus impetus, qui à prædicto mobili, in corpore quod impellit, produci potest.

AD hujus Theorematis intelligentiam supponendum est, in quolibet corpore considerari opere duo centra, nempe centrum magnitudinis, & centrum gravitatis. Centrum magnitudinis est illud punctum, per quod si dividatur corpus, quocumque piano, di-

dividitur in partes equalis magnitudinis, seu extensio-
nis. Centrum autem gravitatis est illud punctum, per
quod, si corpus dividatur quocumque piano, dividitur
in partes equalis ponderis, seu aequalis momenti, quod
perinde est, ut suo loco patebit. Hac autem centra ali-
quando coincidunt; sèpè verò sunt diversa: si enim
corpus sit omnino homogeneum, idem est in eo cen-
trum magnitudinis, & gravitatis, quia partes ejusdem
æquales quoad magnitudinem, sunt etiam, ob homo-
geneitatem, ponderis aequalis. Hoc supposito.

Affero. Si linea qua corpus aliquod adversus aliud
moveatur (qua etiam linea directionis appellatur) trans-
eat per centrum gravitatis prædicti corporis invadentis,
& similiter per centrum gravitatis corporis invassi, seu
impulsi, produci ab impellente in impulsu majorem im-
petum, quem in illo producere potest; id est, determi-
nat illud, quam maximè potest ad motum. Sit enim
fig. 7. globus A, qui moveatur adversus globum B per
lineam ED transiunt per centrum utriusque globi
A, & B. Dico globum A impingentem in B, hunc de-
terminare ad majorem motum, quem illi potest tribue-
re. Patet experientia: ratio autem est, quia in prædi-
cto casu, globus B opponit motui globi A maximum
quod potest impedimentum: ergo globus impingens
A, cum potens sit, ut supponimus, tollere totum illud
impedimentum, sitque causa necessaria, aget suo motu
quantum agere potest ad illud tollendum. Antecedens
probatur, quia globus B non potest ab inficto sibi iectu
in puncto contactus C moveri, nisi per lineam ED: ergo
resistit motui per eandem lineam ED: sed oppo-
sitio, quæ sit per eandem lineam ad oppositos terminos,
est omnium maxima (36.): ergo globus B oppo-
nitur motui globi A in hoc casu, maxima, quæ potest

op-

oppositione: ergo ponit maximum impedimentum:
licet enim magis opponetur, si etiam ipse globus B
moveretur per eandem lineam versus E; ceterum si sup-
ponatur quiescere, non magis potest sua quiete resistere
per aliam lineam, quam per DE.

Hoc autem sic amplius ostenditur. Sit fig. 8. globus
A, qui moveatur per lineam AB, impellatque globum
C in puncto D. In hoc casu globus C moveretur per
lineam AC, ut experientia testatur, & ulterius infra pa-
tebit: ergo resisteret per lineam AC, quæ resistentia
est minor, quam per lineam AB, ut constat ex prop. 36.
ergo globus A minus agit in globum C, quam in casu
præcedenti; ea enim virium pars, quam in ipso C amo-
vendo impelleret, sibi quasi reservat, ut suum motum
melius exequatur.

Hinc reddi potest ratio diversorum effectuum, qui
frequenter observantur. Cur nempè corpus cum in
aliud perpendiculariter incidit, ceteris paribus, maxi-
mum iectum infigit. Hinc tormenta bellica, majorem
stragem muris inferunt, ceteris paribus, cum ferreos
globos in eos perpendiculariter jaciunt. Et alia simili-
lia.

PROPOSITIO XXXIX.

*Corpus in aliud impingens, determinat illud ad lineam
motus ratione puncti contactus: & prædicta linea est
illa, quæ ducitur à puncto contactus per centrum
gravitatis globi impulsu.*

Explicatur. Sit in fig. 9. Globus A, qui moveatur
per lineam DC, seu FE ipsi DC parallela: & im-
pingat in puncto C globi B. Dico globum B incitari
ad motum à globo A per lineam CB, ductum à puncto
contactus C per centrum globi impulsu B. Rem ita se
habere testatur frequens experientia in triducilorum la-
do.

do. Ratio tamen hujus phænomeni nunc est assignanda. Et primo quidem globum A determinare globum B ad motum ratione puncti C contactus, est evidens: in eo enim puncto infligitur ictus, & impulsus, & ratione illius, in totum globum B. Eum autem determinare ad motum per lineam CB, probatur: nam globus per illam lineam movebit globum B, per quam facilior est ejus motus: sed corpus B, sicut & quodlibet aliud, facilius movetur, si potentia eum impellat, aut moveat per centrum gravitatis ejusdem corporis: ergo corpus A impingens in B eum determinat ad motum per lineam CB. Major constat; hæc est enim cuiusvis causa necessariæ indoles, ut faciliori, ac breviori via suum effectum consequatur. Min. autem etiam est perspicua, experientia teste: facilius enim vectem movemus, cum manu in illius medio applicamus, è directo ad gravitatis centrum: aut etiam cum eam perpendiculariter erectam manu sustinemus: in utroque enim casu, vectem per lineam ductam à contactu manus per ejus centrum gravitatis movemus; si verò manum apponentes extra centrum gravitatis, eam per alias lineas movere velimus, id non nisi ingenti vi, ac defatigatione efficiemus: ergo corpus facilius movetur per lineam ductam à contactu per ejus centrum gravitatis: ergo globus A movet globum B in nostro casu per lineam CB. Hæc autem ex alibi dicendis amplius patebunt.



PROPOSITIO XXXX.

Si globus major, qui movetur, impingat in alium minorem quiescentem, per lineam directionis conjunctionis centra gravitatis utriusque, efficiet, ut qui quiescebat, moveatur velocius, quam movebatur ipse globus major impellens.

Hoc ita accidere testatur experientia. Navis enim oneraria, quo major, & gravior est, etiamsi lentissime moveatur, si in parvam cymbam impingat, eam ita impellit, ut velocissimo motu, veluti projicit: idem similiter accidere, cum modo prædicto globus major impingit in alium minorem ejusdem materiae, testatur P. Franc. Tert. de Lanis: ex illo tamen sapienter hoc experimentum deficere, eo quod vel major globus non impingat in minorem per lineam perfectè conjunctionis centra; aut ob medii, aut plani super quem exercetur motus, resistentiam.

Ratio autem experimenti est, quia cum globus impellens major sit globo quiescenti, certè causa motrix major est causa resistente motui: vincet ergo motrix resistente, seu globus impingens, globum quiescentem: ergo eum ad motum concitat. Præterea quod ipsum cogat ad velociorem motum, quam sit ille quo globus impingens movebatur, patet: nam globus impingens, cum alium à loco pellit, motum ei communicat sicutum physicè aequalem motui, quo ipse in eum fertur: hic autem motus globi minoris non aliter potest coequari motui globi majoris, nisi ratione majoris velocitatis: motus enim, qui in globo majori major est ratione extensionis, quia in majori punctorum numero dictum globum componentium reperitur, in minori glo-

globo, in minori etiam punctorum numero imprimitur: ergo in eo major esse debet motus ratione intensonis, seu velocitatis, ut posuit motui majoris coaequari: ergo globus major velociorem motum minori trahit, quam ipse habeat, dum in eum praedicto modo impingit.

PROPOSITIO XXXXI.

Si globus moveatur, & per lineam directionis congentem centra, impingat in alium quiescentem sibi aequalem; & omnino similem in materia, gravitate, ac densitate, producit in illo aequalem motum ei quem habebat; ipse vero move ri cessat.

T'Estatur hoc experientia in ludo Trudiculorum, ut assit P.Lanis tract. 2 lib. 1. cap. 1. num. 4. Mousnierius de motu loc. lib. 1. prop. 10. aliique Auctores. Existimo tamen id saepius aliter accidere eo quod aliqua ex praedictis circumstantiis perfectè non observetur: ut plurimum enim linea directionis utriusque globi centra perfectè non connectit: est enim practice summum difficile globum adeò exactè dirigi, ut ne pilum quidem à recta illa linea deficiat: adde globos, vel à perfecta sphæreitate, vel ab equalitate ponderis, & materię homogeneitate sepè deficere: hæcque potuit esse causa, cur aliqui Auctores aliter de hoc globorum occursum loquantur, quales sunt Franc. Bayle Phys. gen. disp. 6. num. 103. Auctor Phil. vet. & nov. Phys. gen. tract. 2. cap. 4.

Ratio autem hujus phænomeni est, quia cum globi sint aequales, equalis est in utroque vis ad se se mutuò determinandum; scilicet in impingente, ad determinandum quiescentem ad motum: & in hoc ad resistendum, suaque resistentia ad determinandum impingen tem

tem ad quietem: ergo in ipso impactionis instanti, globus impingens determinabit quiescentem ad motum sensibiliter aequalē ei, quo ipse movebatur: & quietens sua reactione determinabit impingentem ad quietem, seu motus cessationem.


Ut autem clarius appareat qualiter in hoc mutuò globorum conflictu id physicè contingat, & obiectio nes, que fieri possunt, præoccupentur. Sciendum est, ut intrà amplius exponemus, quoties corpus ex.gr. globus in corpus immobile impingit, retrocedere, quia nempe, licet ab illo sua resistentia determinetur ad quietem, cum tamen ab eo non omnis linea motus interdicatur, à præconcepta ad motum determinatione per aliam viam retrocedendo movetur. Si vero corpus, in quod concitatus ad motum globus impingit, sit eo minor, ac levior, illud (40.) velocius abire facit; quam impingens movebatur: sicque potest illum veluti fugientem sequi, ac versus eandem partem moveri, im minuto licet motu ob reactionem, quam à resistente fuit passus, quæ cum à minori potentia proveniat, ipsum omnino suo motu spoliare non potest, sed illum insequitur; cum autem illum sequitur, nullam à præeunte potest noviter pati resistentiam, cum ab eo distet. Si tamen globus impingens, sit impacto quiescenti aequalis, ut in propositione supponimus, cum illum majori motu, quam quo ipse movetur, movere non posset; sed ad summum aequali; certè globus impingens in instanti impactionis, cum alterum ad motum ferè aequalē impellit, ab eodem repatitur; hæcque lucta aliquibus instantibus durat, & in singulis, cum æque sit potens ad resistendum, illum ita ad quietem determinat, ut ab eo omnem ferè motum adimat. Unde si quicquam illius in eo remansit, cum modicus sit, brevis-

vissimè tum à medii resistentia, tum à gravitate ipsius globi eo spoliatur, & consequenter quiescit. Hinc licet non mathematicè, sensibiliter tamen, & physicè in eodem loco impactionis statim quiescere videtur.

PROPOSITIO XXXII.

Si globus minor impingat in majorem quiescentem per lineam directionis conjungentem centra, imprimit illi tardiorum motum, quam ille, quo ipse movebatur.

Probatur hoc opposita ratione, illi qua prop. 40. probavimus in simili casu majorem globum minori quiescenti velociorem motum tribuere, quam ipse ferebat. Cum enim globus impellens minor sit quiescenti, ut hunc æquali motu promoveat illi, quo ipse ferebatur, necesse est ut motus majoris eo sit tardior, quo major est prædicti globi moles: ut enim motus globi majoris æqualis sit motui minoris, necesse est eo minorum esse motum in majori, quoad intensionem, seu velocitatem, quo major est quoad extensionem, seu quo plures materiae partes moveantur: & è converso, in minori opus est, eo majorem esse motum quoad intensionem, seu velocitatem, quo minor est quoad extensionem, seu quo pauciores materiae partes moventur: sed globus in alium quiescentem impingens, ei communicat æqualem motum illi, quem ipse habebat: ergo globus minor impingens in majorem quiescentem, cum movet tardiori motu, quam ipse ferebat. Tanta tamen esse potest globorum prædictorum quoad molem differentia, ut minor majorem loco dimovere non possit, ut est certum.



PROPOSITIO XXXIII.

Cum minor globus modo prædicto impingit in majorem, non modo non promovetur, aut ibi quiescit; sed reflectitur: cum verò major impingit in minorem, nec quiescit, nec reflectitur, sed ulterius suo motu provehitur.

Totum hoc patet experientia, ejus tamen assignanda est ratio. 1. Itaque cum globus major impingit in minorem, tribuit ipsi motum velociorem quam ipse ferebat (40.): ergo globus minor, utpote præcedens, motui majoris ipsum sequentis, ulterius obstat non potest, cum ab eo distet: ergo globus major expeditam habet eandem lineam motus: ergo per illam movebitur, imminuto tamen aliquantulum motu ob reactionem quam à præcedenti globo passus est, tempore impactionis in illum, ut diximus suprà.

2. Quando verò duo prædicti globi mole, ac densitate sunt æquales, qui invadit quiescit, quia ab eo qui invalus est, sua reactione illum omni ferè, quo ferebatur, motu destitutus, illo tamen modico, qui in eo fuerat residuus, per eandem lineam aliquantulo progreditur; sed statim à resistente medio, ac propria in subiectum planum gravitatione, statim destruitur, ac quiescit, ut dixi prop. 41.

3. Tandem cum globus minor eodem modo in majorem quiescentem impingit, movetur hic (42.) tardiori motu, quam invadens: unde hic suo motu per eandem lineam ulterius progredi non potest; ceterum cum reliquas lineas expeditas inveniat, per aliam ex illis, mutato itinere, motum continuat, ac reflectitur: quenam autem sit hæc linea postea dicetur.

PROPOSITIO XXXIV.

Si duo corpora mole, ac densitate aequalia, aequaliter etiam velocitate delata, sibi mutuo occurrant per lineam conjungentem centra, ambo resilient per eandem, qua accesserunt lineam, cum eadem velocitate.

Ratio est, quia propter molis, ac spissitudinis aequalitatem, aequalis est in utroque corpore vis ad suum statum conservandum: ergo utrumque post impactionem eundem motum retinebit: ergo eadem velocitate movebuntur: non quidem juxta primas directiones, cum se mutuo aequaliter impedian: ergo secundum oppositas. Cum enim tantum secundum illas directiones sit contrarietas, tantum secundum eas in se mutuo agent praedicta corpora, & propter virium aequalitatem se mutuo aequaliter repellent: & consequenter cum eadem velocitate, qua se mutuo petiere, resilient.

PROPOSITIO XXXV.

Si duo corpora mole in aequalia; sed in aequali velocitate delata, sibi mutuo occurrant, per lineam conjungentem centra, corpus minus resiliet cum majori velocitate; & majus eadem, qua antea directione movebitur; sed minori cum velocitate.

Sit corpus A majus: sit B minus, quæ modo praedito aequali velocitate sibi occurrant. Dico corpus B resilire majori velocitate, quam ea qua venerat. Si enim corpus A ita quiesceret, ut à B moveri non posset, resiliret corpus B sensibiliter cum tota sua velocitate: sed in hoc casu corpus A, non modo quiescit, verum insuper adversus B movetur: ergo suo motu cum

in B incurrit, ejus motum resiliencie augebit: resiliet ergo corpus B majori velocitate. Ceterum corpus A per eandem lineam suum motum continuabit, immunitum tamen ob resistentiam, quam à corpore B sustinuit: unde aliquantulo segnius progredietur. Hinc colligi potest, quid dicendum sit, cum duo globi mole, & pondere aequales praedito modo sibi occurrunt; sed in aequali velocitate: tanta enim esse potest velocitatum differentia, ut velocior alium per eandem viam revertere compellat, majori qua venerat velocitate: ipse vero impellens minori velocitate, qua accesserat, suum iter prosequatur. Si tamen modicus fuerit velocitatum excessus, utrumque resiliet ob rationem prop. præced. adductam.

PROPOSITIO XXXVI.

Determinatur quid accidat cum duo globi per eandem lineam connectentem centra versus eandem partem moventur.

Cum praedito modo duo globi versus eandem partem feruntur, posticus tamen velociori motu cieatur, necesse est ut priorem assequatur, ac in illum impingat: videndum itaque modò est, quid ex hac impactione resulteret. Vel itaque praediti globi sunt gravitate aequales: vel posticus, & velocior antico major est, aut illo minor. Si sint aequales, posterior prioris motum augebit: hic autem sua resistentia posterioris motum imminuet: ita ut uterque aequa velocitate deinceps versus eundem terminum moveantur. Si vero posterior gravior sit, præcedentis motum augebit, velociusque moveri faciet, quam movebatur, qui impulsus est; hic vero ob resistentiam à priori factam, aliquid de sua velocitate amitteret, unde illum minori motu subsequeretur. Si tandem globus posticus, qui velocius in

alium fertur, minor sit, praecedentis motum augebit; ipse vero frequenter reflectitur, majori, aut minori velocitate, juxta praecedentis majorem, aut minorem resistentiam: & fortè in aliquo casu, ita hæc combinabuntur, ut hic quiescat. Verum de his satis, atque ad motum reflexum, ac refractum deveniamus.

PROPOSITIO XXXXVII.

Corpus quodcumque, quavis velocitate delatum, impingens in aliud insuperabilis resistentia, resilit, seu reflectitur.

Constat experientia. Ratio autem est, quia corpus prædictum determinatum est à motore ad motum, & ad hanc lineam motus: ergo & motum, & eandem lineam motus retinebit, dummodo ab aliqua causa potentiori non impediatur: sed corpus illud insuperabilis resistentia, non resilit motui corporis impingentis, nisi per illam lineam motus, per quam in ipsum incurrit: ergo corpus impingens retrocedet per aliam lineam, à prefato corpore non impeditam. Minor prob. Nam corpus immobile solum resilit sui ipsius motu; non vero motu alterius utcumque, sed quatenus exercetur per talem lineam: nam ut corpus impactum suum motum per illam conservaret, opus erat ut vel obstant corpus loco cederet, vel corpus impactum cum ipso penetraretur: utrumque autem est naturaliter impossibile: primum ob suppositionem; secundum ob ipsius naturæ corporeæ indolem: ergo lineam illam motus impedit; non vero motum, & consequenter reflectitur.

Sed objicies. Cum globus in aliud quiescentem fibi mole, ac gravitate æqualem impingit per lineam connectentem centra, licet quiescens loco cedat, ita tamen

im-

impingen tis motum impedit, ut hic omnino quiescat (41): ergo potiori jure cum corpus percussum perficit immobile, alterius motum omnino destruere debet: & consequenter ejus resiliuntiam. Resp. tamen ex dictis, globum in illo casu percussum, primo instanti impactionis non impedire motum globi impingentis; sed potius hic illum insequitur aliquibus instantibus eidem adhaerens, tot saltem, quot requiruntur, ut in ejus locum perfectè ingrediatur: singulis autem illis instantibus à recedente reputatur, & singulis aliquid de suo motu deperdit, quo fit ut cum ei modicus motus remaneat, tandem à medii resistentia, & propria gravitate, eo omnino privetur. In praesenti vero casu aliter contingit, nam in primo impactionis instanti impeditur omnino linea motus, per quam impingens cerebatur, ceteris ipsis liberè relictis; sicque impactione illa modicam sui motus jaucturam experitur.

PROPOSITIO XXXXVIII.

Corpus prædicto modo in aliud impingens, resilit per planum corpori reflectenti perpendiculari.

UT quæ in hac, & sequenti propos. dicuntur, facilius percipiuntur, supponendum est: in corporum resiliuntia duas lineas, duosque angulos considerari oportere. Sit enim planum insuperabilis resistentia XZ (fig. 10.) in quod incidat corpus A per lineam AB; tum resiliat per BC. Linea AB est *linea incidentia*. Linea BC, *linea reflexionis*. Angulus autem ABE est *angulus incidentia*: & CBF est *angulus reflexionis*. Hoc supposito, dico tum incidentiam AB, tum reflexionem BC contingere semper in plano perpendiculari ipsi plano reflectenti XZ. Ducatur enim ex punto A

linea AE perpendicularis plano XZ : tum ex puncto B reflexionis elevetur linea BD eidem plano perpendicularis : & consequenter ipsi AE parallela (6.lib.11.Euc.) Accipiatur recta BF æqualis ipsi EB : & ex puncto F elevetur FC perpendicularis eidem plano XZ ; quæ consequenter erit parallela ipsis BD, EA : & ducta ADC parallela linea EF , erit planum AF (18.lib.11.Euc.) perpendicularare plano XZ . Hoc posito, affero tam incidentiam AB , quam reflexionem BC , fieri in plano AF .

Probatur conclusio. Corpus A dum movetur per lineam incidentiæ AB , accedit ad planum XZ , seu ad lineam EF , per ipsam AB existentem in eodem plano, in quo est AE (2.lib.11.Eucl.) sed hoc planum est perpendicularare plano XZ , eo quod linea AE sit eidem perpendicularis (18.lib.11.Euc.) : ergo incidentia necessariò fit in plano EC perpendiculari corpori , seu piano resistenti XZ . Deinde recedit à B per lineam existentem in eodem plano EC : ergo , &c. Ut autem minor manifeste pateat, supponendum est, motum corporis A per AB , respectu plani XZ ex duabus directionibus virtualiter coalescere, quarum altera feratur globus à termino AE ad terminum DB ; altera verò à termino ADC ad terminum EBF : etiam vi illius motus per AB , simul recedit mobile ab utroque termino, nempè AE , & ADC : & accedit ad terminos DB , & EBF , quos simul attingit in puncto B : in hoc itaque puncto planum XZ non resistit motui corporis A , quatenus dirigitur à termino AE ad DB ; sed solum illi resistit quoad directionem, qua cietur ab ADC , ad EBF : ergo cum corpus resilit per BC , eandem retinet directionem, qua ferebatur ab AE ad DB , seu CF , nec ab illa deflectitur: ergo resiliencia corporis per BC fit in eodem plano , ac in-

incidentia AB : sed hæc, ut dixi, fit in plano perpendiculari plano XZ : ergo reflexio fit in piano AF perpendiculari corpori , seu piano resistenti XZ . Quod erat probandum.

PROPOSITIO XXXIX.

Corpus prædicto modo in aliud impingens, ita reflectitur, ut angulum reflexionis efficiat æqualem angulo incidentie. fig.eadem.

Ico corpus A incidens in planum, seu corpus XZ , ita resilire per BC , ut efficiat angulum reflexionis CBF æqualem angulo incidentiæ ABE . Constat experientia. Duplicem autem hujus phænomeni rationem adducam. Prima est Renati Descartes; nam ut dixi prop. præced. Motus corporis A per AB ex duabus directionibus virtualiter componitur , quarum altera fertur globus A ab AE ad DB : altera verò ab ADC , ad EBF . Supponamus itaque globum A unius minutii intervallo, pervenire à puncto A ad punctum B , certè propter insuperabilem resistentiam plani XZ , necesse est ut resiliat versus terminum AD , idque sensibiliter cum tota sua velocitate, qua ferebatur à termino ADC versus terminum EBF , ut supra dixi. Quod verò attinet ad directionem, qua globus ferebatur à termino AE ad terminum DB , ea perseverat cum eadem velocitate, quia cum huic directioni nullatenus resistat planum XZ , integra perseverat : ergo globus A post impactionem in puncto B , repellitur versus rectam ADC cum eadem velocitate, qua recesserat : & consequenter ad eam accedit, etiam spatio unius minutii : sunt enim parallelæ ADC , ABF . Similiter cum eadem maneat velocitas globi versus CF , ac illa qua venerat ab AE in DB ; & eadem sit distantia rectæ CF à DB , quæ rectæ AE ab eadem DB , quemadmodum ab AE pervenit in DB

spatio unius minuti, eriam unius minuti spatio deveniet à DB in CF : ergo globus sua resiliencia unius minuti spatio pervenit ad lineam ADC , simulque ad lineam CF : ergo præfata resiliencia pervenit ad punctum C, quod est utriusque linea communis : ergo à puncto B reflectitur per rectam BC : neque enim potest per aliam moveri, cum utriusque directionis sit equalis velocitas. Nunc sic : ergo angulus reflexionis CBF equalis est angulo ABE incidentia. Prob. conseq. quia in triangulis CBF, ABE latera CF, AE sunt equalia , similiterque equalia sunt FB, BE : anguli præterea F, & E equales sunt, utpote recti : ergo (4.lib.1.Euc.) anguli CBF, ABE sunt equales. Quod erat probandum.

Hinc colligitur. Cum globus incidit in corpus resistens per rectam eidem perpendicularem , ver.gr. à D versus B, resilire per eandem lineam à B versus D: in hoc enim casu anguli incidentia, & reflexionis sunt recti , aliter non essent equales : unde linea reflexionis eadem est, ac incidentia formans utrinque angulos equales.

Secunda hujus phænomeni ratio est Ptolemæi. Nam semper natura per lineas breviores operatur : ergo cum corpus quod movetur incidit in corpus resistens , & ad eandem altitudinem reflectitur, incidit, & reflectitur per lineas breviores : sed linea incidentia , & reflexionis, quæ angulos efformant equales, sunt breviores ceteris omnibus, quæ inter eosdem terminos duci possunt : ergo anguli incidentia, & reflexionis necessariò sunt equales. Primum Enthymema est certum. Minor autem adjuncta sic probatur.

Sit in fig.11. Angulus incidentia FBC equalis angulo reflexionis DBA. Sint etiam alii anguli FCG, FCD inæqualles. Dico lineas FC, CD simul sumptas

majores esse lineis FB, BD simul sumptis. Ex puncto D ducatur perpendicularis DAE: fiatque AE equalis ipsi AD: ducanturque recte EB, EC.

Demonstr. In triangulis ABD, ABE anguli in A recti sunt, & equalis, latera item AD, AE equalia sunt constructione, latusque AB commune : ergo (4.lib.1. Euc.) prædicta triangula sunt omnino equalia : ergo DB, BE sunt equalia, & anguli DBA, EBA etiam sunt equalis. Similiter etiam probabo angulos ACD, ACE esse equalis; ac latera DC, EC esse equalia. Hoc supposito. Anguli ABD, ABE sunt equalis : sed FBC, ut supponitur, equalis est ipsi DBA: ergo & ipsi ABE erit equalis : ergo quemadmodum ABE cum EBC (13.lib.1.Euc.) duos rectos efficit : ita & FBC cum eodem EBC duos rectos efficit : ergo (14.lib.1.Euc.) EB, BF sunt una, eademque linea recta : cumque EB sit ipsi DB equalis, erit recta EBF equalis duabus DB, BF: sed trianguli ECF duo latera simul EC, CF sunt majora, quam EF (20.lib.1.Euc.): ergo EB, CF sunt majora , quam DB, BF : sed linea EC est equalis ipsi DC: ergo DC, CF majores sunt quam DB, BF. Quod erat demonstrandum.

Advertendum tandem est , præfatam reflexionis legem, quod nempe fiat per angulos angulis incidentia equales, constanter observari in corporibus sphæricis: hac enim semper in planum resistens impingunt unico suę peripheria puncto : in aliis vero corporibus saxe contingit reflecti per angulos inæqualles angulis incidentia : ob varietatem enim tum prominentium angularum, tum ob ætherogeneam in diversis partibus craticiem, cum in corpus resistens incident, varias acquirent rotationes, easque satis irregulares, neque in unum tantum prædicti corporis resistentis punctum impingunt;

gunt; sed in diversis, à quibus diversas acquirunt ad motum determinationes, quibus angularum incidentia, & reflexionis æqualitas perturbatur. Et hęc quidem de motus reflexione dicta sunt. Quoniam verò etiam in motu corporum reperitur refractio, aliquid de ipsa breviter dicemus.

PROPOSITIO L.

Si corpus è medio raro delatum incidat in densum perpendiculariter, per eandem lineam incedit absque refractione; ceterum tardius in medio denso movetur, quam movebatur in raro.

AD pleniorē hujas rei intelligentiam supponendum est, refractionem motus nihil esse aliud, præter inflexionem, ac mutationem linea motus factam in ipso transitu mobilis à medio raro in densum, vel è contra. Hęc autem refractio, experientia teste, accidit lumini, & etiam corporibus per motum ab uno medio in aliud diversę densitatis delatis; licet diversimodè fiat in propagatione luminis, quam in motus directio ne. De illa quidem satis egimus in nostro *Comp. Math. tract. 18. lib. 1.* Et iterum de ipsa suo loco redibit sermo: nunc autem de secunda est agendum.

Dico itaque 1. Cum corpus de medio raro, suo motu delatum, incidit perpendiculariter in densum, nullam fieri refractionem; sed per eandem lineam incedere. Constat experientia. Ratio autem est, quia in hujusmodi perpendiculari, nulla occurrit causa mobile determinans ad aliam lineam: ergo eandem retinet in medio denso, quam habebat in raro: ergo per eandem incedit.

Dico 2. In medio denso corpus tardius moveri, quam

quam in raro. Prob. Nam medium densius plus motui resistit, quam rarum: ergo in medio denso plus de motu deperdit mobile, quam in raro. Antec. probatur, nam medium densius plus resistit divisioni: pluresque in eo sunt materię corporeā partes, quæ loco cedere debent, ut mobile moveatur: unde plures sunt, quæ à mobili pelli deberent: & consequenter plures sunt, à quibus reputatur: ergo illius motus in medio densiori retardabitur. Nec in hoc est aliqua difficultas.

PROPOSITIO LI.

Si corpus grave quod movetur, è medio raro incidat per lineam obliquam in densum, refringitur ejus motus à perpendiculari in ipso ingressu in medium densum.

Explícatur. Sit in fig. 12. Spatium HLED aqua plenum: sitque HL superficies aquæ, qua continua est aéri superincubenti. Sitque globus A, qui moveatur per rectam AB obliquè incidentem in superficiem aquæ HL. Dico globum A statim, ac ingreditur in aquam non progressurum per eandem lineam rectam ABE; sed inflecti, ac dirigi per BK, recedendo scilicet à perpendiculari BF. Rem ita se habere in hoc casu confitat experientia. Ratio autem hujus phænomeni potissimum petenda est ab Hydrostatica. Ad cuius intelligentiam aliqua suppono.

Suppono 1. Corpus grave intra aquam minus gravitare, quam in aëre: si enim ejus pondus statera examinetur in aëre, tum lanx in qua corpus situm est, aquæ immergatur, minus ponderare reperiatur, quam in aëre: intra aquam enim cum minori antipondio equilibrabitur, quam in aëre: ab innato enim pondere aquæ, aliquantulum sustinetur, & quasi sursum impellitur. Sup-

pono 2. Corpus, quo gravius est, ac solidius, eo minus sui motus perdere intra aquam: ob majorem enim soliditatem, ac gravitatem potentius est ad aquæ resistentiam superandam, minoresque sunt in qua vires ad ei resistendum, minusque momentum ad ipsum elevandum, aut sustinendum. Suppono 3. Corpus gravius, ac solidius obliquè in aquam delatum, minorem pati sui motus refractionem, minusque à via recta, qua descendat, deflectere, quam corpus levius. Patet experientia. Si enim prædicto modo projiciatur globus æneus, parum admodum refractionis patitur, cum in aquam ingreditur; si verò ligneus fuerit, multò majorem; imò intra aquam mersus, lineam curvam efformat, & paulo post ingressum sursum attollitur, idque ob rationem, quam in præcedenti suppositione diximus. His suppositis aperte patet ratio cur motus corporum ab uno in aliud diversæ densitatis medium obliquè delatorum refragatur.

Ratio itaque ob quam corpus A cum ingreditur aquam, non per rectam ABE incedit, sed per lineam BK recedentem à perpendiculari BF, est quia statim ac globus A delatum in B aquam ingreditur, ab ea, qua potest, sursum pellitur ob rationem supradictam: ergo ejus directionem per BE aufert, & ad aliam in sequendam determinat, qua proximior sit superficiei BL, plusque distet à perpendiculari BF, qualis est BK: movebitur igitur globus intra aquam per BK recedens à perpendiculari prædicta: & eo magis ab ea recedens, quo levior fuerit globus A: si enim specificè fuerit aqua levius, statim ab hac ita sursum pelletur, ut ad eandem superficiem BL reducatur, ut testatur experientia. Ratio verò ob quam hæc refractione in lumine alter eveniat suo loco patebit. Videantur interim quæ in Compend.

Mathem. diximus loco suprà citato.

PROPOSITIO LII.

*Si corpus à medio densiori in rarum deferatur per lineam perpendiculararem, per eandem lineam incedit absque refractione; ejus tamen motus diutius durabit per medium rarius, quam duraret si per medium densius continua-
retur.*

Quod corpus prædicto motu perpendiculariter delatum, nullam in egressu ab aqua in aerem patiatur refractionem, convincitur eadem ratione prop. 50. adducta. Quod verò ejus motus, quo post egressum fertur per aera, diutius duret, quam si tantuī per medium densius continuaretur, probatur speciatim de corporibus ipsa aqua specificè gravioribus: nam licet aqua eorum motum sursum versus aliquantulum juvet; valdè tamen sui ipsius divisioni resilit: motus ergo ille, quo corpus intra aquam sursum fertur, tum à propria gravitate, tum ab aquæ resistentia citius destruetur, quam si feratur per aera: hoc enim facilius divisionem patitur, ideoque minus motui corporis resilit. Verum hæc phenomena non unius modi sunt in omnibus corporibus; potest enim esse in eis non modica diversitas, juxta eorum majorem, aut minorem gravitatem specificam.

PROPOSITIO LIII.

Si corpus à medio densiori in rarum per lineam obliquam deferatur, refringetur ejus motus à perpendiculari in ipso egressu.

Colligitur ex dictis prop. præced. Nam motus violentus, quo corpus sursum fertur, recedens

à superficie aquæ, jam amplius ab aqua non juvatur: imò à propria gravitate corpus continuo deprimitur: ergo ejusdem motus directio in aliam mutatur, plus à perpendiculari distante. Sit enim claritatis gratia in eadem fig. corpus quod ex E moveatur intra aquam per EB, certè cum per B in aera profilit à propria gravitate potentius deprimitur, ac deorsum appetetur, quam pellebatur intra aquam ob rationem supradictam: ergo non incedet per BA, multoque minus per aliam lineam accendentem ad perpendiculari BG: sed potius incedet per BS à predicta perpendiculari recentem. Hinc rejicies Franciscum Bayle, qui *Phys. gen. disp. 6. ar. 4. n. 114.* oppositum generaliter defendit, fieri nempe refractionem, in egressu ab aqua in aerem, versus perpendiculari: sed hoc ideo à praefato Auctore, suoque Magistro Cartesio minus recte assertur, quod nempe in his motus phænomenis, ita velint differere, ut nihil ad gravitatem corporibus innatam attendant: unde non semel talia adstrinunt, quæ nusquam in rerum natura reperiuntur. An verò quod à prefatis Auctoribus assertur, accidat cum corpus mobile motu horizontali ab aqua in aera transfertur, aut è converso, mili nondum licuit experiri: semper tamen linea motus per aera plus versus terram inclinabitur, quam intra aquam. Sed de his nunc satis; iterum enim de refractione redibit sermo, cum luminis phænomena explanabimus.

(* * *) (* * *) (* * *)

(* * *) (* * *)

(* * *)

C A P U T IV.

De motu mixto ex duobus, vel pluribus rectis.

CUM motum audis mixtum, ne intelligas vel lim, plures simul in eodem mobili diversos adesse motus: id enim est impossibile, cum unico temporis momento, unica tantum esse possit mobilis à loco in locum transmigratio. Motus itaque, quem mixtum appellamus, simplex quidem est, si linea per quam mobile incedit, spectetur; dicitur tamen mixtus, quod dum mobile à diversis motoribus simul per diversas lineas impellitur, medium viam quasi feligens, per illam excurrit, ut omnibus simul pro eorumdem virum rata obsequatur. Potest autem ejusmodi motus esse mixtus ex duobus rectis; aut ex recto, & circulari: qui autem ex rectis, coalescere potest, aut ex duobus æquabilibus; aut ex uno æquabili, & alio accelerato, aut retardato: item ex utrisque acceleratis, aut retardatis. In præsenti tamen de mixto ex duobus rectis, & æquabilibus erit nobis sermo: de reliquis enim alibi convenientius pertractabimus.

PROPOSITIO LIV.

Si idem mobile à duplice motore determinetur simul ad motum per duas lineas angulum efficientibus, per nullam eorum movetur mobile; sed per aliam ab eis diversam, & medium inter utramque.

E xplicatur. Sit in fig. 13. Globus A, qui simul à

duplici motore impellatur, ab uno quidem ab A in D per lineam AD: & ab alio ab A in B, per lineam AB. Dico globum per neutrā ex dictis lineis motum iri; sed per lineam medium scilicet AE. Ratio est quia mobile nequit incedere simul per AD, & per AB, esset enim simul in dupli loco: ergo moveri debet per lineam medium AE. Conseq. probatur, nam vi determinationis versus D debet approximari ad partes DF; & vi determinationis versus B debet approximari ad partes BE: sed hoc sit cum incedit per AE: ergo per hanc lineam movebitur.

PROPOSITIO LV.

Determinatur linea, qua à mobili in prædicto casu conficitur.

Hinc facile determinatur linea illa media, qua à mobili, per duas directiones simul impulsu, percurritur. Primo enim si impulsus per AD, fuerit æqualis impulsui per AB: & uterque imprimatur per lineas angulum rectum efficientes, movebitur globus per AE, diagonalem quadrati DB: si verò prædicti impulsus essent inæquales, ut si duplo velocius imprimatur ab A in B, quam in D per angulum item rectum; fiat AC dupla ipsius AB, perficiaturque parallelogramnum DC: & globus in hoc casu decurret diagonalem AF. Ratio est, quia si impulsus sint æquales, æqualiter impelletur mobile ad partes DE, & ad partes BE: ergo cù perveniet ad E, æqualiter distabit ab AB, quam ab AD: ergo erunt AB, AD æquales: ergo DB erit quadratum, & AE diagonalis: describet ergo in primo casu diagonalem quadrati. In secundo autem casu, cum duplo velocius accedat ad partes CF, quam ad partes DF, cum erit in F, duplo distabit ab AD, quam

401 LIBER V. CAPUT IV. 401
quam ab AC: ergo AC erit dupla ipsius AD: ergo globus decurret AF, diagonalem parallelogrammi DC. Quod erat probandum.

Si autem determinationes ad motum fiant per lineas constituentes angulum obtusum, siveque æquales, ut si globus G (fig. 14.) simul pellatur æquali impulsu per lineas GH, GI, movebitur per GL diagonalem minorem Rhombi GLHI; si verò prædicta determinationes sint etiam æquales, & forment angulum acutum: ut si globus I æqualiter pellatur per IL, & IG, decurret diagonalem majorem IH ejusdem Rhombi. Si tandem prædicti impulsus essent inæquales, describet globus diagonalem Rhomboidis, majorem quidem, si determinationes fiant per lineas angulum acutum efficientes; minorem verò si obtusum efforment, ut colligitur ex dictis.

PROPOSITIO LVI.

Hinc si è summo molo navis, dum hæc movetur, corporis grave demittatur, descendet sensibiliter ad imum mali.

Hoc est experimentum à Galileo productum, à Gassendo doctissimè expositum, à Copernici sectatoribus toties decantatum, quodque ignobile vulgus miratur, immo quod etiam aliqui ex Philosophis in dubium vertere voluerunt, quod suis fortè principiis adversari putarent: est tamen ita certum, ut jam nemo prudens de ipso dubitare possit. Illius autem ratio sat is aperta est, & colligitur ex dictis. Nam globus cum à summo mali demittitur, duas simul accipit ad motum directiones, alteram à navi per lineam horizontalem; alteram ab innata gravitate per lineam perpendicularrem: ergo (54.) movetur per lineam medium, qua ad

imum mali terminatur : quemadmodum globus A, de quo in præced. prop. ad terminum E utriusque determinationi commune, suo motu accedit. Verumtamen in nostro casu globus à summo ad imum mali, non linea recta descendit, sed curva, eo quod motus quo fertur, mixtus sit ex duobus, uno quidem recto per horizontalem, & alio, qui continuò acceleratur per perpendicularē, de quo cum de motu gravium agemus, redibit sermo.

Hinc ob similem rationem idem experitur , cum è mobilis navi corpus aliquod sursum perpendiculariter proiecitur, iterum enim in navem, qua recesserat, recedit. Hinc etiam patet nihil valere vulgare illud argumentum, quod à plerisque adseritur contra motum terræ, sequi videlicet ex tali motu lapidem sursum per verticalem projectum , longo intervallo retro occasum versus descensurum , cum interim dum lapis à terra sejunctus in aëre existit, terræ locus unde fuit projectus, magno intervallo versus ortum excurrat ; nihil, inquam, valet hæc ratio : si enim terra moveretur , lapidis motus ex duplice esset intermixtus, ex verticali scilicet sursum à projiciente ; & horizontali à motu navis profecto. Aliis itaque rationibus præfatum terræ motum suo loco impugnabimus.

Alias quamplurimas motus ex duobus rectis permixtiones prosequi possem, lineaſque, per quas mobile ipsarum vi cieatur, determinare; ceterum quoniam pa- rum utilitatis secumferunt, possintque ex supradictis fa- tis colligi, ipsis omisſis, ad motum circularem perscrutandum deuenio.

C A P U T V.

*De motu circulari simplci, & mixto, ejusque
affectionibus.*

MOTUS circularis est ille, *cujus linea in omnibus suis punctis a communī cōtro aequaliter distat.* Dari motum circularē in natura, teſtantur in calo sydera: in terra, turbines: molares rotae: vibrata funependula, &c alia quamplurima: suas hic motus affectiones habet, quas ſequentibus propositionibus breviter percurro.

PROPOSITIO LVII.

Motus circularis oritur à nova ad aliam lineam motus determinatione, in singulis punctis addita.

Asfero : ut aliquod corpus circulariter moveatur, opus esse ut in singulis spatii punctis nova eidem addatur ad subsequens punctum in illa peripheria existens, ad motum determinatio. Prob. Nam omnis determinatio ad motum (19.) fit per lineam rectam, per quam mobile semper moveretur, donec nova ei accederet ad aliud determinatio (12.): ergo ut corpus circulariter moveatur, necesse est ut in singulis spatii punctis noviter ad aliam lineam motus determinetur; alter enim per lineam rectam moveretur, non per circularem. Haec autem nova, quæ in singulis spatii punctis additur determinatio, mobile determinat, ut ad illud punctum spatii immediatum transferatur, quod aequa-

194. TRACT. III. DE PHYSICA GENERALI.

liter à communi centro, ac præcedentia puncta æquidistat: hoc enim posito, motus per circularem peripheriam exercetur, estque circularis, ut ex adlata hujuscemotus definitione patet.

Hinc corpus, quod circulariter movetur, polygonum infinitorum propemodum laterum describit, quod certè sensibiliter, ac physicè circulus est, cum omnia illius physica puncta à communi centro æquidistant.

Determinatio autem illa, quæ in singulis punctis additur ad novam motus lineam, sèpius ex eo provenit, quod motus rectus in singulis punctis sit impeditus: sic cum rota solida circa proprium centrum revolvitur, quodlibet punctum in extima ejus peripheria constitutum, singulis instantibus ad novam lineam motus determinatur, ob deinceps impeditum ejus motum retum, ob colligationem illius puncti cum aliis: hac enim cogitur, ut aliam lineam motus ineat, & insuper aliam, &c. ut colligitur ex dictis.

PROPOSITIO LVIII.

Hinc optime colligitur ratio cur, si dum vertitur rotæ, ejus summe superficie lapillus imponatur, proiecitur hic per lineam rectam, tangentem scilicet circuli, cui fuerat impositus.

Funda circulariter acta lapidem emittit per rectam lineam, tangentem scilicet circuli, quem describit. Similiter si molari lapidi superponatur lapillus, per rectam tangentem excutitur. Ratio autem est, quam breviter in prop. 19. adduxi. Determinatio enim ad motum semper est per lineam rectam, in qua mobile perseverat, donec nova accedat determinatio: sed

sta-

LIBER V. CAPUT V.

405

statim ac lapillus è rota excutitur, nulla jam ei ex parte rotæ accedit nova determinatio: ergo ejus motus per lineam rectam ibidem cæptam procedet. Erit autem hujusmodi linea tangens circuiti, per quem circulariter ferebatur, dum rotæ adhærebat; nam projicitur ab extremitate diametri puncto, ad punctum subsequens extra rotam: sed hoc cum subsequentibus in linea motus, omnes sunt extra rotam: ergo projicitur per lineam rectam ex punctis physicis spatii constantem, quorum primum est diametri extremitas; ceteri vero extra rotam: cumque hæc linea sit perpendicularis extremitati diametri; immediatum enim punctum extra rotam, quod subsequitur ad extremitatem diametri versus træcum, ad quem movetur, lineam inchoat ad eandem extremitatem perpendicularem, ut est certum in hypothesi punctorum physicorum: ergo lapillus excutitur per rectam perpendicularem extremitati diametri: ergo (16.lib.3.Euc.) per tangentem.

PROPOSITIO LIX.

In motu circulari rotæ solidæ, puncta diversorum circuitorum inæquali motu cœntur: illa nempè que centro proprius accedunt, tardius; que vero ab eo longius recedunt, velocius.

Sit rota solida, cuius centrum C (fig. 15.) quæ circa proprium centrum moveatur. Dico punctum F, centro C vicinus, tardius moveri, quam punctum A, quod ab eo est remotius. Constat experientia, & ratio est evidens: nam illud mobile movetur alio velocius, quod eodem tempore majus conficit spatium: sed punctum A eodem tempore majus conficit spatium; quam F: ergo illud velocius; hoc vero tardius moveretur. Min. patet, nam punctum A eodem tempore conficit

ar-

arcum AB, quo punctum F conficit arcum FG : sed arcus AB major est arcu FG : ergo eodem tempore quo punctum F conficit minus spatium, conficit A maior : ergo hoc illo velocius incedit.

PROPOSITIO LX.

Proportio velocitatis puncti A remotioris à centro, ad velocitatem puncti F, eidem propinquioris, se habet ut distantia CA, ad distantiam CF ab eodem centro.

Ratio est, quia cum eodem tempore, quo punctum A conficit spatium AB, punctum F conficit spatium FG, velocitas puncti A ad velocitatem puncti F se habet ut arcus, seu spatium percursum AB, ad arcum FG, ut constat ex prop. 29. sed arcus AB ad arcum FG se habet ut radius, seu distantia CA, ad radius, seu distantiam CF, ut ex prop. 33. 6. Euc. colligitur: ergo velocitas puncti A ad velocitatem puncti F, se habet ut CA ad CF.

PROPOSITIO LXI.

Explicatur juxta nostram hypothesem in quo physice sit major, ac minor velocitas punctorum rotæ à centro in aequaliter distantium.

Sicut adversus sententiam assertentem continuum componi ex punctis indivisibilibus communiter opponi argumentum ex motu circulari rotæ desumptum, quod sic breviter propono. Sit in præced. fig. Punctum A, quod unico instanti acquirat unum punctum spatii versus B, certè in eodem instanti punctum F acquirere versus G minus quam unum punctum spatii: cum enim (58.) moveatur tardius, quam punctum A, minus spatium eodem tempore percurret: ergo solum

ac-

acquirere partem puncti, quod est contra hypothesim, supponuntur enim puncta esse indivisibilia.

Verum hoc argumentum eos tantum premere potest, qui continuum ex punctis mathematicis componunt; nos verò minimè, qui puncta tantum physica admittimus, indivisibilia quidem entitativè; verum extensa. Ex dictis itaque prop. 24 & sequent. faciliter hujus argumenti difficultas dissolvitur. Afferimus enim in motu circulari rotæ, dato quod punctum A unico instanti ita promoveatur versus B, ut unum punctum spatii acquirat, punctum F eodem instanti acquirere versus G partem tantum aliquam unius puncti spatii: hoc est dato quod motus puncti A duplo sit velocior motu puncti F, si punctum A unico instanti acquirit unum punctum spatii, punctum F tantum dimidiam partem extensionis unius puncti spatii acquirere: cum enim in nostra hypothesi puncta physica sint extensa, habent quoad extensionem partes, non quidem entitativas, sed designabiles, ut late suo loco explicavimus. Idcirco potest punctum F eodem instanti, quo punctum A acquirit unum punctum spatii, acquirere dimidium: & quoniam punctum F acquirit eo instanti solum puncti subsequentis dimidium, occupat adhuc dimidium præcedentis, à quo discessit, ideoque convenienter dicitur punctum F moveri per puncta spatii communicantia, eodem tempore quo puncta A, ut supponitur, per non communicantia movetur. Vides quam facilis sit in hac hypothesi propositi argumenti solutio.

PROPOSITIO LXII.

Rota que movetur in superficie plana, movetur motu mixto ex recto centri, & circulari orbis.

Explicatur. Sit in fig. 16. Rota AOL insistens

pla-

plano AD, super quo volvatur. Dico quodlibet rotæ punctum, ex.gr. L, moveri motu quodam mixto ex recto centri O, & ex circulari orbis. Supponamus dicendi gratia, motum orbis esse æqualem motui centri: hoc est, quod eodem tempore quo centrum O percurrit rectam OE, punctum L percurrat motu circulari respectu centri O arcum LQ, æqualem ipsi recte OE, certè punctum L motu centri terretur versus V, & motu orbis versus Q. Si enim esset tantum motus centri, versus E, omnes rotæ partes moverentur motu recto, ver.gr. punctum L per LV; punctum A per AD, &c. Si vero esset tantum motus orbis, omnes partes moverentur tantum motu circulari; ver. gr. L per arcum LQ: A per arcum AZ: ergo cum simul sit ad utrumque motum determinatio, punctum L utriusque vi motu mixto movebitur per quandam curvam LM, cuius descriptionem, si oporteret, possem adhibita Geometria ostendere: ceterum cum parum utilitatis ad prefens conferat, labens omitto. Lineam vero translationis puncti L esse curvam, inde patet, quod cum ejus motus mixtus sit ex recto centri, & circulari orbis, quemadmodum aliquid amittit de curvitate orbis, ita & aliquid amittit de rectitudine, quam haberet ratione motus centri: ergo linea translationis LM est curva.

PROPOSITIO LXIII.

Unicum tantum rotæ punctum, scilicet centrum, movetur per lineam rectam; cetera per curvam.

Patet ex precedentibus. Et quidem centrum moveri per lineam rectam est certum: cum enim semper distet equaliter à planis AD, LV, scilicet eodem radio OL, OA, certè percurrit lineam OE parallelam ipsis AD,

AD, LV: sed parallela rectis est recta: ergo OE, per quam fertur centrum, est linea recta. Cetera vero puncta rotæ moventur per lineam curvam, ut L per LM, & sic de ceteris: ergo solum centrum movetur per lineam rectam.

PROPOSITIO LXIV.

Minor rotæ inclusa majori, eidemque unita, ita movetur, ut sit major in illa motus centri, quam motus orbis.

Explicatur. Sit in eadem fig. Rota CBFG concentrica ipsi AQLZ, eidemque unita: moveaturque rotæ super plano AD motu circumvolutionis. Dico motum cétri O esse majorem motu orbis CBFG. Ratio est evidens: nam in hac circumvolutione motus centri est æqualis motui orbis rotæ majoris: ergo interim dum centrum O percurrit rectam OE, punctum Q percurrit quadrantem QA, ipsi OE, seu AD æqualem: sed hoc eodem tempore punctum B rotæ minoris solum percurrit, quadrantem BF minorem ipso QA, ut est certum; eodem enim tempore quo punctum Q percurrit quartam majoris peripheriae partem, percurrit etiam B quartam partem peripheriae minoris: ergo motus orbis, quo punctum B circulariter móvetur, minor est motu centri O. An vero singula puncta quadrantis BF corrispondent singulis punctis plani FH, quemadmodum singula puncta quadrantis QA correspondent singulis plani AD, est vulgaris, nec modica difficultas, qua ab Aristotelica rota sibi nomen fecit, quam sequenti propositione breviter discutiemus.

PROPOSITIO LXV.

Rotæ Aristotelica difficultas exponitur, ac dis-
solvitur.

Rota, quæ communiter Aristotelica appellatur, nō modicum torquet Philosophorum ingenia. Eam adfert Aristot. *quest. 24. Mechanicorum*, si fortè sit ejus præfatus liber: eadem etiam explicant Blanckanus, & Mersennus, quos citat Dousnerius *tract. de motu loc. lib. 9. in digress. post prop. 8.* ubi satis obscurè ex P. Honor. Fabri hanc difficultatem conatur resolvere. Ut itaque nos aliquid circa hanc rem certè difficilem dicamus.

Sit in fig. 17. Rota incubans piano CE in puncto C: sitque centrum rotæ A, ejusque radius AC. Hæc autem rota aliam includat sibi concentricam, & affixam, cuius radius sit AB, qui sit, ex.gr. subduplicis radii AC: sit autem planum CE æquale arcui CH: ita ut cum centrum A moveatur per AG, singula puncta arcus CH motu revolutionis infideant, ac successivè respondeant singulis punctis plani CE: cum autem rota minor ABD simul cum majore moveatur, haud dubiè punctum D pervenit in F, cum centrum A pervenit in G; eodemque instanti punctum H perveniet in E, ita ut radius ADH conveniat cum GFE.

Et hoc quidem certum est. Difficultas tamen in eo potissimum stat, quod nempè cum BF sit æqualis ipsi CE: & hæc sit æqualis arcui CH, etiam BF æqualis est ipsi arcui CH: cumque arcus iste sit duplus ipsius arcus BD, etiam BF dupla erit ipsius arcus BD. Quomodo itaque in rotæ circumvolutione eodem tempore, quo punctum H pervenit in E rotatione arcus CH super piano CE, punctum D pervenit in F rotatione arcus BD

super

super plano BF, cum hoc sit illius arcus duplum: vel enim singula puncta arcus BD respondent in decursu singulis plani BF: vel singula puncta arcus BD respondent duobus BF: vel alterna puncta plani BF ita saltuatum prætermittuntur, ut penitus intacta remaneant. Sed nihil horum dici posse videtur. Non primum, alioquin tot essent puncta in arcu BD, quot in plano BF illius duplo, quod aperte repugnat. Neque secundum dici posse videtur, nempè quod singula puncta arcus BD respondeant duobus punctis plani BF: cum enim singula puncta arcus CH cōtingant successivè singula puncta plani CE, sitque radius ductus à puncto A ad prædictum contactum semper perpendicularis piano tangenti CE (16.lib. 3.Euc.) etiam erit & ipsi piano BF perpendicularis: & consequenter contactus arcus BD erit in puncto, quo præfatus radius secat planum BF: ergo in quolibet puncto contactus arcus CH cum CE, erunt in eademi perpendiculari tria puncta, nempè centrum A, contactus in BF, & contactus in CE: tot ergo necesse est esse puncta contactus arcus BD in BF, quot sunt puncta contactus arcus CH in CE: ergo singula puncta arcus BD nequeunt correspondere duobus punctis plani BF. Ex quo etiam convincitur non posse dici tertium, nempè saltuatum prætermitti puncta in piano BF: videtur enim nullum posse prætermitti punctum in prædicto piano, quod nempè non attingatur ab arcu BD: ut enim nuperim diximus, cuivis puncto contactus arcus CH cum piano CE, in recta ab illo ad centrum rotæ ducta, alijs correspontet contactus arcus BD cum piano BF: non ergo remanent in hoc piano puncta aliqua saltuatum intacta.

Superest nunc ut nodum istum juxta nostram hypothesim solvere tentemus. Ad id autem aliqua sunt ex di-

ctis

Etis supponenda. Suppono itaque 1. Motum cuiuslibet puncti tum peripheriae CH, tum BD cum rota movetur super plano CE, moveri motu mixto ex circulari orbis, & recto centri, ut constat ex prop. 61. Suppono 2. Velocitatem motus consistere juxta prop. 29, aut in majoribus saltibus, aut in minoribus morulis, aut in utrisque. Et e converso tarditatem. Suppono 3. In motu mixto ex duobus, posse esse majorem velocitatem in uno ex dictis motibus componentibus, quam in alio; aut posse esse inter utrumque aequalitatem. Suppono 4. In singulis punctis peripheriae CH esse aequalem ex gr. motum centri cum motu orbis: in singulis autem punctis peripheriae BD, motum centri esse majorem, id est duplum motu orbis: idque non ratione temporis, eodem enim tempore, quo motu orbis percurritur peripheria BD, percurritur motu centri tota AG, seu BF, ipsi aequalis. His suppositis.

Affero. Quodlibet punctum peripheriae minoris BD, quatenus movetur motu centri, singulis instantibus moveri per puncta spatii plani BF minus sibi invicem communicantia, quam sibi communicant puncta spatii, quibus motu orbis movetur per peripheriam DB: cumque, ut supposuimus, motus centri super BF duplo velocior sit motu orbis per DB, duplo minus communicant puncta spatii, quæ percurrit in BF, quam quæ eodem tempore percurrit in DB, seu quæ eodem tempore percurruntur etiam motu centri à peripheria majori HC: unde necesse est ut in eodem instanti, quo H pervenit ad E, perveniat & D ad F. Superest nunc exponere, qualiter singula puncta peripheriae DB, cum tangunt planum BF, corrispondent punctis peripheriae HC, cum tangunt planum CE. Ut id majori claritate exponamus, supponemus singulis instantibus unicum

pun-

punctum peripheriae majoris CH, attingere adæquate unum punctum plani CE.

Primo itaque instanti motus, punctum peripheriae majoris ipsi C immediatum, attingit adæquatè punctum plani immediatum ipsi C: in peripheria vero BD, punctum immediatum ipsi B, vi motus orbis solum attingeret dimidium puncti in plano BF immediatè sequentis; verum vi motus centri ita transfertur ut adæquatè correspondeat prædicto puncto secundo plani BF. Ubi vides duo puncta peripheriae CH successivè correspondere duobus plani CE; peripheria vero BD unū idemque punctum correspondere successivè duobus plani BF. Unde cuilibet puncto contactus rotæ majoris in plano CE, suum in eadem semidiametro correspondet punctum contactus peripheriae BD in suo piano BF. Hoc autem non ita fit, ut idem punctum prædictæ peripheriae, quasi reptando feratur ab uno puncto plani ad aliud; sed cum motu orbis circulariter moveatur, quod huic motui deest, ut subsequens punctum perfectè occupet, suppletur per quemdam saltum à motu centri: prædicta enim velocitas, quæ cuilibet puncto peripheriae minoris additur à motu centri supra motum orbis, fit juxta prop. 25. per quosdam saltus, ut nempè idem punctum peripheriae ab uno plani puncto ad subsequens transferatur: quod secus evenit in peripheria majori CH, in hac enim singula puncta, singulis punctis plani CE successivè correspondent. Id quod de his primis punctis dictum est, pariter est dicendum de ceteris.

Dices tamen. Qualibet linea, quæ à puncto contactus peripheriae majoris cum suo piano CE ducitur ad centrum A, transit per punctum illud peripheriae minoris, quod contingit suum planum BF: sed à singulis punctis peripheriae majoris, quæ successivè tangunt

uum

414 TRACT. IV. DE PHYSICA GENERALI.
 suum planum CE, duci possunt rectæ ad centrum A: ergo omnes ista transeunt per punctum illud, quo peripheria minor tangit suum planum BF: sed omnes iste lineæ solum concurrunt in centro A: ergo nullæ concurrunt in eodem puncto peripheriarum minoris: ergo in singulis contactibus hujus peripheriarum minoris cum suo piano, reperitur distinctum ejusdem peripheriarum punctum: ergo idem punctum hujus peripheriarum minoris non tangit successivè duo puncta plani BF: ruit ergo nostra explicatio.


Resp. tamen juxta dicta prop. 60. Verum quidem esse, lineas quæ ex singulis punctis peripheriarum majoris successivè tangentibus planum CE, ducuntur ad centrum, non concurrendo, nisi in centro A: ex hoc tamen solum sequitur transire per diversa puncta mathematica peripheriarum minoris: & consequenter contactus istos semper fieri secundum diversa puncta mathematica peripheriarum minoris, quæ in diversis partibus extensionis punctorum physicorum illius designantur; non verò sequitur fieri in diversis punctis physicis peripheriarum praedictarum: fuit enim sèpè in eodem puncto physico illius in diversa tamen parte designabili sua extensionis: ita ut idem punctum physicum peripheriarum BD altera suę extensionis parte attingat planum BF in medio puncti physici hujus plani, & alia parte attingat medium subsequentis in eodem plano, quod, semel admissa punctorum physicorum extenione, facile concipitur. Et hæc quidem in re satis difficulti dicenda occurruunt, neque enim video qualiter hæc possint in aliis hypothesibus melius explicari.


FINIS.

IN-

Tomi 2. Iconismus unicus.

fol. 414.





Compositum. 47. & deinceps, quæ dicantur. 153. Continuum ex quibus componatur. 155. Non ex partibus in infinitum divisibilibus. 160. Nec ex indivisibilibus mathe-

INDEX

RERUM NOTABILIORUM,
ordine Alphabetico digestus.

Accidentia entitativa, prout in Scholis communiter adstruuntur, rejiciuntur. Pagina 101. Non probantur ex Sacra Eucharistia. 116. Accidentia spiritualia naturalia quid in sententia Atomistica. 106. Supernaturalia quid. 108. Eadem accidentia panis, & vini, quæ erant ante consecrationem, remanent in Eucharistia post consecrationem miraculosè. 117. Ipsa sunt species sensibiles panis, & vini. 124. Quid in hoc puncto sit ab Ecclesia. 126.

Actionis ejusdem diversa munera. 219.& 293.

Æternitas quid. 285. Est tota simul. 294. Ævum quid. 286. Est totum simul. 294.

Aristotelis sententia circa principia corporis naturalis. 22.

Quim adstruit circa formarum originem non convenit formis entitativis à materia distinctis. 136.

Artefactorum materia, & forma. 36. Eorum doctrina compositis naturalibus applicatur. 39.

Atomorum notio, & existentia. 47. Sententia eas adstruens, quam vetusta. 48. Autores eam defendant. 49. Rationibus stabilitur. 50. Atomi sunt materia prima rerum corporearum. 55. Atomorum proprietates. 60. Substantialiter, & specificè non differunt. 63.

Centrum magnitudinis, & gravitatis quid. 377.

Color quomodo remaneat in Eucharistia. 118.

Compositum artificiale, ejusque materia, & forma. 36. Compositum naturale quid: & ex quibus coalescat. 66. Ejusdem generatio. 138. Corruptio. 145. Composita possunt in aliquo sensu dici creari. 53.

Continua, contigua, & deinceps, quæ dicantur. 153. Continuum ex quibus componatur. 155. Non ex partibus in infinitum divisibilibus. 160. Nec ex indivisibilibus mathe-

INDEX

maticis. 169. Sed ex indivisibilibus impenetrabiliter extensis. 175.

Corpus naturale, & mobile, quid. 18. Corporum divisio in infinitum excurrere nequit. 45. Corpus immotum aliud movere non potest: neque se ad motum determinare. 340. Sed tantum ab aliquo spiritu. 341. Indifferens est ad motum, & quietem. 342. Semel motum semper moveretur, ni ab alio ad oppositum determinaretur. 343. Qua- liter ad motum determinetur. 347. Qualiter in fibi res- tens agat. 374.

Corruptio compositi substantialis. 145.

D

Distantia tum in pleno, tum in vacuo explicatur. 224.

Duratio quid, & quotuplex. 285. Intrinsica in quo con- stat. 288. Effectivè est ipsa actio conservativa. 293. & 300. Intrinsica permanentia est tota simul. 294. Successiva in quo constat: & quibus competat. 303.

E

Eduatio formarum quid sit. 138.

Entia permanentia, & successiva, quæ. 305.

In Eucharistia eadem accidentia remanent post consecratio- nem, quæ erant ante consecrationem, miraculose tamen. 117.

Experimentum Torricellii de Mercurio. 270. Salium diver- sum. 277.

F

Forma quid juxta Aristotelem. 29. Nec sit, nec generatur. 30. & 75. Forma rerum corporearum quid physicè. 66. Consistit in proportione, qua viciuntur corporula. 67. Eidem convenient, quæ ab Aristotele afferuntur. 72. For- ma specialis in plurimis compositis. 77. Plures formæ substanciales subordinatae sunt in eodem composito. 79. Materiales non sunt entitates absolutæ prout in Scholis admittuntur. 81. Accidentales entitatibꝫ prout in Scho- lis admittuntur, rejiciendæ. 101. Formarum origo. 130. Diversa circa hanc originem sententia. 132. Earum edu- cito quid. 138.

Funda cur lapidem jaciat per lineam rectam. 404.

G

Genitio compositi substancialis physicè explicatur. 138.

RERUM.

G

Gratia sanctificans, quid. 109. Ejusdem cum luce analogia. 110.

I

Inane. Vide *Vacuum*.

Imperio non est accidens entitativum. 333. Consistit in de- terminatione ad motum. 347.

Indivisibilia mathematica non dantur à parte rei. 169. Benè verò indivisibilia physica impenetrabiliter extensa. 175.

Instans, quid, & quotuplex. 288.

Instans physicum quantum sit determinatur. 311. & 317. Instantia physica inæqualia. 316.

L

Laetantius Firmianus, ejus scripta parùm fide digna. 49.

Locut, quid. 199. Quid de ipso senserit Aristoteles. 200. In- trinsecus, & extrinsecus, quid. 202. Res multipliciter esse possunt in loco. 234. Potest idem corpus divinitus esse circumscriptivè simul in multiplici loco. 240.

M

Materia primis, quid juxta Aristotelem. 24. Ingenerabilis est, & incorruptibilis. 27. Est atomorum congeries. 55.

Mercurii intra canaliculum suspensi experimentum. 269.

Motus, quid, & quotuplex. 320. Localis in vacuo possibi- lis. 284. Quid de ipso senserit Aristoteles. 322. Est es- sentialiter successivus. 328. Propriè non producitur. 331.

Motus, & quies consistunt in positivo. 345. Motus loca- lis species. 350. Proprietates. 351. Secundum se fit per lineam rectam. 352. Potest esse velocior, & velocior in infinitum. 355. Item tardior, & tardior. 357. Velocitas, & tarditas unde petenda. 362. Diversa motus phæno- me- na. 371. Motuum oppositio. 376. Motus reflexus fit per angulum angulo incidére è qualibꝫ. 388. Refractus quid, & per quam lineam fiat. 394. Mixtus ex pluribus per quā lineam exerceatur. 399. Motus circularis affectiones. 403.

Mutatio, quid, & quotuplex. 321.

N

Natura, quid sit. 17. Naturales res quād difficiles. 15.

Comp. Phil. Tom. II. Dd Odor.

INDEX

O

*Oder panis, & vini, quomodo maneat post consecrationem
in Eucharistia.* 123.

P

Paris, quid, & quotuplex. 154.

Penetratio corporum miraculosè tantùm possibilis. 228.

*Philosophi antiqui, quid circa principia Entis naturalis sen-
serint.* 19.

Physica qualiter pertractanda. 2. *Eius principia.* 13. *Obie-
ctum.* 11. *Est scientia speculativa.* 12.

Presentia localis, quid. 215.

Principia intrinseca corporis naturalis, quid. 18. *Antiquo-
rum opiniones.* 19. *Quot, & quæ sint.* 34. *Physicè ex-
ponuntur.* 41.

Punctum, quid. 153. *Indivisibilia mathematica in natura
non dantur.* 169. *Bene verò entitativè indivisibilia im-
penetrabiliter extensa.* 175.

R

*Reflexio in motu locali sit per angulum aequalem angulo in-
cidentia.* 388. *Refractio ejusdem motus.* 394.

Rota Aristotelicè difficultas exponitur. 41.

S

Saltum diversorum experimenta. 277.

Spatia imaginaria, quid, & an dentur. 213, & 223.

Species Eucharistice, quid. 124. *Quid circa eas definitum
sit ab Ecclesia.* 126.

T

Tempus, quid, & quotuplex. 286. *Qualiter sit cæterarum
durationum mensura.* 307. *Imaginarium, quid.* 310.

*S.Thomas, quid senserit de formis substantialibus materiali-
bus.* 31. *Quid de accidentibus.* 102.

V

Vacuum, quid, & quotuplex. 252. *Divinitus est possibile.
253. Magnum naturaliter impossibile.* 256. *Experimen-
tis nullatenus convincitur.* 262, & 269.

Vacuola disseminata actu in natura reperiuntur. 275.

Ubi, & ubicatio, quid. 199, & 215. *Ubicatio est ipsa actio
rei ubicatæ productiva.* 217.

Velocitas, & tarditas motus unde petenda. 358. *Velocitatum*

pro-

RERUM.

proporatio. 369. *Idem in punctis rotæ à centro inæquali-
ter distantibus.* 406.

Unio materie cum forma. 147. *Animæ cum corpore.* 150.

Partium continui. 192, & 195.

Vicelitus ab Ecclesia damnatus. 127.

FINIS.